Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala B
Estante 66
Tabla [illegible]
Número [illegible]

3
3-39

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: [illegible]
Numero: 180

Nº 3
3-29
B-15.184

# PETRI FABRI SANIORIANI IVRISC. CONSIL. REG. LIBELLORVM EXMAGISTRI, ET IN SENATV TOLOSANO PRÆSIDIS,

## LIBER SEMESTRIVM PRIMVS

EDITIO TERTIA,

*Cui nunc primùm acceſſit Græcorum verborum interpretatio Latina, hactenus à multis deſiderata.*

Cum Indice Capitum, rerùmque & verborum copioſiſſimo.




LVGDVNI,

APVD FRANCISCVM FABRVM.

*M. D. XCVIII.*

16. [illegible]. 5. 15

Biblioteca Universitaria
Sala B
Estante 68
Número

3
3 - 39

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL
GRANADA
Sala: A
Estante: 43
Numero: 180

# PETRI FABRI

## SAN-IORIANI IVRISC CONSIL. REG. LIBELLORVM EXMAGISTRI, ET IN SENATV TOLOSANO PRÆSIDIS,

## LIBER SEMESTRIVM PRIMVS.

EDITIO TERTIA,

*Cui nunc primùm acceſsit Græcorum verborum interpretatio Latina, hactenus à multis deſiderata.*

Cum Indice Capitum, rerúmque & verborum copioſiſſimo.




LVGDVNI,

APVD FRANCISCVM FABRVM.

*M. D. XCVIII.*

Nº 3
3-29
B-15.184
16. a. 9. 15

me,vt plurimos auctorum locos obſcuros declararem, deprauatos caſtigarem,integros ſinceritati ſuæ conſeruarem, & ab vncis quorundam vnguibus protegerem. Omni prorſus opera elaboraui, vt Spartam,admonitu veteris prouerbij,tuerer,atque ornarem: id eſt, Iuriſprudentiam, collecto vndique mundo & apparatu pretioſo (quantum in me quidem eſſet) excolerem,comerem atque illuſtrarem: quam adeò ſentam,ſqualidam,horridam plebeij quidã interpretes,impuris ſcilicet(illotis quidem certè)manibus pertractatam ad nos tranſmiſerant,vt ei nihil opis omnino iam ad priſtinam dignitatem recuperandam adferri poſſe videretur. Verumtamẽ nitorem,ſplendorémque ſuum ei reſtituere,deſertæque anteà & ſoli relictæ comites fidiſſimas,eaſdémque honeſtiſſimas,Ethicen ſcilicet, hiſtoriam,& vtramq. literaturam adiungere, vt ſuperioribus annis ante me nonnulli,quorum labor non fuit irritus,ita poſt alios equidẽ ſtudui atq. tentaui:ad eámq. rem pedeſtri,ſimplici,miniméq. fucato,non ſordido tamen(vt videtur)aut inepto,ſed mundo, quoad eius potui,caſtóque,ac Iurecõſultis familiari ſermone vſus ſum:qui vtinam peræquè lectoribus eruditis placeat, vt ad noſtras cogitationes mandandas literis eum commodiſſimum fore credidi. Vtinã verò quam his aliquot conſcribendis,& euulgandis libris inire gratiam à ſtudioſis literarum exiſtimaui,eam ſic mihi ( quod ſpero)in poſterum ipſi habeant,referántque cùm opus fuerit:vt neque reprehenſorum calumniam,neque plagiariorum iniuriam,nec vllos denique fucorum,id eſt maleuolorum,inuidorúmque hominum aculeos aliquando vel inuitus experiar,vel inultus ſentiam.

Sed iam tempus eſt ad id quod inſtituimus accedere. Et quoniã ad Romanorum Conſulum hiſtoriam veterem à pleriſque traditã, in tabulis propoſitam,& commentariis multorum doctiſſimis illuſtratam,ea ipſi ante biennium alio loco attulimus, quæ cùm nemo vnus attigiſſet,ad illam tamen ſuis omnibus numeris abſoluendam deſiderari videbantur: De præfectis autem prætorio(quorum ſub Imperatoribus potentia ſumma,& præcipua fuit in Reipub.adminiſtratione auctoritas)nihil à quoquam hactenus diligenter ex hiſtoriæ fide ac veritate,nihil perſpicuè via & ordine vllo, certè non multum(quod ſciam)tractatum,ac leuiter tantummodò quidpiam & curſim dictum eſt. Equidem non committam, vt ſi quid ipſe aut cum aliis,aut præter alios magno Dei opt.max.beneficio, non ſine aliqua tamẽ diligentia noſtra,imò verò aſſiduis vigiliis hac in parte aſſequutus ſum,id ſilentio quaſi tenebris obruere,Iuríſque ac hiſtoriæ cupidis inuidere voluiſſe poſthac iudicer. Quin potius ea quæ de origine,auctoritate, officio, inſignibus præfectorum prætorio pridem vndequaque collegimus,omnia nunc iam ad publicam, ſi qua forſitan inde naſcetur,vtilitatem non inuiti proferemus:ei nãque noſtros cuicui modi ſunt labores cõſecratos eſſe,vt oportet,ita profectò volumus. Atque hinc potiſſimum ordiri placet.

## SVMMÆ CAPITVM.


CAP. I.

PAlatium, Prætorium, præfectus prætorio, prætorianorum, ſiue Protectorum duplex ſchola, equitum & peditum. Bini ſub Imperatorum pleriſque præfecti prætorio: & qui ab initio quibus ſucceſſerint. pag. 1

CAP. II.

Præfecti prætorio ex equitibus, & ex aſſeſſoribus præfectorum aſſumpti: veſtis Senatoria & equeſtris. Præfectorum potentia, dignitas, officium. Explicantur Suetonij ac Dionis loci. Præfecturam prætorianam dignitate patriciatui, patriciatum Conſulatui cedere. Explicat. l. 1. D. de ſenator. & l. 1. C. de conſulib. pag. 8

CAP. III.

Inſignia Præfecti præt. Carpentum & gladius. Adparitio Præfecti præt. Gladius principis. Gladij nomine merum imperium, ac vitæ neciſque ius ſignificatur. Gladij vel pugionis ferendi ius penes quos olim fuerit. Emendatur Dionis locus. pag. 18

CAP. IIII.

Pœna ferri ſiue gladij duplex. Decollatio ſecuri vel gladio fiebat. Pœna iudicato comprehenſa mutari non poteſt à Præſide, ſed à principe: à quo liberum mortis arbitrium, non ab illo permittitur. Taciti locus emendatus. pag. 24

CAP. V.

De magiſtris & principibus officiorum. De XIV. vrbis regionibus. De magiſtris vicorum. Vnius apud Suetonium loci lectio in dubium vocatur. Duo apud Lampridium corruptiſſimi emendati. pag. 28

CAP. VI.

Sportulæ ſolemnes cœnæ, ſolemnes & feſti dies populi vel ſingulorum ciuium. De nuptialibus, funebribus, natalitiis conuiuiis. Cœna feralis, ludus ad iudices. Conuiuia triumphalia, Imperatoria, Conſularia, Prætoria. Ludorum diebus epulum populo dari ſolitum. Beſtiarij, Meridiani. De prouincialibus magiſtratuum conuiuiis. Cœna dialis. Senatorius prandendi mos. Cœna popularis. Apuleij, Plutarchi, Suetonij & Senecæ loci expoſiti. pag. 31

CAP. VII.

Conuentionem publicam, quæ fœdus & pactio dicitur, aut æquis legibus aut imparibus conditionibus fieri. Emendatus Triphonini locus. Diuina humanáque, quid ſit apud Liuium: συνθῆκαι, εἰρήνη, προστάγματα, σπονδαὶ, apud Iſocratem, Andocidem, Æſchinem. Emendatus & expoſitus Iſocratis locus de communi gentium iure. pag. 40.

CAP. VIII.

De vſufructu municipibus legato, & vita hominum longiſſima. Ciuitates plerunque immortales nonnunquam mori dicuntur ab auctoribus. Explicatur Modeſtini locus de Carthaginis excidio. De Sidonis, Corinthi & Byzantij euerſione, Corinthiorúmque & Byzantinorum capitis deminutione. De pœnis ciuitatum. pag. 46


CAP.

# PETRVS FABER IACOBO FABRO, REGIO CONSILIARIO, ET PATRITIO, PATRVO SVO S.

HIS tumultus Gallici miſeris & extremis temporibus, quibus plerique omnes in publicarum calamitatum cogitatione defixi, non pauci etiam grauiſſimo ex domeſticis ærumnis mœrore conflictati ſunt: Iac. Faber, vir clariſſ. non potui tamen tenere me, quin primum hunc Semeſtrium librum conficerem atque abſoluerem, de quo tibi offerendo iam pridem religione voti me obſtrinxeram. Quid igitur? inquies: Itáne ſenſum humanitatis omnem exueras, vt cùm alia qualibet ſolicitudine vacuum illum eſſe oporteat, qui non contemnendum aliquid in literis præſtare velit, tu ſolus neque præcipuis, neque communibus malis oppreſſus, ne tactus quidem, ſolutiore quàm quiſquam alius animo viueres, librorúmque ſcriptioni operam dares? Minimè gentium: nam ipſe quoque ita homo ſum, vt non modo à pietate non abhorream, ſed nihil humani (quomodo comicus ille ſenex aiebat) à me alienum putem, aut verò etiam velim. Sed cùm ægritudine ac mœſtitia, vt bonorum omnium, ita meus quoque torqueretur animus: iis ſacrarum ſcilicet, aliarúmque literarum ſtudiis mirificè recreabatur, quæ rebus aduerſis perfugium ac ſolatium (vt tute ſcis) præbere ſolent. Tum verò præcipuè alleuari, atque à moleſtiis abduci videbatur, cùm varia Semeſtrium noſtrorum capita, quo ſe ordine ſingula offerebant, legendo percurrerem. Quod mihi cùm ſæpe antea, tum nuper etiam accidit. Igitur eo ex numero complura temporibus iſtis accommodatiora, ſeponenda & colligenda eſſe duxi: De prætorianis aliiſque militibus, & exercituum præfecto: item, De iure gladij, liberoque mortis arbitrio: tum, De fato, morte, ac pœnis ciuitatum, de militaribus ſuppliciis, de virtute bellica, de peculatus & ſacrilegij crimine, de bonorum denique petitionibus, & alia huius generis non pauca. Quorum omnium aliquanto triſtiorem tractationem vt iucunditate aliqua, veluti ſa-

*le,condirem,De publicis & priuatis epulis, ludis atque ſpectaculis aſperſi quædam:itémque,De conuentionibus publicis, de tranſlatione iudiciorum,de veſtibus & ornamentis,de Iuriſconſultorum formulis poſtremò,déque Senatuſconſultis & Edictis Claudianis: quæ minimè vulgaria eſſe credidi. Plurimorum inſuper locorum caſtigationes, nouáſque interpretationes attexui: penúmque iſtam omnem è cella noſtra literaria depromptam in hunc librum, quaſi ſportam aliquam, congeſſi:atque hoc ſolemnium xeniorum die admonitus attuli ad te,vt natura patruum, ita ſingulari beneuolentia,optimis conſiliis,ac ingentibus beneficiis alterum patrem.Hoc tu qualecunque munus non vt* ἀντίδωρον, *eſt enim ſanè leuiuſculum:neque vero vt* μνημόσυνον, *ne memoriam noſtri apud te,qui admonitore non egeas,excitare fruſtra ſit:ſed tanquã perpetuæ noſtræ in te obſeruantiæ pignus aliquod, aut vt* ἀντίχρησιν *potius,interea dum tibi quod debeo præſtare non poſſum,accipe,tibíque habe:atque ad relaxandum turbidis iſtis in rebus animum, aut ad arbitrium denique tuum vtere fruere:tum, quæ tua eſt in omnes propenſa liberalitas,in publicum poſteà proferri,vt literarum ſtudioſis condonetur,patere.Dat.Toloſæ,Kalend.Ianuar.Anno Chriſti* CIↃ.IↃ.LXVIII.

AD SE-

## AD SEMESTRIVM LIBROS, præfatio & præparatio.

SI quiſquam eſt,cui non modò negotij, ſed etiam otij ratio conſtare debeat, equidem eum eſſe cumprimis credo, qui in aliquo Reipub.munere verſatur: tantóque magis eum,qui in edita amplioris cuiuſdam dignitatis ſede locatus eſt: ex qua tanquam alta è ſpecula,proſpicit is quidem,vti ſe aliorum vnuſquiſque gerat,ſed ab omni populo viciſſim aut etiam attentiùs,atque accuratiùs obſeruari ſolet:vt ipſius otium plerunque turpe ac inhoneſtum videri,adeóque in varias inimicorum præſertim hominum reprehenſiones incurrere neceſſe ſit.Hoc ego apud me iam inde ab eo tempore quo primùm inſeruire honoribus,& in Magno Regis conſilio aſſidere cœpi, crebro reputabam. Itaque ſolemne illud Semeſtrium feriarum ſpatium, quod cæteris eiuſdem ordinis hominibus ad ſuas res obeundas, & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur, cùm à Regio comitatu domum reuerſus,ne priuatis quidem (quibus facilè carebã) vllis negotiis diſtraherer,& nihil tamen agere non poſſem: totum inquam illud vacui temporis ad Iuriſprudentiam,ad veterem hiſtoriam,ad Græcarum denique Latinarúmque literarum ſtudia, quibus à puero deditus fui,recolenda conferebam:adeò quidem id lubenter,vt cùm labori non parcerem, neutiquam intereà defatigarer:cúmque aliquid ſemper addiſcerem,in eo tamen ita,vt mihi ſatisfacere viderer,acquieſcere nullo modo poſſem:quin potius vltra progredi cuperem,atque affectarem.Quid plura?Tanta erat in nobis illa támque inexhauſta diſcendi auiditas, nunquam vt expleretur animus:quem,ſiqua in literis intemperantia eſt, vt quidam volunt,ab ea prorſus immunem non fuiſſe ingenuè agnoſcimus. Sanè ſi forte quid inter legendum arrideret,curſim adnotabam,excerpebam dein atque colligebam,quaſi per indicem: cæterùm via & ordine ſcribendi,atque explanandi otium non erat, cùm nihilo minus plerique illo abundare me exiſtimarent, nonnulli etiam abuti dicerent:qui verò leniùs mecum agebant noti atque amici complures,non ceſſare me quidem ipſi faterẽtur(quoniam aut honoris,aut amicitiæ,aut literarum gratia quoties ad nos viſerent, toties mihi cum libris rem eſſe intuebantur)Quòd celarem tamen alios ea quę obſeruaueram,hoc valde improbarent:interdum etiam cum aliquo quaſi conuicio exprobrarent. Ij verò tale reſponſum plerunque à nobis auferebant:Nõ recuſare me, quin ad vtilitatem ſtudioſorum Iuris ciuilis,aliarúmque bonarum artium aliquando publicarẽtur, quæ,vt ſuperioribus annis aliquot feceram,ita tunc in otio ſcilicet

ac ſeceſſu Semeſtri meditabar:præſertim cùm Labeonem ex veteribus Iuriſconſultis,qui plurimum ſtudiis incubuit, totum annum ita diuidere ſolitum à Pomponio noſtro accepiſſem, vt ſex menſibus cum ſtudioſis eſſet,ſex verò menſibus ſecederet, libríſque conſcribendis operam daret:verumtamen cùm nihil ſatis adhuc limatum ac politum ad manus haberem, & ſæpe ſtilum vertendum eſſe ſcirem,iterum quæ digna legi ſint ſcripturo, vt eſt apud poetam:genus quidem ſcriptionis aliquod inchoaturum eſſe me, ſed eorum quæ adhuc adnotaſſem rudium ſcilicet ac informium fœtuum editionem differendam potius,quàm accelerandam videri:ne vt cæcos canis feſtinans catulos ſolet,ita illos ipſe abortiuos,ſtatímque morituros parerem.Ergo tempus trahere ipſe quod poterã, vrgere illi autem atque inſtare contrà:Id namque ſcire ſe,Lectionum ſiue obſeruationum libros complures ſine magno negotio poſſe à nobis confici:hanc varia ſcribendi rationem,leuioris quidem ipſam operæ,ſed tamen à doctiſſimis quibuſque viris, hac potiſſimum ætate receptam ac frequentatam eſſe:tum verò vtilitatis, & propter varietatem(quæ in omni re delectat)voluptatis non parum adferre lectoribus,ipſi etiam ſcriptori nihil moleſtiæ interim exhibere: quippe cuius laxior ſolutiórque in eo genere, quàm in commentariis ad quæſtionem Iuris aliquam conficiendis,aut reticendi quæ neſcierit noluerítve dicere,aut quæ luce hominúmque oculis digna eſſe iudicauerit,omnia in apricum proferendi facultas eſt.His ad extremum rationibus ego permotus,& vt honeſtè,ita ex meo etiam officio me facturum eſſe cogitans,ſi,quod in memoriam ſæpe(quemadmodum initio dixi)reuocabam,id præſtarem,eniterérque vt aliqua otij noſtri ratio extaret in publicum: cepi conſilium denique colligendi ea,quæ ad oras librorum meorum olim adſcripſeram,& coniecturas ac opiniones de bonorum auctorum locis aliquot perdifficilibus exponendi meas.Id quod perficere conatus ſum libris iis,quibus Semeſtrium nomẽ dare libuit,nouum quidem iſtud,nec minus elegans tamen,vt arbitror, quàm illa quæ Variarum, Antiquarum,Nouarum Lectionum,aut Obſeruationum,Diſputationũ, Miſcellaneorum,Aduerſariorum, & ſi quæ ſunt alia, plerique ſuis eiuſdem argumenti libris præpoſuerũt.Semeſtrium autem quoniã, vt exemplo Auguſti principis conſilia ſemeſtria quotannis Marcus Imperator cogere,atque inire ipſe Iuris reddẽdi gratia conſueuerat (quamobrem ſæpe à Iureconſultis laudari,& in teſtimonium citari,quæ is in Semeſtribus reſcripſerit aut conſtituerit,ſcimus)ita nos quoque in otio illo ſemeſtri,poſt ſex itidem mẽſes iuriſdictioni(vt ſuprà retulimus)datos,conſilia quaſi quædam cum Latinis Græciſque optimis auctoribus (quorum ſcilicet libros diurna nocturnáq. manu verſabamus) de Iuris interpretatione,déque aliarum literarũ intelligentia & cognitione habuerimus.Hæc de nomine. Nam de argumento & materia ſcriptionis huius,licet ea ex omnibus ſingulorum capitum titulis facilè deprehendi poſſit, hoc generatim & in vniuerſum audebo dicere:non inutiliter in id ſtudiũ incubuiſſe

me,


Cap. IX.

*De naturali ciuitatum interitu ex varijs cauſis. Ciuitates mori, naſci, viuere, reuiuiſcere, ægrotare, matréſque habere ita vt homines dicuntur. De natalitiis Romæ veteris & nouæ feſtis diebus. De ciuitatum fato, genio, & cuſtodibus angelis.* pag.54

Cap. X.

*Non vtilitas, ſed vilitas legendum apud Vlpianum, Curtium, Vopiſcũ & Boetium. vilitas ſui. Qui ex philoſophis veteribus ſibi mortem conſciuerint. Non prior, ſed propior legendum apud Proculum, Paulum, Senecam, & Tacitum.* pag.61

Cap. XI.

*De litera R. eámque expungendam plurimis locis, qui apud Plinium & Apuleium, apud Senecam, apud Marcellinum & Cæſarem caſtigantur. Itémque apud Ciceronem: vbi non Carnis, ſed Canis legendum demonſtratur, & Canis nomen ad conuicia traductum à veteribus. Horatij locus de cane, canina cœna, & mutato vino explicatur.* pag.64

Cap. XII.

*Ex filijfam. contractu vel delicto, quatenus filius ipſe vel paterfam. viuo & retento in poteſtate mortuóve, aut emancipato ante póſtve litem cõteſtatam, aut ſententia terminatam filio: itémque antè, póſtve filij damnationem teneatur. Explicata l.3.§. ex furtiua. D. de peculio: & l.3.§. ſi filiofam. D. rer. amot. & de tranſlatione iudicij à filio in patrem. Exponitur, & emendatur l. Tam ex contractibus 57. D. de iudiciis.* p.69

Cap. XIII.

*Tranſlatio litis à domino in procuratorem à procuratore in dominum vt fiat Præſentia domini quam vim habeat. Procuratori vel aduerſus eũ quando actio iudicati competat vel non. Vtiles actiones directis præferri. De tranſlatione iudicij à tutore in pupillum à domino in manumiſſum ſtatuliberum, eúmque qui ad libertatem proclamauit, & de actione iudicati. Exponuntur l. ordinata. D. de libera. cauſa. l. Prætor. D. de noxal. act. & confirmatur emendatio l. Tam ex contractibus. D. de iudic.* pag.73

Cap. XIIII.

*Improbata Florentinarum Pandect. lectio in l.2. in princi. D. Si quis cautio. Duo apud Senecam loci, apud Varronem, Tacitum Paulum Iuriſc. Lampridium, Sidonium, Claudianum, Dionem, ſinguli caſtigantur à librariis compendio ſcribentibus deprauati. Explicatur Pollionis locus: de acclamationibus & carmine comitiorum.* pag.78

Cap. XV.

*Exponuntur l. veſtis. 23. l. inter veſtem. 35. l. ornamentorum. 39. D. de auro & arg. lega. & defenſa Florentina lectio in d.l. veſtis. §. muliebria. Veſtimentorum quæ virilia, muliebria, vel communia dicantur. Pallia, togæ, tunicæ. Muliebrium veſtium vſus viris indecorus. Cœnatoriæ veſtes. Triclinaria veſtimenta. Mitræ ſintne veſtimentorum an ornamentorum numero. Conciliatur l. Quamuis 26. in fine cum §. muliebria d.l. veſtis. 23.* pag.84

CAP. XVI.

*Exponitur l.quamuis.26.D.de auro.& arg.lega. De pellucidis veſtibus ſiue lineis, ſiue ſericis, & bombycinis variorum auctorum prolata teſtimonia. Emendatus Lampridij locus. Côæ, itémque Tarentinæ veſtes, & Tarentina purpura apud Horatium & Pollucem. Marcellini & Tertulliani caſtigantur & exponuntur loci duo, de veſtium & gemmarum pondere. De fibulis, & quæ veſtium aut ornamentorum numero cedãt. Expoſita l.Argumento.25.D. de auro & arg.leg. Ralla veſtis, quæ & vitrea & pellucida.* pag.90

CAP. XVII.

*Pœnæ militares & communes. Munifices, Principales, Beneficiarij. Feſtus & Valerius explicantur. Fronto emendatur. Legiones puniebantur. Suetonij locus vt legendus. Exauctorationis ignominioſæ, itémque miſſionis ignominioſæ formula. Exponuntur & conciliantur inter ſe l.2. §.Ignominiæ.D.de iis qui not.infa.& l.milites.13.§.Et ſi ſine.D.de re milit.* pag.97

CAP. XVIII.

*Caßij, Macrini, Maximini, & Aureliani ſæuitia in milites. Emendatus Gallicani locus. Militum & veteranorum in pœnis priuilegia Proditorum & transfugarum pœnæ. Manuum præciſio. De ſaxo deiectio.* Decimatio. *Suetonij & Marcellini duo loci explicantur, & Macri Iuriſconſulti reſponſum, vitioſa interpunctione ſublata, exponitur.* pag.108

CAP. XIX.

*Iuſtiniani locus ex Nouella conſtit.68.exponitur. De Iuſtitia, de Fortitudine, quæ plurimis Iuriſconſultorum aliorũque auctorum locis ἀρετὴ & virtus, interdum animi virtus aut belli bellica militaris & Martia virtus nominatur. Virtutem & fidem in milite, in duce virtutem & felicitatem potißimum requiri. Plinij locus vnus. & Claudiani alter emendatus. Apud Plutarchum & Themiſtium reſtituitur deprauatum aut obliteratum ἀρετῆς nomen. Inter ducis & militis virtutem atque officium quid interſit.* προθυμίας & ἀγαθῶ *nomina quid apud Plutarchum ſignificent, demonſtratur: illuſtrato Thucydide duobus locis.* pag.116

CAP. XX.

*Litis cauſa abeſſe. Defenſa vetus lectio apud Vlpianum, itémque duobus apud Ciceronem locis. Obſeruare, curare, colere, obſequi. Defenſa vetus & item noua locis aliquot reſtituta ex libro veteri apud Cæſarem lectio. Quintiliani locus expoſitus, vulgata lectione defenſa. Priuati ludi & Iuuenales. Publicum à priuato ſpectaculum quî diſcernitur. Attelani thymelici xyſtici, &c. vt non infames, ita notati & viles non admittuntur ad honores. Expoſita l.1.C.de dignitat.lib.*XII. *conciliata l.4.c.de ſpectacul.lib.*XI.*cum initio l.4.D. de iis qui not.infa. & prolato Tertulliani teſtimonio, in quo multa menda caſtigantur.* pag.130

CAP. XXI.

*De præſcriptione rei iudicatæ. Iuriſconſultorum formulæ quædam apud Ciceronem explicatæ. Scribere, præſcribere. De plurimorum Ciceronis locorum lectione diſputatum: itémque de lectione l.ait prætor.in princ.D. quæ in fraud.credit.* pag.141

CAP. XXII.

*Complures Pandectarum loci ex tit.ad leg.Iul.peculat.& de ſacrileg. & de reſiduis contra Græcos & Accurſium exponuntur. Publicæ rationes in Prouincia per quem confectæ, vbi relictæ, quò relatæ. Quæſtores veteres & noui. In Pauli & Vlpiani reſponſis nomen Sinus reſtitutum, & quid ſignificet oſtenditur. Pœna peculatus ordinaria & extraordinaria. Explicatur aduerſus Accurſium l.1.c.de crim.peculat.& l.ob pecuniam.81. D.de furt.* pag 148

CAP. XXIII.

*Ordo verborum non naturalis indicatur in quibuſdam Vlpiani, Pauli, Calliſtrati, Hermogeniani, Papiniani Iuriſc.reſponſis, & Imperatorum duobus reſcriptis, quæ omnia exponuntur, conſeruata veteri lectione, eadémque vt apud Senecam duobus, ita vno apud Sidonium loco reſtituta.* pag.155

CAP. XXIIII.

*Menda ob verborum tranſlationem conflata tolluntur ex Vlpiani & Pauli Iuriſconſultorũ reſponſis. Bona fide ſoluere, dicere, ſcribere. Vel trãſpoſitum in Pand. Florent. Explicatur* & *emendatur l.1.c.Ne fideiuſſor.vel mandat. dot. dentur. & de iure, lege, & conſuetudine. Mendum apud Zonaram vnum, & alterum apud* Dionem *ex illa verborum tranſlatione ortum indicatur.* pag.159

CAP. XXV.

*Senatuſconſulta & Edicta Claudiana, quibus quæque temporibus facta ſint diſputatur. Emendatur vnus Taciti, & Tertulliani alter deprauatiſsimus locus. S. conſultum Macedonianum, itémque Libonianum quando factum. De immunitate ob naues. Petitionis bonorum ſublatæ origo indagatur, expoſito Zonaræ loco, & prolatis Imperatorum hac de re conſtitutionibus.* pag.166


## ELOGIA.

Seneca epiſtola LXXXV. Inuicem hoc illo commutandum eſt, & alterum altero temperandum, vt quidquid lectione collectum eſt, ſtilus redigat in corpus. Apes, vt aiunt, debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel faciendum idoneos carpunt. Deinde quidquid attulêre diſponunt, ac per fauos digerunt: &, vt Vergilius noſter ait,

*--liquentia mella*
*Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas.*

Ergo quod de ſe Lucretius cecinit, nobis quoque dicere liceat:

*Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,*
*Omnia nos itidem depaſcimur.*

# INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM IN HOC PRIMO SEMESTRIVM LIBRO CONtentorum.


ACtiones complures eiuſdem rei cauſa olim competebant 143
actionibus concurrentibus electa vna regreſſus ad alteram non dabatur 143
Actiones ſcribere clientibus ſuis iuriſperiti dicuntur 143
actiones à iureconſultis formulas plerūque nominari 144
adoptatus in nomen & familiam adoptātis ſuccedit 80
adparitionem dare quid ſit 20
Adrianus Turnebus vir eruditiſſimus 22
Adrianus Turnebus de literis præclarè meritus 60
adulterij condemnata, publico iudicio damnata eſt 155
Aduocati, in foro. patroni cauſarū litiúmque ordinatores 144
Ægyptij laudantur quòd moribus optimis, legibúſque ac inſtitutis vterentur 163
æquè delinquit qui ad referendam gratiam ſuo tempore ceſſat, quàm qui alieno properat 158
ἀγαθὸς, vir fortis apud bonos auctores 125
Aimoinus Frācicæ hiſtoriæ ſcriptor haud contemnendus 8
Alexander à pueritia latro, gentiúmque vaſtator, tam hoſtiū pernicies quàm amicorum, qui ſummum bonum duceret terrori eſſe cunctis mortalibus 157
Alexander Seuerus Imperator ſeueritatis tantæ fuiſſe in milites, vt ſæpe legiones integras exauctorauerit, ex militibus Quirites appellans 103
ambitionem, & cætera mala mentis humanæ tunc perniciosiſſima eſſe, cùm ſimulata ſanitate ſubſidunt 161
amplianda pœna, idem quod ſuſtinenda & differenda 26
anademata, redimicula dicūt Latini 90
angelos tanquam cuſtodes ſingulis hominibus, & ciuitatibus, & populis attributos atque addictos eſſe 60
animæ variæ pueris naſcentibus contingunt 60
animi firmitas lenta, eſt rarior, nec poteſt niſi à ſapiente præſtari 63
animus ſapientis talis eſſe debet, qualem deum deceat 144
animus neque ſe bona fide in multa ſimul intendere totum poteſt 161
ἀνοχαὶ ſiue ἀνακωχαὶ plerunque ἐκεχειρίαν, breues, dierum puta vel menſiū inducias ſignificant 45
Antiochiæ iura ciuitatis adempta 52
Apocolocyntoſis 79
Appium Claudium apud Romanos vſum R. literæ inueniſſe 64
Apuleij locus emendatus 66
aqua, terra, ſpiritus, alimenta ſunt, quibus hic mundus adminiſtratur: omnia iſta tam cauſa viuēdi ſunt, quàm viæ mortis 157
Arar flumen eſt, quod per fines Heduorum & Sequanorum in Rhodanū influit incredibili lenitate 136
aratrū ciuitates aliquando patiuntur 48
aratro vrbs conditur & aratro euertitur 49
arbitrium mortis eligendæ 28
arborum duarū capita inflectere ad ſupplicium 109
arenarios amentiſſimos apud Tertullianum, non amantiſſimos legendum 140
ἀρετῆς vocabulum apud Plutarchum reponendum in vita Marcelli 121
ἀρετῆς πεῖραν διδόναι virtutis experimētum dare 123







ἀρετῆς vocabulum ἀπὸ τοῦ ἄρεως veteres grammatici deducunt: ideo ipſum ἀρετῆς nomen ab optimis & vetuſtiſſimis Græcæ linguæ auctoribus, ita vt ad militarem & bellicam virtutem referant, vſurpari ſolet 120
argentum menſale 40
arma vbi à recto itinere deſciuerunt, oppreſſura ſunt niſi opprimantur 110
armorum amiſſio, itémque alienatio, delictum eſt militare 98
artem ludicram qui exercuit, in quatuordecim primis ordinibus ne ſedeat 137
artificioſo verborum ordine iuriſconſulti plerūnque orationis comendæ atque ornandæ gratia vtuntur 155
aſſectationis tres ſunt partes, vna ſalutatorum cùm domum veniunt, altera deductorum, tertia aſſectatorum 134
aſſeſſores in quibus prouinciis aſſediſſent in his adminiſtrabant 11
aula Regia 1
aula eſt prætorium 2
Auidieno canis cognomen conuenire 68
Aurelianus non tam imperator quàm tyrannus & carnifex 109
αὐτόδικος, αὐτόνομος, ϗ αὐτοτελής 42
αὐτόματος θάνατος, id eſt naturalis, fatalis, ſimplex & ſpontanea 48
αὐτόνομος liber 42

B

βασίλειος αὐλή, βασίλειος ἑστία, βασίλειος οἶκος
batalos Clemens Alexandrinus vocat cinædos 87
beneficium eſt arentibus ſiti & vix ſpiritum per ſiccas fauces ducentibus monſtrare fontem 66
beneficiarij dicebantur, qui vacabant muneris officio 101
Berytus exuſta 56
beſtiarios Suetonius vocat, quos Dio καταποντισμένους 38
βίαιος θάνατος, id eſt violēta, quæ vi aut neceſſitate aliqua extrinſecus admota venit 48
bis iudicium adipiſci eadem de re ius non ſinit 141
bombyx coa 93
bona fide deos qui colit, amat & ſacerdotes 161
bona fide, id eſt ex officio, & non malignè nec parum prudenter, ſed diligenter ac fideliter 161
bona fide exolui potuiſſe id quod pupillo debetur 159
bona fide ſoluere, id eſt non perfunctoriè, non imaginariè, ſed omnino reuera ſoluere 160
bona fide dicere, eſt quod ait Cæſar, ſincerè pronunciare: cui contrarium eſt, dolo dicere, hoc eſt non verè, non ex animi ſententia 160
boues viuos ſubitò aperiri 109
Braſidas apud Lacedæmonios dux præſtantiſſimus 128
Briſſonius iuriſconſultus 57
Brutiorum oppida 52
Britannos coloratos vultus, & tortos plerunque crines habere 137
Britanni ſe nitro inficiunt, quod cæruleū efficit colorem 137
Byzantium 51
Byzantium in ſeruitutem Perinthiis dono datam 53

C

κακὸς ϗ κακία, ἀντὶ δειλοῦ ϗ δειλίας, malus proignauo, vitiū ſiue malitia pro ignauia ſæpius ſumitur 125
Cadauera oppidorum 53
caduca ſeu vacantia bona 172
Cæſaris locus emendatus 136. 137
Calanus apud Indos philoſophus 62
candidati tribus ἐν ταῖς δεξιώσεσιν obſeruabant 134
canina litera R. 68
caninum prandium, in quo nihil vini potatur 68
canis putida 66
canis in fœminino genere frequenter apud bonos auctores 67
canis nomen in conuicio & maledicto ponebatur apud veteres 67
canis, vel propter oris impudentiam, vel

*propter vomitus & eructationes* 68
*canes aduerſus Chriſtum rabidi, qui putant eccleſiã nullos philoſophos & eloquentes habuiſſe, qui fidem noſtram ruſticæ tantùm ſimplicitatis arguunt, nec ſuam imperitiam agnoſcunt* 67
*capitalis pœna à deportatione diſtinguitur* 153
*Capreis, vnde damnati per longa & exquiſita tormenta præcipitabantur* 80
*capite diminuti ciues* 53
*capitis amputatio ſiue decollatio* 24
*capitis amputatio ſecuri Toloſæ, gladio Lutetiæ Pariſiorum* 25
*carmen precationis ſolemne* 72
*carpentum ſiue tribunal* 18
*Carthago aratrum paſſa eſt* 49
*Carthago ab Æmiliano Scipione Africano expugnata & deleta fuit* 49
*Carthago diruta eſt, cùm ſtetiſſet annis* DCLXVII. 49
*Carthago incenſa & flammis perdita* 49
*Caſſiodorus ſcriptor non indiligens* 14
*Caſſius non tam imperator quàm tyrannus & carnifex* 109
*Caſſianæ ſeueritatis aliquot indicia* 109
*caſtigatio vtrùm militaribus duntaxat, an etiam communibus pœnis annumeranda ſit* 99
κατακοπτομένους *Dio, quos Suetonius beſtiarios vocat* 38
*centeſimare, Opilij Macrini verbũ proprium, cùm ſe clemẽtem diceret, quãdo eos centeſimaret, qui digni eſſent decumatione atque viceſimatione* 114
*centum anni, finis vitæ longiſſimus* 46
*chariſtiorum dies* 32
*Charybdim, eſſe mare vorticoſum* 79
*chiridotæ tunicæ, id eſt manicatæ* 86
*Ciceronis locus explicatus* 142
*Cicero in Topicis emendatus* 143
*Ciceronis in Piſonem locus emendatus* 66
*Ciceronis locus ex lib. 4. de Finib. declaratus* 145
*cinædos, delicatos & parum viros fuiſſe habitos à veteribus, qui veſtimentis muliebribus induerentur* 87
*circus, locus erat publicus,* ὅπου μάλιστα τὸ πλῆθος ἐκκλησιάζει 139
*ciuium diſtractione elangueſcit bonum proprium ciuitatis, atque ægrotare incipit & conſeneſcit* 58
*ciuitates nonnunquam naturaliter intercidunt, vt quæ aliquo terræ motu ac tremore deſident, quæque diluuio ſupprimuntur* 48
*ciuitates immortales eſſe* ibid.
*ciuitatum ſolo æquatarum nullus iã genius* 54
*ciuitatum Gallicarum propugnacula ac turres diſiectæ* 52
*ciuitates quodammodo mori videntur* 48
*ciuitates etiam dicuntur ægrotare* 57
*ciuitatibus eadem ferè omnia quæ hominibus tribuuntur* 56
*ciuitates vt homines dicuntur viuere ac reuiuiſcere* 57
*ciuitatum vrbes nonnullæ matres dicuntur* 57
*ciuitatibus quaſdam quaſi fato calamitates impendere* 59
*Claudiani locus reſtitutus* 118
*Claudiani locus emendatus* 83
*Claudianum ſenatuſconſultum ſublatũ eſſe à Iuſtiniano* 166
*Claudianum ſenatuſconſultum ab imperatore Claudio nomen accepiſſe* 166
*Claudianum ſenatuſconſultum quibus temporibus factum ſit* 166
*Claudiana ſenatuſconſulta vel edicta* 170
*Claudij edictum de præmiis & commodis ob naues* 171
*Flauius Claudius princeps, qui leges optimas dedit, vir bonus & iuſtitiæ ſtudioſus, edicto vetuit ne res alienæ ab imperatore peterentur* 7
*Clauum anguſtum equites gerebant, ſenatores latum* 10
*Cleander præfectus* 6
*Clemens Alexandrinus tenues & pellucidas veſtes improbat* 92
*Coa bombyx* 93
*Coa fœmina quæ prima tenues veſtes texuit* 93
*Coæ purpuræ, apud Horatium* 93
*Cœlius Rhodiginus plurimæ lectionis, & antiquitatis bene peritus* 49
*Cœna popularis, quæ à clientibus olim in æde ſacra patronis apparabatur* 40
*Cœna dialis, quæ ante Iouis cellam in capitolio fiebat* 38
*cœna feralis* 33
*cœna aduentitia, in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem auium appoſita traduntur* 33
*Cœna imperatoria* 36
*Cœnæ triumphales* 35
*Cœnæ ſolemnes aut ſimul omnium, aut ſingulorum ciuium habebantur* 32
*Cœnatoriæ veſtes* 88
*comes palatij* 1
*Commodus interemptus auctore Læto præfecto prætorij* 6
*commune ius gentium, communis omniũ lex, commune ius generis humani, commune ius humanitatis* 46
*Competentibus vtiliter fiſcalia poſt elapſum ab incorporatione biennium rectè tribuuntur* 173
*congiarium nummorum trecentorum Domitianum ter dediſſe* 38
*congiarium tricenos nummos viritim Tiberius dedit* 35
*coniectura aliquid certi promittere, nimis eſt arduum* 167
*Conſtantinopolis quando condita fuit* 57
*Conſuetudinis ius eſſe putatur id quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobarit* 163
*Conſuetudo lex non eſt, ſed diuturni mores conſenſu vtentium comprobati, qui conſuetudinem efficiunt, legem imitantur* 163
*Conſuetudo diuturna pro iure & lege in iis quæ non ex ſcripto deſcendunt obſeruari ſolet* 163
*Conſuetudo etiã in ciuilibus verbis pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex* 163
*Conſul patricio præfertur* 17
*Conſul antiquior poſteriori licet bis conſuli præfertur, poſteriori conſuli & patricio cedit* ibid.
*Conſules ipſo conſulatus die conuiuium ſenatoribus & equitibus Romanis olim edebant* 36
*Conſulum inſignia fuerunt toga prætexta primùm, deinde picta & palmata veſtis, item duodecim lictores cum faſcibus, ſella curulis eburnea, ſcipio eburneus* 18
*Conſulatus honorẽ & incipientes principes & deſinentes adeò concupiſcunt vt auferant* 17
*Conſulatum ſuſcipit princeps, præfecturam aut patriciatum non gerit* ibid.
*Conſulatus honor tanquã illuſtrior præfectis præt. olim deferebatur* ibid.
*in Conſulatu honos ſine labore ſuſcipitur* 18
*contentio quæ ex ſtatu efficitur,* κρινόμενον *Græci vocant* 146
*Continentiam etiam in milite deſiderari* 127
*Conuentionis publicæ exemplum* 40
*Conuentionis publicæ vis & poteſtas* 45
*Conuentio, quæ pacis cauſa fit, fœdus appellatur* 41
*Conuiuia etiam in prouinciis celebrari ſolita, cùm ad eas magiſtratus primùm accederent* 38
*Conuiuia principes Romani, quà die Auguſti appellationem reciperẽt, ad triũphantium antiquitùs imperatorum ſimilitudinem & exemplum celebrabant* 36
*conuiuiorum luxuria, ciuitatis ægræ indicia ſunt* 58
*conuiuiis multis ac moleſtiis ſuperſedendum, quæ* [illegible] *nouis ma-*

ritis obeunda ſunt 32
Corinthus eodem anno quo Carthago cõcidit funditùs euerſa eſt 50
correctores, vel potius corruptores temerarij 136
courtizer ou faire la court, *obſeruare*, θεραπεύειν 135
κεινόμενον, qua de re agitur 146
crudelitas fugienda principi qui velit diligi 109
Cuiacius doctor 30
Cura palatij is qui dicebatur, aurea virga decoratus inter obſequia numeroſa ante pedes regios primus incedebat 18
curatores vrbis quatuordecim 31
cuſtodes ſacri lateris 2
κυνικὸν καὶ θηριῶδες δοκεῖ εἶναι, ἀπὸ τῶν βρωμάτων καὶ τῆς πόσεως κεκινῆσθαι 68
κύνας beatus Paulus ad Philippenſes appellat oblatrantes quoſdam 67

D

damnati qui ſunt audiri non debẽt, quicquid allegent 26
damnatorum & mortuorum bona non aliter niſi poſt biennium elapſum peti 173
de ea re agere 142
de eadem re alio modo 144
December eſt menſis, quo maximè ciuitas deſudatius luxuriæ publicè datũ eſt, ingenti apparatu ſonant omnia 79
decimare eſt decimum quemque ſupplicio afficere 113
decimatio propriè pœna non eſt, ſed ad ſupplicium capitis quidam quaſi gradus eſt 112
decimatio per ſortitionem fiebat 113
decimatio militum ideò ſortitione fiebat, vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret 114
decimatas legiones hordeo paſcere 100
decimatas legiones hordeo paſtas ſi einterpretandum eſt, vt decimo quoque milite cæſo, reliquis ſuperſtitibus hordeum pro tritico datum intelligatur 11
decollatio capitis 24
deductorum maius eſſe quàm ſalutatorũ officium 135
delatores puniri gladio 25
delatorũ magnus numerus in aulis principum 173
denunciatio 166
deportationem à capitali pœna diſtingui 153
Deum qui colit bona fide, amat & ſacerdotes 161
dialis cœna, quæ ante Iouis cellam in capitolio fiebat 39
διατάξεις 173
dicis gratia malè reſtituunt pro litis gratia apud Vlpianum 132
δίκης ἕνεκα ἀπεῖναι, litis cauſa abeſſe 131
Didius Iulianus 6
dies ſolemnes, aut vniuerſis publicè, aut ſingulis ciuibus fuerunt 32
diluuio ciuitates nonnunquam ſupprimuntur 48
Dionis locus reſtitutus 165
Dionis Chryſoſtomi locus emẽdatus 84
Dionyſius Lambinus iure & meritò apud Cicer. lib. 2. de Finib. reſtituit, Qua de re agatur, pro Ea res agatur 147
Dionyſii Lambini laborioſiſſima & eruditiſſima ad Ciceronem ſcholia 147
diuites detrimenta animoſius non ferre 158
diuina humanáque dare 43
dolor vulneris maximis minimiſque corporibus par eſt 158
domeſticorum comes 2
Domitianus ad leniendam inuidiam interceſſit 27
δορυφόροι non milites quilibet, ſed prætoriani duntaxat nominantur 19
duo ſunt quæ claros duces faciunt, ſumma virtus, ſummáque felicitas 125
duplicarij dicti, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur inſtitutũ 118

E

Ebutianus præfectus Commodi temporibus interemptus 6

ἐκεχειρίαι



ἐκεχειρίαι breues induciæ 45
ἑκούσιος θάνατος, id eſt voluntaria mors 48
ἐκτροπίας οἶνος 69
ἐγχειρίδιον pugillares & pugionem ſignificare 23
edicta principum plerunque ſolebant ad ſenatum mitti, vt approbarentur & cõfirmarentur tanti ordinis auctoritate atque decreto 169
edictorum & conſtitutionum principis clauſula 169
εἰρήνη dicitur fœdus pacis cauſâ factum 42
εἰρήνη καὶ σπονδαὶ πολὺ διαφέρουσιν σφῶν αὐτῶν 44
εἰρήνην ἐξ ἴσου ποιοῦνται πρὸς ἀλλήλους ὁμολογήσαντες περὶ ὧν ἂν διαφέρονται ibid.
ἔμβαμμα 69
Empedocles deus immortalis haberi dũ cupit, ardentem frigidus Ætnam inſiluit 61
enſe ſiue gladio præfectus præt. accingebatur 9
ἔπαρχος, præfectus prætorio 4
ἔπαρχος τοῦ δορυφορικοῦ, & ἔπαρχος τῶν δορυφόρων, & ἔπαρχος τῶν στρατοπέδων ἔπαρχος αὐλῆς. 10
epiſtolaris apud Sidonium legendum, nõ epularis 83
epulum Iouis 32
equeſtris ordinis ſumma fuit dignitas præfectura prætoriana 9
equites duo haſtatis cuſtodibus ab Auguſto præfecti 8
equites Romani à ſenatoribus claui qualitate diſcernebantur 10
equites fuiſſe in prætorianis 3
equites fuiſſe prætorianos 8
Eraſmi Roterodami factũ nec excuſandum, nec ferendum 157
errorum monſtra horrenda 69
exauctorare, id eſt, inſignia militaria detrahere 105
exauctorationis formula 104
exauctoratio ſiue miſſio, non omnis ignominioſa eſt 105
exauctoratio ſimplex ſtipendio & ſacramento ſoluit, infamiã non irrogat 107
exceptione rei iudicatæ excluditur, qui rẽ, quæ antè in iudiciũ venit, petit 141
exceptiones ideo præſcriptiones nominatas, quòd à prætore dictari ante actiones, ipſiſque actionib. præponi & præſcribi ſolerent
ἐξωμίδες, breues tunicæ 86

F

Fabij Maximi non dimicare vincere fuit 123
Q. Fabij Maximus, cuius alioqui manſuetiſſimum ingenium fuit, transfugarum dextras præcidit 111
fama hominum etiã ægrotare dicitur 59
faſcicularia, id eſt lignum, fœnum, aquã ſtramen in caſtra portare 100
felices qui ſuo arbitrio moriuntur 28
felicitas ſumma, ſummáque virtus, duo ſunt, quæ clariſſimos duces faciũt 125
felicitate rerum geſtarum beneuolentiã, rebus aduerſis odia exercitus imperatoribus conciliari 127
feralis cœna 33
ferrum malè irato committitur 24
ferrum & gladium pro eodẽ vſurpari 25
feſtos & ſolemnes dies profuſiſſimè celebrare 32
fibularum vſum in veſtimentis veterum magnum fuiſſe 96
fidem & virtutem militum experiri dux dicitur à Cæſare 123
fidelis gloria nominatur, quæ vera & ſolida eſt, miniméque fallax 161
fidelis intentio, quæ conſtans firmáque eſt 161
fideliter ſedere dicitur, quod hæret nec eximi poteſt ibid.
fidelius ridere dicitur, cuius hilaritas ficta nõ eſt, & cui nulla ſolicitudo in alto eſt, qui malis alienis nõ ridet ibid.
filiam qui inceſtarat, ſaxo Tarpeio deijcitur
filiusfam. ex omnibus cauſis tanquam paterfam. obligatur 70
fiſcalem pecuniam ſiquis ſurripuerit, ſeu

in ſuos vſus conuerterit, in quadruplū eius pecuniæ quam ſuſtulit, condemnari ordinario iure 153
fiſco addita & incorporata fuerint oportet, atque ante biennium integrum, quæ petuntur 173
Flauius Genialis præfectus 6
Flauius Iuuenalis 7
Florentinus librorum index 169
fœdus pacis cauſa factum æquis legibus atque conditionibus, quod æquū Proculus vocat 42
formularum origo 144
formulas ſcribere iuriſperiti conſultoribus & clientibus ſuis dicebantur 143
fortium virorum eſt magis mortem contēnere, quàm odiſſe vitam 61. 63
fortitudo probè definitur à Stoicis, cùm eam virtutem dicunt eſſe propugnantem pro æquitate 117
fortitudinis munera duo maxima ſunt, mortis, doloriſque contemptio 117
fortitudinem non laudari, niſi quæ cū iuſtitia coniuncta & copulata ſit 116
fortuna ſiue felicitas in imperatore deſideratur atque laudatur 125
fortuna aduerſus imperia idem habet iuris quod aduerſus imperantes 54
Fronto, celeberrimus cauſarum patronus 89
fugitiuorum pœna erat, foſſam in conſpectu aliorum commilitonum fodere 101
funebre epulum, munus eſt funeris, epulæ ipſæ dignitatis 33
furti manifeſti pœnam eſſe quadruplam, nec manifeſti duplam 152
fuſte percuti, ξυλοκοπεῖσθαι, eum qui furto quidpiam in exercitu ſurripuerit 102
fuſtium caſtigatio, communis militum atque paganorum coercitio 99

G

γενέθλια 34
genios fatales populis diuidi, vt animas naſcentibus 60
gladiatores à Latinis dicuntur, qui à Suetonio meridiani, à Dione μονόμαχοι 38
gladiatores intra annum conſumi oportere 24
gladij nomen pro ſummo imperio accipitur 21
gladius merum imperium, & ius vitæ ac necis denotat 21
gratiæ quare tres, & quare ſorores ſint 96
Gulielmus Budæus, literarum vnicum decus 42

H

Hecuba à Græcis appellabatur canis 67
Heliogabalus dicebat ſe grauari onere voluptatis 95
Herculanenſe oppidum 55
Hieronymus veſtes ſericas in fœminis etiam reprehendit 92
Hieronymus quoſdam apoſtatas vocat rabidos aduerſus Chriſtū canes 67
Hieroſolymitanum templum à Veſpaſianis exuſtum, & ab Tito aratum fuiſſe 49
hilaria matris deûm 32
Hippodromus, locus erat publicus, ὅπου μάλιστα τὸ πλῆθος ἐκκλησιάζει 139
homines mortem vel αὐτόματον, naturalem, vel ἑκούσιον, voluntariā, vel βίαιον violentam obeunt 48
hordeum pro frumento admetiri 100
hordeum dabatur cohortibus quæ ſigna amiſerant 105
horti publico opponuntur 138
humanum genus morte damnatū eſt 59

I

Iac. Cuiacius, clariſſimus, & ſummæ apud literatos auctoritatis iuriſconſultus 41
ianuariæ calendæ 32
Iberus diues 136
ignauia militi maximo vitio vertitur 125
ignominiæ cauſa militem mitti 107
ignominioſa miſſio inter militum pœnas connumeratur 103
immortales eſſe ciuitates 48
immunitatem apud Athenienſes mercatoribus conceſſam fuiſſe 171

impera-



imperatores prouidendo, conſultando, cunctatione ſæpius quàm temeritate prodeſſe 129
imperatores quanta innocentia debent eſſe, quanta deinde omnibus in rebus temperantia, quanta fide, quāta facilitate, quanto ingenio, quanta humanitate 127
imperatorem præſtantiſſimum neminem fuiſſe, qui non idem fortiſſimus miles fuerit 128
imperatoris eſt non minus conſilio quàm gladio vincere 128
imperatoris virtus, bene ac prudenter imperare 129
imperatoris munus atque officium difficillimo negotio atque à perpaucis præſtari poteſt 129
imperatorium conuiuium 36
imperatoriæ virtutes, labor in negotiis, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo 127
importunorum & crudelium flagitatorum libido 173
incorporationem bonorum ſolemniter fieri debere 173
Indi philoſophi viuos ſe cremari iubent, inquinaríque putent ignem, niſi qui ſpirantes recipiat 62
ingratum, quod non eſt gratum neque placet 166
ingrato domino, id eſt inuito 166
innocentiam in imperatore requiri 127
inſignia præfecturæ prætorianæ 18
inſignia dictatoris & magiſtri equitū 21
inſignia conſulum quænam fuerunt 18
Ioannes apoſtolus Epheſum reuerſus eſt poſt obitum Domitiani 26
Ioannes poëta quidam epigrammatarius 56
Ioſephus carpentum reuerēdus aſcēdit, ad hoc gloriæ culmen euectus 19
Ioſephus Pharaonis præfectus præt. pater imperij appellatus 16
Iſiodorus non malus auctor 163
Iſocratis locus emendatus 46
Iudices tam Latina quàm Græca lingua ſententias proferre poſſunt 156
Iulianus togatus in piſcinam detruſus 6
ius gentium, quod commune ius gentium Aemilius Pr. vocat 46
ius ad ea potius debet aptari, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον, frequēter & facile, quàm quæ ἐκ παραλόγου & perrarò eueniunt 47
Ius cōſtat aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto, τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι 163
Ius omne, quod eſt certum, aut ſcripto, aut moribus conſtare 163
Ius vt ex legibus, ita ex longa conſuetudine proficiſcitur 165
ius genitum pietate hominum, ius certa dei mens 164
ius à lege proficiſcitur, nō lex à iure 164
iuriſconſultus is verè nominatur, qui legum & conſuetudinis, qua priuati in ciuitate vtuntur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cauendum peritus eſt 164
iuriſperitorum cautiones vnde appellatæ ſint 143
Iuriſprudentiæ & philoſophiæ ſtudia coniuncta & affinia eſſe 116
Iuriſprudentia ab Vlpiano vera philoſophia optimo iure nominatur 116
Iuſtitiam virtutum omnium eſſe perfectiſſimam Iuſtinianus imperator aſſeuerat 116
Iuuenales ludos priuatos fuiſſe 138

L

Labor honori adiungitur in adminiſtrationibus 18
Lacernæ coloris improbi 94
Lætus ſub Commodo præfectus 6
Lampridij locus emendatus 80
Lampridij locus corruptiſſimus 29. eiuſdem loci emendatio 30. & 31
lana Tarētino violas imitata veneno 94
lanæ & per ſe coactam veſtem faciūt 65
lanas in tomenti vſum venire, id eſt tomenti loco eſſe 65
laticlaui honor. i. ſenatoria dignitas 9

laticlauia, eſt ſenatoria veſtis, πλατύσημον ἐσθῆτα vocant 10
Latinè olim decreta interponi oportebat, non Græcè 156
legiones totas interdum male multatas fuiſſe 103
lex naturali quam condidit imperio ius 164
lex ſcripto conſtat 163
lex non proficiſcitur à conſuetudine, à qua omnino ſeparatur, adeò vt ei aduerſari exiſtimetur 163
lex à iure non proficiſcitur, ſed ius à lege 164
lex ſi ratione conſtat, lex erit omne iam quod ratione conſtiterit 164
legem à iure naturali deſcendere 164
leges bonæ ex malis moribus naſcuntur 174
leges ne exſcriberentur διὰ σημείων conſtituerat Iuſtinianus, ſed δι' ὅλου 69
liberum mortis arbitrium permittere principes queunt 26
liberam mortis facultatem concedendi ius præſides non habent ibid.
Libertinus, qui à pugione appellatus eſt 6
Libonianum ſenatuſconſultum 169
litis gratia abeſſe, δίκης ἕνεκα ἀπεῖναι 131
liturgi, id eſt munifices & operarij 102
loca publica & religioſa ſunt, palatium, prætoria, fora, baſilicæ, curiæ, ſtadia, theatra, horrea, fana, templa, ſtatuæ, aræ, muri, portæ, aliáque eiuſmodi 154
Lucius Tarutius Firmanus Chaldaicis rationibus eruditus 56
Lucullus acto triumpho vrbem & ſuburbanos vicos conuiuiis excepit 24
ludibriis & helluationi vacare 35
ludi Apollinares 32
ludus regni ſortito ducti inter pueros æquales 35
ludum ad iudices exercere quid ſit 34
Lugdunum incendio vaſtatum 54
luſtrico die nomina Romanis infantibus imponebantur 34
luxus magnis opibus exitioſa res 60
luxuria conuiuiorum, quomodo veſtium, ciuitatis ægræ indicia 58
Lyſiæ locus reſtitutus ἐν τῷ ἐπιταφίῳ τοῖς κορινθίων βοηθοῖς 120.125

*M*

Macedonianum SC. à Macedone quodam ſic dictum 68
Macrinus à ſeruis ſuis dictus Macellinus, quòd Macelli ſpecie domus eius cruentarentur ſanguine vernularum 109
macte virtute eſto, ſanguinolentis & ex acie redeuntibus dicebatur 119
magiſtri officiorum, qui aulico miniſterio præerant 29
magiſter equitum in vrbe togatus erat 21
maire du palais. 2
maior palatij ibid.
maior domus regiæ ibid.
maior domus ſub rege Francorum Clothario 8
maiora aut certè paria conatur animus magnus ac perditus 159
manus excidi deſertoribus 108
manuleatæ tunicæ 86
Marcellini locus emendatus 95
Marcellinus de tribus terræ motuum generibus 55
Martino pia erat ſolicitudo, vt non ſolùm Chriſtianos, ſed ipſos etiam hæreticos liberaret 22
Marcellus ab Annibale vt miles collaudatus, vt dux atque imperator irriſus 128
mathematicorum doctiſſimi centum & viginti annos homini ad viuendum datos indicant 47
matronas intra vrbem penulis vti vetuit imperator, in itinere permiſit 86
matutina ſpectacula beſtiariorum 38
Maximini crudelitas 109
Maximinum tam crudelem fuiſſe, vt illum alij Cyclopem, alij Buſiridem, alij Sironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gygem vocarent 109

mer-



mercatoribus apud Athenienſes immunitatem conceſſam fuiſſe 173
meridiana ſpectacula erant gladiatorum 38
meridianos Suetonius vocat eos, qui à Dione μονόμαχοι dicuntur 38
μητρόπολεις 57
milites prætoriani δορυφόροι nominabantur 9
militum principalium nomina & dignitates 101
milites in metallum dari, in furcam dãnari, aut aliis plebeiorum pœnis affici ius prohibet 110
milites qui aliquid prouincialibus per vim abſtuliſſent, in illis ipſis locis in quibus peccauerant, in crucem tolli 108
milites non minùs debent eſſe modeſti & continentes quàm fortes 127
militis munus atque officium eſt, libenter & cum animi quadam alacritate ſtudióque parere 128
militis eſt gladio vincere 128
militiæ mutatio erat, cùm ex iis qui equo meruerant, peditum numero iubebantur militare 99
militiam vrbanam reſpondendi, ſcribendi, cauendi, plenam ſolicitudinis ac ſtomachi ſequi 143
militiam appetere litis cauſa 107
militiam ſubire euitandorum munerum cauſa 107
militia auocari, exauctorari, ſacramento ſolui, & ignominia mitti 103
militares pœnæ extraordinariæ 109
militaris diſciplina aſpero & abſciſſo caſtigationis genere indiget 110
militare delictum eſt, quod extra caſtra & in pace nullum, aut perleue ſaltem eſſet 98
minium addi in cœnarum triumphalium vnguentis, & ipſa triumphantium corpora minio illini ſolita 24
minùs ſoluit qui tardiùs ſoluit: nam & tempore minùs ſoluitur 156
miſſio ignominioſa delictum exprimit, ob quod fit miſſio 107
miſſiones aliæ ſunt non ignominioſæ, ſed honeſtæ 105
mitras ornamentorum eſſe 89.90
modeſtiam & continentiam non minus in milite, quàm virtutem & animi magnitudinem deſiderari 127
modo & non, eadem ſcribendi ratione in anguſtum plerunque contrahi 78
μονόμαχοι à Dione dicuntur ij, qui meridiani à Suetonio 38
mori vrbes vt homines 48.56
mortem plerique ſibi conſciſcunt vel ob conſcientiam criminis, vel tædio vitæ, vel doloris impatientia, vel iactatione 61
ad Mortem venire ſine odio vitæ, mortem admittere non attrahere 63
mors vltimum omnium, ad quam non pigrè ire ſatis eſt 63
mortis genus eligere rei non poſſunt 26
mortem fugere tam turpe eſt, quàm ad mortem confugere 157
mors, αὐτόματος ἑκούσιος, βίαιος 48
mortis arbitrium, fati electionem Seneca vocat 28
mos, eſt vetuſtate probata conſuetudo, ſiue lex non ſcripta 163
mores nunc nihil facere quod licet, niſi quod lubet 172
Moſem Dei familiarem CXXV. annos vixiſſe 47
Motilenus præfectus prætorio per ficus veneno interemptus à Commodo 6
muliebrem veſtem Lycij induebant, cùm ijs luctus inciderat, vt deformitate cultus commoniti, maturiùs ſtultum proijcerent mœrorem 87
multitia teſtem quæro an deceant 94
municipes centum annis placuit tuendos in vſufructu 46
munifices, qui non vacabant, ſed principi munus faciebant 101
munifices ab eo appellantur, quòd hæc munera faciant, & facere cogantur, quæ principales milites non faciunt 101

muri ſancti ſunt, & quodammodo diuini iuris 154
muros ſi quis violauerit, ſicut ſi quis tranſcendat, ſcalis admotis, vel alia qualibet ratione, eum capite puniri 154
mutationis periculo nihil exceptum 59
mutatum vinum, id eſt aqua nimia dilutum & prope perditum 68

N

Naſci vrbes quæ conduntur 56
natalis Romæ dies ibid.
natalitiorum dies 32
natalitia dare 34
naturam ad vocabula imponenda homini ducem fuiſſe 79
natura & noſtra eodem modo per compendium ſcribi 80
nauicularios qui annonæ vrbis ſeruiunt, immunitatem à muneribus publicis conſequi 170
negotiatores qui annonam vrbis adiuuant, immunitatem à muneribus publicis conſequi 144
Nero mori iuſsis non amplius quàm horarium ſpatium dabat 28
Nero Senecam familiarem, præceptorémque ſuum ad eligendæ mortis coëgit arbitrium 28
nomen apud Lampridium debere reponi pro omnes 81
nomina pueris ſeptimo die apud Græcos imponebantur 34
nomina liberis apud Romanos maribus quidem nono, fœminis verò octauo die imponebantur 34
νόμου διαιρέσεις δύο, ὁ μὲν γεγραμμένος, ὁ δὲ ἄγραφος 163
notatis, & quos ſcelus vitæ aut turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis portas non patere 140
Notitia Romani imperij, nomina diœceſeon atque prouinciarum complectitur 8
nouetur fortaſſe legendum apud Cic. lib. 4. de Finib. non mouetur 145
nullus pernicioſior hoſtis eſt, quàm quem audacem anguſtiæ faciunt, longéque violentius ſemper ex neceſsitate, quàm ex virtute corrigimur 159
nunc apud Claudianum reponi debere pro non 84
nuptiarũ temeratores gladio puniri 24

O

Obſequiorum nomen ad clientes & neceſſarios, qui officij cauſa deducere ac proſequi potentiores in publicum ſolent, referendum eſt 133
obſeruari parentes à liberis, & liberi à parentibus dicuntur, hoc eſt coli ac diligi 133
obſeruare, duo ſignificat, vel ſpeculari, vel venerari 132
obſeruare, θεραπεύειν, courtizer, ou faire la court, ſignificat etiam τηρεῖν, παρατηρεῖν, & ἐπιτηρεῖν, φυλάττειν 135
obſeruatus quid ſit apud Ciceronem 132
omen apud Pollionem legendum videbatur pro omnes 81
omnes, in acclamationibus peragẽdis & finiendis ſolemne verbum fuiſſe 82
omnia mortalium opera mortalitate damnata 48
oneribus ſuis capacem domum requirere 95
onere voluptatis grauari 95
onerare digitos cenſu opimo 95
ordinationes, διατάξεις 174
ὀρανοῦ apud Dionem legi debere pro ὄνου 84
ὄξος σκευαστὸν 69

P

Pactionem Cicero nominat conuentionem hanc quæ fit pacis cauſa 41
palatij regalis comites 2
palatiũ, imperatorũ Romanorũ domus 1
palatium dicitur locus ille, in quo antiquitus Galliarũ reges morabantur 2
palliũ viris & mulieribus conuenire 86
Pandectarum Florentinarum locus reſtitutus 72
Pandectarum Florentinarum improbata lectio 77
Pandectæ ex quibuſnam libris conflatæ 169
paragaudæ auro intextæ 95
παραγραφὴ, præſcriptio rei iudicatæ 142
παρατίλσεις euulſi pili 93
parlamentum 2
Paternus præfectus 6
patricius præfecto præt. præfertur 17
patriciatus honorem ſublimem cæteris omnib. anteponi 16
patroni cauſarum litiúmque ordinatores, quos aduocatos dicimus 144
paupertas fœcunda virorum fugitur, totóque accerſitur orbe quo gens quæque perit 94
paupertati impudentiam adiicere 168
pax placita, quæ inter belli duces conſtituitur 41
pax victoria, non pactione parienda eſt ibid.
pax placere non poteſt iis, quibus peſsima & immodica cupiditas eſt 42
peculatus crimen committi, ſi de re ciuitatis aliquid ſurripiatur 154
peculatus crimẽ extra ordinem pro qualitate delicti, & perſonæ dignitate punitur 152
pecuniæ nomine tam corpora quàm iura contineri 156
pecudis & canis ſatis apta coniunctio 68
pecudum nomine oues, capras, boues, equos, mulos, aſinos, & ſues, non etiam canes contineri 68
pedites domeſtici 2
πεῖραν ἀρετῆς apud Plutarchum legendum non ἀρχῆς 121
penulas vtrique ſexui conuenire 86
Perennis præf. ſub Commodo 6.12
perfidia militi maximo vitio vertitur 125
περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλὴ, qua de re agitur 148
perſonæ viles humiléſque 140
Pertinax Cõmodo in imperio ſucceſsit 6
petitorum impudentium numerus hodie magnus eſt in aulis principum 174
petitorum nimia cupiditas 174
petitorio pittacio vno plurium fortunæ ne poſtulentur 173
Phlegontis Tralliani liber περὶ θαυμασίων καὶ μακροβίων 47
Philippus Macedo maioribus ob imperatorium conſilium quàm ob virtutem militarem laudibus afficiebatur 128
pilos velli non minus moleſtum eſſe caluis quàm comatis 158
pingues lacernæ, pinguis toga 97
Pipinus, maior domus, comes palatij, ſiue præpoſitus palatij 8
placita pax, iuratum fœdus, & conuenta ſiue pacta idem ſignificant 41
Platonis locus in Phædro expoſitus 148
Plautiano præfecto erectas fuiſſe plures & grandiores quàm imperatori ſtatuas 11
Plinius de veſtibus ſericis 93
Plinij locus emendatus 65
Plutarchi locus in vita Marcelli reſtitutus 121
pœnam nec augeri nec minui debere 25
pœnam ampliare vel minuere præſides non queunt 26
pœnæ militares extraordinariæ 109
pœnarum quædam ſunt militum propriæ, quædam paganorum, quædam communes 97
pœnæ militum ſunt huiuſcemodi, caſtigatio, pecuniaria multa, munerum indictio, militiæ mutatio gradus deiectio, ignominioſa miſsio 98
pœna æquè dignus eſt qui ipſe vim adhibet, vt qui ab alio admota ad lucrum ſuum vtitur 157
pœnæ arbitrium ne cui nocenti præſtetur 27
Pollionis locus in vita Valeriani 81
Polygnotus Thaſius primus mulieres lucida veſte pinxit 90
Pompeij, celebris Campaniæ vrbs 55
pondera lacernarum, gemmarum 95

Pande-

i iiij

præcipitationis ſupplicium Romæ frequentari deſiit poſt leges Porciam & Valeriam 80
præfecti præt. verè merum habebant imperium 15
præfectorum præt. imperium ex principum voluntate vel perpetuum, vel momentaneum 16
præfecti præt. per horas ac dies mutabantur ibid.
præfectus hoc tantum à principe diſtat, quòd ſacram purpuram, & imperatorias infulas non geſtet 15
præfectorum præt. cenſuræ ſubditos eſſe prouinciarum præſides 15
præfectorum præt. auctoritatem in tantum meruiſſe augeri, vt ab iis appellari non poßit ibid.
præfectus præt. ad vicem magiſtri equitum inſtitutus fuit 2
præfectus vrbi etſi ius gladij & merum imperium habuit, gladij tamen gerendi poteſtatem non habuit 2
præfecti præt. auctoritas & poteſtas maxima præ magiſtratibus reliquis: dignitas verò inferior conſulari & patriciatus honore 16
præfecti prætorio tres 6
præfectus præt. auctoritate ac poteſtate patricium & conſulem ſuperat 17
præfectos duos ſub Antonino Caracallo ſimul fuiſſe 7
præfecti prætorio officium 3
præfectis præt. datam pleniorem licentiam ad diſciplinæ publicæ emendationem 5
præfectum præt. patrem imperij vocari Caßiodorus innuit. ibid.
præfectus præt. 2. præfectus caſtrorum 2. præfectus aulæ 2
præfectorum ſemper magna fuit auctoritas 11
præfecti præt. ſub poſterioribus imperatoribus fuerunt 8
præfectorum prætorio paulatim creuit auctoritas 14
præfectorius in conſulum renunciatione præfertur ei, qui præfecturam non geſſit 18
præfecturæ meritum cæteris dignitatibus anteſtare 15
præfecturæ prætorianæ inſignia, carpentum ſiue tribunal, & item gladius 18
præfectura prætoriana ſumma fuit equeſtris ordinis dignitas 9
præſcribere apud Ciceronem & Cæſarem eſt, antè ſcribere 142
præſcribere dicebantur iuriſconſulti, cùm ſuis clientibus præcipiebant, quibus actionibus ius ſuum experirentur 144
præſcriptio rei iudicatæ, παραγραφὴ 142
præſides vt gladio accingebantur, ita gladij poteſtate in milites vtebantur 22
prætorium 1
prætoriana caſtra 2
prandium ~~quando primùm~~ populo datum 57
prandium populo mille menſis Tiberius dedit 35
prandium populo publicè dabatur inter matutinum & meridianum ſpectaculum 38
principia in omni negotio longè ſemper à perfecto fuere 91
proconſules gladij poteſtatem habuerunt 22
Proculi locus emendatus 63
proditorum pœna illa eſt, vt viui exurantur 110
proditores & transfugæ apud veteres Romanos variis ſuppliciis ſubdebantur 111
produci hanc plerunque vim habere, vt foras in publicum prodire 138
producti dicuntur ſcenici mimi & pantomimi, qui ludorum cauſa in theatrum prodeunt 138
propior via apud Senecam non prior 57
proprietas inutilis abſcedente vſufructu 46
proſcriptorum bona, quæ nondum fiſco nunciata, nondum addita nec incorporata ſunt, aliena dicuntur 172



προστάγματα 41
προστάγματά εἰσι, τὰ τοὺς ἑτέρους ἐλαττοῦντα παρὰ τὸ δίκαιον 44
protectores 2
protectorum duplex ſchola 2
Proteus philoſophus quidam ſe Olympiæ in ignem coniecit 62
pueri fingunt per ludibria poteſtates 35
pugillares non accinguntur lateri, ſed geruntur 23
putida mœcha, quòd haberet os fœtidum, & dentes putridos 63
Pythagoræ anni ſilentes 94

Q

qua parte corporis quiſpiam deliquerit, ea plectendum eſſe 24
Qua de re agitur 146
quatuor potißimum in ſummo imperatore ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem 127
Qnintiliani locus expoſitus 137. 140
Quirites pro militibus vocabantur qui exauctorandi eſſent 104

R

R literam apud Romanos Appium Claudium inueniſſe 57
rabulas pragmaticos & forenſes Apuleius viliſsima capita forenſia, pecora, togatóſque vulturios nominat 116
ralla veſtis, à raritate dicta 96
raræ veſtes 91
rapacitas inexpleta importunorum & crudelium flagitatorum 174
redimicula, ornamenta capitis 90
Regia aula 1
regiones vrbis Romæ fuiſſe quatuordecim 31
regni ſortitò ducti ludus 35
repotiorum dies 32
res nulla conſummata dum incipit 91
res alienas ab imperatore peti Flauius Claudius edicto vetuit 171
reſpectare, retro & vice mutua expectare 134
reſponſa prudentum vnde appellata ſint 143
reorum adhuc viuentium bona, aliena dicuntur 172
Rhodanus celer 136
Romam natam eſſe, cùm eſſet in iugo luna 56

S

ſacerdotes amat, qui bona fide deum colit 161
ſanctam & liberam iam eſſe à legibus ambitionem atque auaritiam 172
ſanguinolentorum, id eſt recens natorum, & adhuc à matre rubentium plerique extinguntur ante ſeptimum diem 34
Saturnalia 32
ſcelus eſt in conuiuio damnari hominem, quid occidere ad arbitrium meretricis? 36
ſcena eſt, qua ludorum faciendorum cauſa quolibet loco, vbi quis conſiſtat moueatúrque, ſpectaculum ſui præbiturus, poſita ſit 139
σκιλλιτικὸν 69
ſcribere iura, formulas, actiones iuriſperiti dicuntur 143
ſcribere & præſcribere 144
ſcribendi per compendium ratio illicita & improba 76
Scyllam ſaxum eſſe, & quidem modo terribile nauigantibus 79
ſeculum, ſpatium annorum centum vocarunt, dictum à ſene, quòd longißimum ſpatium ſeneſcendorum hominum ſit 47
ſecuris pœna quàm gladij cenſetur grauior & ignominioſior 25
Seianus cohortibus prætoriæ ſub Tiberio præfectus 11
ſella curuli quinam vehi ſolebant 19
ſenatores interdum equeſtri, equites nunquam ſenatoria veſte vtebãtur 10
ſenatores Alexander præfectos præt. idcirco eſſe voluit, ne quis non ſenator de Romano ſenatore iudicaret 10
ſenator præfectus prætorio eſſe non poterat 9
ſenatorius prandendi mos 39

*Senecæ locus in epiſtolis emendatus* 79
*Seneca veſtes ſericas improbat* 92
*Senecæ loca explicata* 157
*ſententiam mutare neminem poſſe* 25
*ſeptimo die nomen liberis imponi, & conuiuium decimo die propinquis parari* 34
*ſeruitus paucos, plures ſeruitutem tenent* 160
*Sidonij Apollinaris locus emendatus* 83
*Sigiſmũdus Gelenius vir doctiſsimus* 65
*ſignum dare, non itẽ præbere dicimus* 151
*ſimulatio nihil proficit, paucis imponit leuiter extrinſecus inducta facies* 161
*ſingulorum bona ſingulis libellis petantur* 173
*ſinum qui furanti præbuit, perinde habetur atque ſi manifeſti furti condemnatus eſſet, & famoſus efficitur* 151
*ſinum præbere furanti, eſt partem veſtimenti laxiorem, pecuniæ, reive alterius in occulto habendæ gratia, furi accommodare* 151
*in ſinus eius collata ſunt, apud Paulum Iuriſconſul. legendum, non in funus eius* 152
*ſolemnes & publicas cœnas, ſolemnibus ciuium diebus agitari ſolitas* 32
*Solidum non ſoluitur non minus quantitate, quàm die* 156
*Solon laudatur ab Anacharſide, non modò quòd eum intellexerit* νόμων ξυγγραφέα εἶ*, ſed etiam* ἐθῶν τῶν ἀρίστων εὑρετὴν, καὶ ἐπιτηδευμάτων ὠφελίμων εἰσηγητὴν 163
*ſpectacula matutina beſtiarum, meridiana gladiatorum* 38
*ſponſaliorum dies* 32
σπονδαὶ ἐξ ἐπιταγμάτων 43
σπονδὰς τοῖς ἥττοσιν ἐξ ἐπιταγμάτων ποιοῦνται ὅταν κρατήσωσι κατὰ τὸν πόλεμον οἱ κρείττους 44
σπονδαὶ κατ᾽ ἀνάγκην ἐξ ἐπιταγμάτων γίγνονται 44
σπονδαὶ *in longum tempus complurium annorum pacta induciæ* 45
*ſtatuta, id eſt ſub conditione libertas* 78
*ſtatuliber* 78
*ſtolæ, muliebria veſtimenta* 189
*Suetonij locus in dubium vocatus* 31
*Suetonij locus emendatus* 103. 113
*Suetonius memoria lapſus Veſpaſiani temporibus per errorẽ tribuit ea, quæ Claudio imperante conſtituta eſſent* 169
συνθήκη 41
συνθῆκαι ἐκ τῶν ἐπιταγμάτων 42
συνθῆκαι ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, & συνθῆκαι τῆς αὐτονομίας 42
συνθῆκαί εἰσιν, αἵτινες ἴσως καὶ κοινῶς ἐν ἀμφοτέροις ἔχουσι 44
συνθῆκαι τὰς πόλεις αὐτονόμους ποιοῦσι 44
συνθηκῶν, *interdum generale nomen* περὶ τῶν σπονδῶν *accipitur* 45
συνθήκας ἐκ τῶν ἐπιταγμάτων φεύγειν ὡς ἐγγὺς δουλείας οὔσας 4
*ſyntheſes, cœnatoriæ veſtes* 88

T

*Taciti locus integritati ſuæ reſtitutus* 28
*Taciti locus emendatus* 80
*Taciti locus reſtitutus & expoſitus* 166
*Tacitus, fideliſsimus annalium ſcriptor* 169
*Tarentini dicebãt ſe ſolos viuere, quòd otio & voluptatibus fruerentur* 94
*Tarentini homines luxu diffluentes, & prope perditi* 94
*Tarentina purpura rubra* 94
*Tarpeium ſaxum, ſupplicij locus* 112
*Tauraniam in agro Campano intercidiſſe* 56
*Termiſum Vaccæorum oppidum* 52
*terræ motu ac tremore ciuitates nonnunquam deſident* 48
*Tertulliani locus emendatus* 140
*Tertulliani locus emendatus & declaratus* 167
*Tertulliani locus emendatus, vbi de luxu fœminarum agit* 95
*teſtamento & teſtimonio eadem ratione temone adpoſito in paucas literas contrahi ſolere* 80
*teſtatorum voluntates pleniùs & pinguius interpretari oportere* 85
*Themiſtij locus reſtitutus* 129
*Themiſtocles Athenienſis tanquam* ἀνὴρ στρατηγὸς ξυνετώτατος *à Thucydide laudatur* 128
θεραπεύειν, *obſeruare, curare, colere,* courtizer, ou faire la court 135
*Tiberij crudelitas* 112
*Tiberij temporibus decretum fuiſſe, ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierẽt, ne veſtis ſerica viros fœdaret* 91
*tigres leonéſque nunquam feritatem exuunt, aliquando ſubmittunt: & cùm minimè expectaueris, exaſperatur toruitas mitigata* 161
*toga non ſolùm viri, ſed & fœminæ olim vtebantur* 86
*tomentum ſtuppeum* 66
*tomentum duplex fuit, aut lingonicum aut Circenſe* 65
*transfertur actio apud Vlpianum legendum, non tranſactio* 72
*transfugarũ dextras Fabius præcidit* 111
*transfugarum pœna illa eſt, vt viui exurantur, aut furca ſuſpendantur* 110
*translatio iudicij* 72. 73
*translatio litis à domino in procuratorem* 73
*tribunal ideo tam excelſum factum eſſe, vt locati ibi nihil humile abiectúmque cogitent* 19
*tribunus* χιλιαρχεῖν *dicitur non* ἐπαρχεῖν 19
*tribuni nonnunquam in prouincias mittebantur cum iure gladij* 22
*triclinaria veſtimenta, veſtes erant cœnatoriæ* 88
*Triphonini locus emendatus* 40
*triumphales cœnæ* 35
*Tullius Criſpinus præfectus* 6
*tunicas viris & mulieribus conuenire* 86
*tutor & curator ſunt in eadem conditione* 75

V

*Vappa* 69
*Varro linguæ Romanæ peritiſsimus* 118
*Varronis locus de lingua Latina emendatus* 80
*Vel, etiam in Pandectis Florentinis trãſpoſitum* 162
*venam ſolui, & ſanguinem mitti ignominiæ cauſa* 102
*venas mortis gratia incidere, Nero curare vocabat* 28
*veneno necandi antiquitus pœna ab Athenienſib. frequentata* 26
*verba interire & renaſci* 59
*verbi vniuſcuiuſque duas naturas eſſe* 80
*veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt* 161
*Veſpaſianus bello potius quàm iure adminiſtrando aut conſtituendo aſſuetus* 69
*veſtimenta pellucida, quæ corpus magis nudant quàm tegunt* 91
*veſtimenta parãda quibus pellatur frigus, non quibus veſtiti corpora nudentur* 92
*veſtes lineæ, ſericæ carbaſeæ, byßinæ, bombycinæ* 91
*veſte holoſerica primus Romanorũ Antoninus Heliogabalus vſus eſt* 91
*veſtes ſericas viros fœdare* 91
*veſtium luxuria, ciuitatis ægræ indicia* 58
*veſtis muliebris* 85
*Veturius Macrinus* 6
*vicarius quinam dicatur* 20
*Victoris libellus de regionibus vrbis* 31
*vilitas non vtilitas legendum apud Vlpianum, Curtium, Vopiſcum* 61
*vilitas ſui, hoc eſt vitæ contemptus* 61
vin tourné ἐκτροπίας οἶνος 69
*vini quatuor genera primùm appoſita* 37
*vinum mutatum* 69
*viri propria maximè eſt fortitudo* 117
*vir fortis ac ſapiens non fugere debet è vita, ſed exire* 63
*virtus à viro appellata* 117
*virtus nihil inexpertum omittit* 61
*virtus nulli non viuo & mortuo retulit gratiam, ſi modò illam bona ſecutus*

*eſt fide, ſi ſe non exornanit & pinxit* 161
*virtus æquè laudabilis eſt in corpore valido ac libero poſita, quàm in morbido ac vincto* 157
*virtutem & fidem in militibus potiſſimum requiri* 122
*virtus ſumma, ſummáque felicitas, duo ſunt, quæ claros duces faciunt* 126
*virtute duce, comite fortuna imperatores omnia ſumma conſequi ſolent* 126
*virtus belli, & ſapientia pacis, duo ſunt, quibus extulit ingens Roma caput* 119
*virtus fortitudinem plerunque ſignificat apud bonos auctores* 117
*virtus militaris eſt fortitudo: virtus imperatoria præter fortitudinem, alia permulta complectitur.* 127
*virtus rei militaris præſtat cæteris omnibus* 119
*virtutes imperatoris quæ ſint* 127
*virtus imperatoria* ἀρετὴ στρατηγικὴ 125
*virtus imperatoris & militis alia eſt atque alia* 129
*virtutis experimentum dare* πεῖραν ἀρετῆς διδόναι 123
*vitæ finis longiſſimus, centum anni* 46
*vitam ne nimis amemus, & ne nimis oderimus* 63
*vitibus cædi. vitis in delictis pœnam ipſam honorabat* 99
*vitia bona fide nunquam manſueſcunt* 161
*vitrea veſtimenta* 97
*viuimus inter peritura* 48
*viuentem nullum competitioni ſubiacere, niſi quem crimini obnoxium capitalis ſententia deportationi addixerit* 173
*Vlpiani locus emendatus* 61
*Vlpianus apud Alexandrum præfectus præt. plurimum potuit* 14
*Vlpiani locus explicatus & emendatus* 163
*Vlpiani locus emendatus* 147
*Vlpianus iuris peritiſſimus, iuris profeſſor, ſplendidiſſimi Papiniani diſcipulus, Alexandri imperatoris familiaris & ſocius* 85
*vnguentis Romani in cœnis priuatis caput & pectus perfundebant* 36
*vrbes omnes quæ vſquam rerum potiantur, vbi fuerint aliquãdo quæretur* 60
*vrbs re vera non moritur, quæ non vixit* 56
*vrbs dicta eſt à curuatura vrbi* 49
*vrbus, curuatura* 50
*vſucapio aduerſus fiſcum non procedit* 172
*vſusfructus non pluris æſtimari ſolet, quàm quãti eſt in reditu annorum triginta* 47
*vtiles actiones præferri directis* 75
*vxorem ducere aut retinere damnatam publico iudicio, ſenatori conueniens non eſſe* 155

X

*Xanthus vrbs Lyciorum in Aſia* 59
ξυλοκοπεῖσθαι *fuſte percuti* 102
ξυλοκοπίας *pœna* 99
ξύμβασις 41

Y

Ὕδωρ ἐπιχέας, ἀπώλεσας τὸν οἶνον 60
ὑπήκοος *ſubditus* 42
ὑποτελὴς *vectigalis* ibid.

Z

*Zarmarus quidam ex India philoſophis* 62
*Zeno Stoicorum familiæ ductor atque auctor, non tam rerum inuentor fuit quàm nouorum verborum* 145
*Zonaræ locus reſtitutus* 144
*Zonaræ teſtimonium de edicto Claudij de petitione rerum alienarum* 172
*Zoſimus quidam annum propè centeſimum & viceſimum vixit* 46






# PETRI FABRI REGII CONSILIARII ET LIBELLORVM ORDINARII MAGISTRI, SEMESTRIVM

## LIBER PRIMVS.

*PALATIVM, PRÆTORIVM, PRÆFECTVS prætorio, Prætorianorum, ſiue Protectorum duplex ſchola, equitum & peditum. Bini ſub Imperatorum pleriſque præfecti prætorio: & qui ab initio quibus ſucceſſerint.*

### CAP. I.

REGIAM Imperatorum Romanorum domum (quam Plutarchus in Galba καισάρων ἑστίαν, (id eſt, *Cæſarum domum*) Herodianus[1] βασίλειον οἶκον, βασίλειον αὐλήν, (*Regiam domum, regias ædes, regiam aulam*) nominat ex eo & Prætorium & Palatium eſſe dictam, quòd in Palatino monte Romę vt Fauſtulus & Romulus, ita longo pòſt tempore Cæſar Auguſtus, adepto & conſtituto imperio habitauerit, addocet[2] his verbis Dio Romanæ hiſtoriæ auctor grauiſſimus: καλεῖται δὲ τὰ βασίλεια παλάτιον, οὐχ ὅτι καὶ ἔδοξέ ποτε οὕτως αὐτὰ ὀνομάζεσθαι, ἀλλ' ὅτι ἐν τε τῷ παλατίῳ ὁ Καῖσαρ ᾤκει, καὶ ἐκεῖ τὸ στρατήγιον εἶχε, καί τινα καὶ πρὸς τὴν τοῦ Ῥωμύλου προενοίκησιν φήμην ἡ οἰκία αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ παντὸς ὄρους ἔλαβε, καὶ διὰ τοῦτο κἂν ἄλλοθί που ὁ αὐτοκράτωρ καταλύῃ, τὴν τοῦ παλατίου ἐπίκλησιν ἡ καταγωγὴ αὐτοῦ ἴσχει. (id eſt, *Imperatoris autem ædes palatium nominantur, non quòd ita aliquando decretum ſit, ſed quòd in palatio Cæſar habitabat, ibíque Prætorium eius erat, ac nonnihil domus eius à toto monte, quòd in eo olim Romulus inhabitaſſet, celebritatis accepit. Ideóque etſi alibi Imperator domiciliũ ſuum habeat, tamen id quoque palatij nomen obtinet.*) Quamobrem non modò Romæ, ſed aliis quoque in locis ſua principes Romanos palatia olim habuiſſe legimus: ac Mediolanenſis quidem in Genethliaco Maximiani Mamertinus commeminit, Conſtantinopolitani autem Imperatores in aliquo reſcripto Iuſtinianei Codicis[3]. Quo etiam exemplo Palatium à noſtris dicitur locus ille, in quo antiquitùs Galliarum Reges Lutetiæ plerunque morabantur: hodie Senatus Centum-viralis, quod Parlamentum vocant, iuris dicendi gratia cogitur. Ei palatio qui præfectus erat ſub iis Regibus, Comes palatij, & materna lingua, *Maire du Palais*: id eſt, maior palatij nominaba-

[1] *lib. 1. & 3*

[2] *lib. 53. vide Zonaram tomo 2.*

[3] *l. quicũque C. de operib publ.*

tur: qui Romanorum Imperatorum tempore præfectus prætorio dictus fuit: à Dione 1 ἔπαρχος τοῦ δορυφορικοῦ (*præfectus ſatellitij*) Burrus ſub Nerone, & ἔπαρχος τῶν δορυφόρων, (*præfectus ſatellitum*,) Perennis ſub Commodo: ab Herodiano 2 idem Perennis itémque Lætus ἔπαρχος τῶν στρατοπέδων, (*præfectus caſtrorum*): à Plutarcho 3 Nymphidius Sabinus ἔπαρχος αὐλῆς, (*præfectus aulæ*): vel (vt Spartianus loquitur 4) aulicæ domus, id eſt prætorij: nam aula eſt prætorium, vt beatus Marcus in Euangelio 5 docet. Ideo Cornelium Laconem Suetonius 6 præfectum prætorio vocat, quem τῆς αὐλῆς καὶ τῶν δορυφόρων ἔπαρχον ἀποδεδεῖχθαι, (*aulæ ac protectorum ſiue haſtatorum præfectum creatum fuiſſe*) Plutarchus 7 memorat. Gregorius quidẽ Turonenſis ſub Childeberto Rege Romulfum quendam, itémque Trudulfum palatij regalis comites, Florentianum verò maiorem domus Regiæ fuiſſe ait 8. Sigeberti tamen, Chilperici, Clotharij & Clodouæi regum temporibus, comitem, rectorem, præfectum, prępoſitum domus regiæ ſiue palatij eundem fuiſſe, cum maiore domus, vel maiore domus palatij, Aimoini ſiue Annonij cuiuſdam monachi teſtimoniis prope innumeris comprobari è Francica ipſius hiſtoria deſumptis poteſt 9. Ego itaque non valde aberraturum credo, ſi quis præfectum, præpoſitum, aut comitem palatij, vel ſi maiorem domus præfecto prætorij, protectorúmque prætorianorum comparauerit, qui domeſticorum comes in aula Conſtantinopolitana dicebatur 10: namque Protectores erant οἱ αὐλικοὶ καὶ στρατηγικοὶ προσαγορευόμενοι, (*Qui aulici & Imperatorij dicebantur*,) vt Plutarchus ſcribit 11 τάξιν ἔχοντες δορυφόρων, (*Munus habentes ſatellitũ*) qui aulici, ſiue domeſtici, & prætoriani nominabantur: ſacri lateris cuſtodes à Martiale, 12 ab Herodiano 13 φυλάσσοντες τὴν βασίλειον αὐλὴν δορυφόροι, σωματοφύλακες καὶ πραιτωριανοί: (*Cuſtodientes regiam aulam, ſatellites corporis cuſtodes & prætoriani.*) quòd & prætorium obſeruarent, & latus principis tegerent. Eorum verò cohortes in palatio ſtationem agebant teſte Tacito 14, ex Italis plerũque, Iberis, Macedonibus & Noricis, ſiue Germanis militibus conflarę: id quod idem Tacitus, 15 & Suetonius 16, & Dio 17 tradunt. Nã ſub Tiberio Romæ caſtra conſtituta fuiſſe, quibus prętorianæ cohortes vagæ ante id tempus, & per hoſpitia diſperſæ continerentur: quæque ex eo prætoriana caſtra dicerẽtur, iiſdem auctoribus didicimus 18. Ac de his quidem prætorianis, ſiue protectoribus domeſticis accipiendum puto, quod panegyriſtes ait 19: Arma igitur & iuuenes cũ gladiis atque pilis non cuſtodiæ corporis ſunt, ſed quidam Imperatoriæ maieſtatis ſolennis ornatus.

Duplex verò Domeſticorum protectorum ſchola fuit, vt ex Imperatorum reſcripto 20 colligitur, peditum & equitum. Ad pedites domeſticos hæc Iuliani 21 verba pertinent: ἐπιτρέψαντες οὖν σοι τὴν τῶν ὅπλων χρῆσιν, ἀπεστείλαμεν τε πανοπλίαν, ἣ τέως τοῖς πεζοῖς ἁρμόττει· κουφοτέρα δέ ἐστιν αὐτὴ τῆς τῶν ἱππέων· ἐγκατελέξαμεν δέ σε τῷ τῶν

1 *Vide Xiphilinum in Nerone & Commodo.*
2 *lib. 5. hiſt.*
3 *in Galba ſub initium. ſic & apud Euagriũ lib. 3. cap. 32.*
4 *in Adriano.*
5 *cap. 15.*
6 *in Galba cap. 14.*
7 *in Galba.*
8 *lib. 9. hiſt. cap. 12. & cap. 30.*
9 *lib. 3. de geſt. Francor. cap. 4. & 57. & li. 4. cap. 6. 14. 15. 19. 37. 38. 44. & 46.*
10 *vide Græcã notitiam Imperij Conſtantinopol. & Aimoinũ li. 4. de geſt. Franc. cap. 109.*
11 *in Galba & in Othone.*
12 *lib. 6. epigram.*
13 *lib. 2. 5. & 8.*
14 *lib. 16. annal.*
15 *lib. 1. annal.*
16 *in Caligula cap. 58. & in Galba cap. 12.*
17 *Vide Xiphilinum in Seuero.*
18 *vide Xiphilinum in Seuero, Tacitum lib. 4. annal. Suetonium in Octauio cap. 49. Tiberio cap. 37. & Claudio cap. 21.*
19 *Mamertinus in panegyrico Iuliani.*
20 *l. 2. C. de domeſtic. & protector. lib. 12.*
21 *ex epiſtola ad Leontium.*

οἰκείων



οἰκείων συντάγματι, (*Conceſſo igitur tibi armorũ vſu, armaturam quoque miſimus qualis peditibus conuenit, éſtque ea leuior, quàm equitum. Adlegimus te verò in domeſticorum numerum &c.*) Equites fuiſſe in prætorianis, præter quàm quod Herodianus 1 & noſter Iuſtinianus 2 & Zonaras 3 poſt Suetonium 4 apertè docent, ex eo licet colligere: vel quòd prætorianos ob cædem Pertinacis pulſos ciuitate, itémque arma militaria ipſis & equos ademptos fuiſſe à Seuero imperij ſucceſſore, teſtis eſt Dio 5: vel etiam quòd ſub diſpoſitione Magiſtrorum equites tempore Dictatorum fuerint, iam inde à Largio dictatore & Spurio Caſſio magiſtro militum primis, vt auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſeus 6. Nam præfecti prætorio tale fere officium fuiſſe, quale olim Tribuni Celerum 7 qui ſic regi Romano iungebatur vt magiſter equitum dictatori, & ſecundum locum à principe obtineret, Pomponius 8 & Arcadius 9 Iuriſconſulti prodiderunt.

Non ab re autem eſt quod hic ait 10, Ad vicem magiſtri equitum non præfectum, ſed præfectos prætorio antiquitùs inſtitutos eſſe: non enim ſinguli, ſed plerunque duo ſimul, iam inde à primis Imperatoribus (quod nemo forſitan adhuc animaduertit) interdum etiam tres præfecti prætorio, eodem tempore ſummam adminiſtrarunt Rempublicam. Ac primùm quidem Caio Antiſtio & L. Balbo Coss. duos præfectos prætorianorum creauit Auguſtus: Mœcenatis ea in re (vt dicetur poſteà) conſilium ſequutus: ídque Dio veteris hiſtoriæ auctor optimus in hæc verba tradit 11: τότε τε γὰρ πρῶτον καὶ ἐπάρχους τῶν δορυφόρων δύο ἀπέδειξεν. οὕτω γάρ τοι αὐτοὺς καὶ ἐγὼ μόνους τῶν ἐπαρχόντων τινός, ἐπειδήπερ ἐκνενίκηκεν, ὀνομάζω. (*Prætorianorum quoque militum præfectos duos tum primùm inſtituit. Sic enim & ego eos qui omnia adminiſtrant quandoquidem ſic obtinuit, nomino.*) Præfectorum verò nomina non adfert.

Sub Tiberio quidem Seianus regendis prætoriis cohortibus collegam habuit patrem equitem Romanum, vt M. Terentius eques apud Cornelium Tacitum 12 in oratione ad Tiberium in Senatu expreſſit, & ab ipſo Dione 13 his verbis relatum eſt: οὗτος οὖν ὁ Σιανὸς χρόνῳ μέν τινι μετὰ τοῦ πατρὸς τῶν δορυφόρων ἦρξεν. (*Hic ergo Seianus aliquandiu vnà cum patre prætorianis militibus præfuit.*) Equidem Seium Strabonem ſub Auguſto etiam prætorianis cohortibus præfectum, eíque poſteà collegam filium Ælium Seianum fuiſſe datum ex eo demonſtrari poſſe arbitror: quòd neque illos à Tiberio ad præfecturam promotos fuiſſe legitur, & ſtatim ab Auguſti morte apud Conſules Pompeium & Apuleium (quorum anno Auguſtus obiit) Seium Strabonem in verba Tiberij iuraſſe Tacitus 14 auctor eſt, eúmque prætoriarum cohortium præfectum nominat. Adiicit poſteà, vbi de Druſo, ſimul prætorij præfectus Ælius Seianus collega Straboni patri ſuo datus, magna apud Tiberium auctoritate rector iuuenis & cæteris periculorum præmiorúmque oſtẽtator. At Strabone in Ægyptum miſſo, ſolus prætorianam præfecturam Seianus rexit, vt docet Dio 15: qui Neuium Sertorium Macro-

1 *lib. 4.*
2 *l. vlt. C. de domeſt. & protect. lib. 12. vide Cuiaciũ ad l. 1. eiuſdem tit.*
3 *annal. tomo 2. in Diocletiano, δομεστίκους δέ τινες τοὺς ἱππέας νομίζουσι.*
4 *in C. Caligula cap. 45. & in Claudio cap. 21.*
5 *vide Xiphilinum in Seuero ſub initium.*
6 *lib. 5. antiquit.*
7 *de his vide Plutarc. in Romulo & Numa.*
8 *l. 2. §. quod ad magiſtratus. & §. hũc magiſtratũ. D. de orig. iur.*
9 *l. 1. de off. præf. præto.*
10 *d. l. 1. in princip.*
11 *lib. 55. hiſtor.*
12 *lib. 5. annal.*
13 *lib. 57.*
14 *lib. 1. annal.*
15 *lib. 58. hiſtor.*

nem à Tiberio in Seiani necem prætorianis cohortibus præfectum fuiſſe, paulo pòſt tradit his fere verbis: ἐπέστειλε κατ' αὐτοῦ τῷ συνεδρίῳ διὰ Νεβίου Σερτωρίου Μάκρωνος, ἄρχειν τε αὐτὸν τῶν σωματοφυλάκων κρύφα προκαταστήσας. (*Per literas eum apud Senatum accuſauit, deditque perferendas Næuio Sertorio Macroni quem iam ante, clam prætoriis cohortibus præfecerat.*) Itaque poſt Seianum Macro prætorianis cohortibus præfuit ſub Tiberio & Caligula, ídque Tacitus 1 & Tranquillus 2 ſcribunt.

*1 lib. 5. annal.*
*2 in Caligula cap. 12. Enniã Næuiã Macronis vxorem qui tũ prætorianis cohortib⁹ præerat, ſolicitauit ad ſtuprum.*

Deinde, imperante Claudio, prætoriarum cohortium cura fuit penes Lucium Getam & Rufum Criſpinum: quos cùm Meſſalinæ memores & liberis eius deuinctos Agrippina crederet vxor Claudij, hac aſſeuerante diſtrahi cohortes ambitu duorum, & ſi ab vno regerentur intentiorem fore diſciplinam, transfertur regimen cohortium ad Burrum Afranium egregię militaris famæ, gnarum tamen cuius ſponte præficeretur, vt idem Tacitus 3 auctor eſt. Ante Getam atque Criſpinum, certe quidem eius ipſius Claudij temporibus, Rubrius Pollio prætorianis pręfuerat: ídque alicubi 4 Dio, quanquam obſcurè, ſubindicat.

*3 lib. 12. annal.*
*4 lib. 58.*

Rurſum duo ſub Nerone Fenius Ruffus & Ofonius, ſiue Sophronius Tigillinus in Burri veneno necati 5 locum cohortibus prætoriis pręfecti & impoſiti fuêre: qua de re ita ex Dione Xiphilinus, 6 τοῦτον μὲν οὖν φαρμάκῳ διώλεσε. Τιγελλῖνον δέ τινα Σωφόνιον ἀσελγείᾳ τε καὶ μιαιφονίᾳ πάντας τοὺς καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπους ὑπεράραντα σὺν ἑτέρῳ ἑνὶ ἐπὶ τὴν τῶν δορυφόρων ἀρχὴν κατέστησε. (*Eum verò veneno enecauit, Tigellinúmque quendam Sophronium petulantia & homicidiis omnes ſuæ ætatis homines ſuperantem, prætorianis militibus præfecit.*) Fenij Ruffi nomen ſuppreſſit Dio, Tacitus in annalibus expreſſit: nam vbi de Burro, Ciuitati grande, ait, deſiderium eius manſit per memoriam virtutis, & ſucceſſorum alterius ſegnem innocentiam, alterius flagrantiſſima flagitia & adulteria: quippe Cęſar duos prętoriis cohortibus impoſuerat Fenium Ruffum ex vulgi fauore, quia rem frumentariam ſine quęſtu tractabat: Ofonium Tigillinum veterem impudicitiam atque infamiam in eo ſequutus, ac quę illi pro cognatis moribus fuêre. Validior Tigillinus in animo principis ex intimis libidinibus aſſumptus. Proſpera populi & militum fama Ruffus, quod apud Neronem aduerſum experiebatur.

*5 Sueton. Nerone cap. 35. Tacitus lib. 14. & 15.*
*6 in Nerone.*

Sub Galba & Othone idem Tigillinus & Nymphidius Sabinus præfecturam prætorianam adminiſtrarunt, auctore Plutarcho, cuius hæc verba ſunt, 7 Νυμφίδιος γὰρ Σαβῖνος ὢν ἔπαρχος, ὥσπερ εἴρηται, μετὰ Τιγελλίνου τῆς αὐλῆς, (*Nymphidius enim Sabinus, vt dictum eſt, cum Tigellino præfectus aulæ, &c.*) & poſtea: εὐθὺς οὖν Τιγελλίνῳ μὲν τῷ συνάρχοντι προσέταξεν ἀποθέσθαι τὸ ξίφος. (*Statim igitur Tigellino collegæ gladium deponere mandauit.*) Itémque Proculus & Pollio, de quibus hæc quoque apud eundem Plutarchum 8 legas: καὶ Πρόκλον τὸν ἔπαρχον, ὃς εἶχεν ἔργῳ τὴν πᾶσαν ἀρχήν. (*& Proculum præfectum qui totum imperium reuera obtinebat.*) vbi haud dubium, quin ἔπαρχον rectè præfectum prætorio interpretemur, ex Tacito, qui Licinii pręfecti

*7 in Galba. vide & Suetoniũ in Galba cap. 11.*
*8 in Othone.*



fecti prætorio in annalibus mentionem facit 1. Sequitur apud Plutarchum: οἱ δὲ στρατιῶται, Πολλίωνος τοῦ ἑτέρου τῶν ἐπάρχων ὀμνύειν εὐθὺς εἰς τὸν Οὐϊτέλλιον κελεύσαντος. (*Milites verò, Pollione ex præfectis altero, vt illico Vitellio iureiurando fidem darent imperante.*) vbi quem ex præfectis alterum Pollionem nominat, equidem nõ Rubrium, qui ſub Claudio præfectus fuit, accipio: ſed Veſpaſianũ potius: de quo Suetonius 2 in hæc verba: Polla Nurſiæ honeſto genere orta, patrẽ habuit Veſpaſianum Pollionem ter tribunũ militum, præfectúmque caſtrorum. Hic Veſpaſianus Pollio auus maternus fuit Veſpaſiani principis Veſpaſiæ Pollæ filij.

*1 lib. 17. ſub finem, & lib. 18.*
*2 in Veſpaſiano cap. 1.*

Sub Vitellio Iulius Priſcus, & Alphenus Varus in locum P. Sabini ſubſtitutus prætoriarum cohortiũ præfecti ſimul fuêre, quantum ex his Taciti locis inuicem collatis aſſequi poſſumus. P. Sabinum (inquit) 3 prætorij præfectum ob amicitiam Cæcinnæ vinciri iubet, ſubſtituto in locum eius Alpheno Varo: & poſteà, Vitellius vt è ſomno excitus Iulium Priſcum & Alphenum Varum cũ XIIII. prætoriis cohortibus & omnibus equitum alis obſidere Apenninum iubet: & ſtatim, Quæ vbi Vitellio cognita, parte copiarum Narniæ cum præfectis prætorij relicta, L. Vitellium, &c. & alibi 4, Iulius Priſcus prætoriarum ſub Vitellio cohortium præfectus ſeipſum interficit, pudore magis, quàm neceſſitate: Alphenus Varus ignauiæ infamíæque ſuæ ſuperfuit.

*3 lib. 19. annal.*
*4 lib. 20. annal.*

Sub Veſpaſiano etiam Arrij Vari, penes quem, vt ſcribit Tacitus, 5 præfectura prætorij fuit, Cornelium Fuſcum collegam fuiſſe cõiicio, ex eo quòd vtrique ſimul prætoria inſignia data paulo pòſt idem auctor memorat: & Fuſcum eundem ſub Domitiano quoque præfectum prætorio fuiſſe de Suetonio [6] didici: quò fit vt Varo potius, quàm Fuſco & Arretinum Clementem & Titum quoque Veſpaſiani filium (quorum vterque Veſpaſiani principis temporibus præfecturam geſſit 7) ſucceſſiſſe arbitrer.

*5 lib. 20. ſub initium.*
*6 in Domitiano cap. 6.*
*7 vide Tacitum lib. 20. vbi de Varo & Clemẽte & Suetoniũ in Tito cap. 6.*

Sub Traiano Licinius Sura vt è Xiphilino [8] infrà 9 docebimus, ſub Adriano Tatianus & Similis, ínque horum vicem Turbo & Septicius Clarus præfecti prætorio fuêre: ídque in eorum Imperatorum vita Dio docet, itémque Spartianus[10] his fere verbis: Cùm Tatiani præfecti ſui, & quondam tutoris potentiam ferre non poſſet, niſus eſt eum obtruncare, &c. Cui cùm ſucceſſorem dare non poſſet quia non petebat, id egit vt peteret: atque vbi primùm petiit, in Turbonem tranſtulit poteſtatem, cùm quidem etiam Simili alteri præfecto, Septicium Clarum ſucceſſorem dedit.

*8 in Traiani vita.*
*9 cap. 3.*
*10 in Adriano.*

Antonino Pio, Romani orbis imperium obtinente, Ganius Maximus præfectus prætorij vſque ad XX. annum peruenit vir ſeueriſſimus, cui Tatius Maximus ſucceſſit: in cuius demortui locum duos præfectos ſubſtituit, Fabium Repentinum, & Cornelium Victorinum, vt Iulius Capitolinus memorat[11]: qui & Victorinum Furium eundem cum Cornelio, vt arbitror, præfectum prætorij ſub M. Antonino philoſopho fuiſſe innuit[12].

*11 in vita Antonini pij.*
*12 in M. Antonino philoſopho.*

Sub quo etiam, itémque ſub Commodo Imp. collegæ in præfe-

ctura prætoriana fuere Perennis, & T. Arruntenus Paternus, quod ex eo Dionis loco [1] addiſcimus, in quo de cæde Perennis ita loquitur: ὁ μὲν οὕτως ἐσφάγη, ἥκιστα δὲ τοῦτο παθεῖν, καὶ δι' ἑαυτὸν καὶ διὰ τὴν πᾶσαν τῶν ῥωμαίων ἀρχὴν ὀφείλων, πλὴν καθ' ὅσον διὰ τὴν φιλαρχίαν αἰτιώτατος τῷ Πατέρνῳ συνάρχοντι τοῦ ὀλέθρου ἐγένετο. (*Ille ſic eſt interfectus, quem minimè omnium vel ſui vel totius Romanorum imperij cauſa id ferre æquum erat, ſed qua ob dominandi cupiditatem imprimis cauſa interitus Paterni collegæ fuerat.*) Sed & obtruncato Perenni, eius vice duos ἐπάρχους, id eſt, *præfectos* conſtitutos fuiſſe à Commodo Herodianus in ipſius vita ſic ferè ſcribit: ὁ δὲ Κόμμοδος δύο τοὺς ἐπάρχους καταστήσας, ἀσφαλέστερον ᾠήθη μὴ ἑνὶ πιστεύειν τοσαύτην ἐξουσίαν, μερισθεῖσαν δὲ αὐτὴν ἀσθενεστέραν ἔσεσθαι ἤλπισε πρὸς τὴν βασίλειον ἐπιθυμίαν. (*Commodus verò præfectos duos conſtituens, ſecurius arbitrabatur tantam authoritatem vni non committere, diuiſam autem ſperabat infirmiorem ad imperium affectandum.*) Eiuſdem Commodi temporibus præfectum Ebutianum interemptum, in cuius locum Cleander, cũ aliis duobus quos ipſe delegerat, præfectus ſit factus: túncque primùm tres præfectos prætorio fuiſſe: inter quos Libertinum, qui à pugione appellatus eſt, Lampridius [2] tradit. De Cleandro quidem Herodianus [3] τὴν τῶν στρατῶν ἀρχὴν ἐγχειρισθῆναι, (*exercituum imperiũ ei conceſſum ac traditum fuiſſe*) memorat. Motilenum præfectum prætorio per ficus veneno interemptum à Commodo, Lampridius [4] auctor eſt: & item præfectum præt. Iulianum togatum, præſente officio ſuo, in piſcinam detruſum: nam præfectos Paternum & Perennem non diu tulit, ac de his etiam præfectis, quos ipſe fecerat, triennium nullus impleuit, quorum plurimos interfecit vel veneno, vel gladio: ídque Lampridius, & Lętum quendam ſub eodem Commodo præfectum pretorij fuiſſe ſcribit. Addit Capitolinus [5] Pertinacem, qui Commodo in imperio ſucceſſit, poſt laudes ſuas à Conſulibus dictas, & poſt vituperationem Cõmodi acclamationibus Senatus oſtenſam, egiſſe gratias Senatui, & præcipuè Læto prefecto prætorij, quò auctore & Commodus interemptus, & ipſe Imperator eſt factus.

*1 in Commodi vita. vide & Lampridium in Commodo.*
*2 in Commodo.*
*3 lib. 1. meminit & Marcellinus lib. 26.*
*4 in vita Cõmodi.*
*5 in Pertinace.*

Didius Iulianus, vt apud Spartianum [6] eſt, Flauium Genialem, & Tullium Criſpinum ſuffragio prætorianorum præfectos prætorii fecit: ac deinde tertium fecit prefectum Veturium Macrinum, ad quem Seuerus literas miſerat, vt eſſet præfectus.

*6 in Iuliano.*

Imperator Seuerus, adepto imperio, fecit ſtatim præfectũ præt. Flauium Iuuenalem, quem etiam Iulianus tertium præfect. præt. ſibi aſſumpſerat, ídque Spartianus [7] refert: quo loco Iuuenalem (vt puto) nominat eum, quem antè appellauerat Genialem. & alibi [8] Plautiani ſub Seuero præfecti prætorio mentionem facit idem auctor, in hæc verba: Et obtinuiſſet eius ſententia, niſi Plautianus præfectus, vel Iuuenalis inſtitiſſent, ſpe proſcriptionum, ex quibus ditati ſunt. Poſtea verò idem Imper. obtruncato Plautiano, filii ſui Antonini Baſſiani Caracallæ ſocero præfecto præt. quem Herodianus ἐπάρχοντα στρατοπέδων (*prætorij præfectum*) vocat, in poſterum duos præfectos conſtituit, vt idem Herodianus [1] auctor eſt, qui ita ſcribit: ὁ δὲ Σεβῆρος τοῦ λοιποῦ ὑπάρχοντας δύο τῶν στρατοπέδων κατέστησε. (*Seuerus autem deinde præfectos prætorij duos conſtituit.*)

*7 in vita Seueri. vide & in Antonino Geta.*
*8 in Antonino Geta meminit Marcellinus lib. 26.*



*1 lib. 3. hiſtor.*

Sub Antonino etiam Caracallo duos ſimul præfectos prætorio fuiſſe Dio [2] innuit, cùm Theocritum libertinum ac ſcenicum eò vſque potentiæ perueniſſe ait, vt præ illo nihil apud Antoninum Imper. ambo præfecti præt. haberent auctoritatis. ἦν δὲ ὁ Θεόκριτος (ait) ἐκ δούλου γεγονὼς καὶ τῇ ὀρχήστρᾳ ἐμπαιδοτριβηθείς. εἰς τοσαύτην μὲν τοι ἤλασε δυναστείαν παρ' Ἀντωνίνῳ, ὥς μηδὲν εἶναι ἀμφοτέρους αὐτὸν ἐπάρχους. (*Erat Theocritus ſeruo patre prognatus & in ſcena educatus. Ad tantam autem potentiam apud Antoninum euectus eſt, vt præ eo duo præfecti nullo loco eſſent.*) Fuerunt verò poſt Papinianum præfectum ſecuri percuſſum in Caracalli conſpectu (de quo apud Spartianũ [3] legitur) duo præfecti prætorio: Aduentus, qui poſtea conſul, & Opilius Macrinus, qui, ablegato collega, Antoninum Caracallum imperatorem ſuum, Capitolino [4] teſte, interemit, & ipſe Imperator factus eſt: quorum præfectorum præt. mentionem habitam reperio in quodam reſctipto Iuſtinianei Codicis [5], & apud Herodianum: cuius teſtimonium ad ea quæ diximus illuſtranda & confirmanda, iuuat proponere. Sic igitur optimus auctor hiſtoriæ Romanæ ſcribit [6], vbi de Antonino Caracallo: ἦσαν δὲ αὐτῷ ἐπάρχοντες τοῦ στρατοπέδου δύο, ὁ μὲν πρεσβύτης πάνυ, τὰ μὲν ἄλλα ἰδιώτης καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀπείρως ἔχων, στρατιωτικὸς δὲ γεγενῆσθαι δοκῶν Αὔδεντος (malim Ἀδβεντος) ὄνομα αὐτῷ. ὁ δὲ ἕτερος Μακρῖνος μὲν ἐκαλεῖτο, τῶν δὲ ἐν ἀγορᾷ οὐκ ἀπείρως εἶχε. καὶ μάλιστα νόμων ἐπιστήμης. (*Erant præfecti prætorio duo, quorum alter cui Audento nomen erat, iam ſenex, rudis tamen ciuiliúmque negotiorum imperitus, rei militaris gnarus habebatur. Alter qui Macrinus nominabatur rerum forenſium ac præſertim iuris prudentiæ nequaquam ignarus erat.*)

*2 vide Xiphilinum in Antonino Caracallo.*
*3 in Seuero. & in Antonino Caracallo.*
*4 in Opilio Macrino meminit & Spartianus in Caracallo*
*5 l. 1. C. de ſenten. paſ. & reſtit.*
*6 lib. 4. hiſtor.*

Macrinus Imperator Iulianum quendam prefectum habuit, vt ex Capitolini [7] ſcriptis colligitur.

*7 in Opilio Macrino.*

Macrini ſucceſſor Heliogabalus, ad prefecturam præt. Eutychianum Comazonta, ſi Dioni [8] credimus, & Saltatorem, qui hiſtrionicam Romę fecerat, aſciuit: vt eſt apud Lampridium [9]. Poſtea Paulus & Vlpianus præfecti præt. in magno ſunt honore habiti ab Alexandro: quos alij ab ipſo præfectos, ab Heliogabalo alij factos fuiſſe dicunt, teſte ipſo Lampridio [10].

*8 in Auito. Pſeudantonino.*
*9 in Antonino Heliogabalo.*
*10 in Alexandro.*

Gordiani principes, interfecto iuſſu Senatus per quæſtorem & milites Vitaliano quodã, qui prætorianis militibus præerat, quémque τὸν κατὰ τὴν Ῥώμην τῶν στρατοπέδων προεστῶτα, (*vrbanorum caſtrorum præfectum*) Herodianus [11] vocat, amico & familiari Maximini, Miſitheum & huius extincti loco Philippum Arabem humili genere natum ſed ſuperbum, qui poſtea Imperator fuit: eodémque tempore Maximus & Balbinus Pinarium Valentem, auctore [12] Capitolino, Licinius & Valerianus, deinde Ablauium Murænam, vt Pollio [13] ſcribit, præfectos prætorio ſuos habuêre.

*11 lib. 7. hiſtor.*
*12 in Gordianis & in Maximo meminit Marcellinus lib. 23.*
*13 in Claudio.*

Sub Valeriano autem Muluium Gallicanum, & ipſum præfe-

ctum præt.fuiſſe colligimus,ex inſcriptione quarundam ad ipſum
*1 in Probo.* Valeriani de Probo literarum,quas Vopiſcus 1 refert.

Sub Aureliano,itémque ſub Tacito Meſius Gallicanus:ſub Probo autem Capito,itémque Carus:ſub Caro,Carino & Numeriano, Aper & Matronianus quidam vetus conciliator,cùm Diocletianus domeſticos regeret : ſub Diocletiano denique Verconius Herennianus præfecti prætorio fuêre,vt idem Vopiſcus 2 tradit.

*2 in Aureliano, in Tacito, in Probo in Caro Numeriano & Carino.*

Sub poſterioribus Imperatoribus non modò in comitatu principis, 3 ſed etiam per Orientem & per Occidentem in Africa in Illyrico Italia & Galliis,ſinguli præfecti præt.fuerunt , qui diœceſes ſui quiſque tractus regebant:&(vt Sidonius loquitur 4)tribunalibus præſidebant:ídque ex duobus Codicis Iuſtinianei titulis XXVI. & XXVII.libri primi manifeſtum eſt:& ex l.2.tit.39. de militari veſte lib.XII.Cod. & ex plurimarum Codicis Theodoſiani & Iuſtinianei conſtitutionum inſcriptionibus probari poteſt. ſed & ex Ammiani Marcellini hiſtoria 5,& ex Imperij Romani Notitia,quę nomina diœceſeum , atque prouinciarum complectitur. Poſteà quidem ſub Rege Francorum Clothario VVarnatium quendam maiorem domus comitem palatij,ſiue præpoſitum palatij in regno Burgundiæ: Auſtraſiis verò quendam Radonem , deindéque Pipinum eodem honoris gradu præfectum fuiſſe , Aimoinus Francicæ hiſtoriæ ſcriptor haud contemnendus addocet 6 . Sed ad Romanam hiſtoriam reuertamur.

*3 l.præcipimus. C. de appellat.*
*4 epiſt.6.li. 8.epiſt.*
*5 lib.XV. ad finem & lib 19.& lib.21*
*6 lib. 4. de geſt. Franc. cap.6.14.& 19.*

---

*Præfecti prætorio ex equitibus , & ex aſſeſſoribus præfectorum aſſumpti. veſtis Senatoria & equeſtris. Præfectorum potentia,dignitas, officium. Explicantur Suetonij ac Dionis loci.Præfecturam prætorianam dignitate patriciatui , patriciatum Conſulatui cedere. Explicata l.1.D.de ſenator. & l.1.C.de conſulibus.*

## CAP. II.

DIximus equites fuiſſe prætorianos.Ex equitibus quoque nō ex plebe,aut ſenatoribus plerunque delectos à principibus fuiſſe , qui præfecturam prætoriarum cohortium ſuſciperent,hiſtoriarum lectione admonemur. Apud Dionem 7 profectò Mœcenas id conſilium Auguſto dat , vt ex equitibus duos potiſſimum aſſuetos militiæ , aliarúmque rerum adminiſtrationi eligat: quos haſtatis corporis ſui protectoribus ſiue cuſtodibus,aliíſque in Italia militibus,itémq. Cæſarianis,& reliquis ipſius miniſteriò deſeruientibus præficiat. τῶν δὲ δὴ ἱππέων, inquit,δύο τοὺς ἀρίστους τῆς περί σε φρουρᾶς ἄρχειν. τό,τε γὰρ ἑνὶ ἀνδρὶ αὐτὴν ἐπιτρέπεσθαι σφαλερόν. καὶ τὸ πλείοσι ταραχῶδές ἐστι· δύο τε οὖν ἔστωσαν οἱ ἔπαρχοι οὗτοι, ἵνα ἂν καὶ ὁ ἕτερος αὐτῶν ἐπαισθηταί τι τῷ σώματι, μήτοι γε καὶ ἐνδεὴς τοῦ φυλάξοντός σε εἴης· καὶ καθιστάσθωσαν ἐκ τῶν πολλάκις ἐστρατευμένων, καὶ πολλὰ καὶ ἄλλα διῳκηκότων· ἀρχέτωσαν δὲ δὴ τῶν τε δορυφόρων , καὶ τῶν λοιπῶν στρατιωτῶν τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πάντων, ὥστε καὶ θανατοῦν τοὺς ἀδικοῦντας αὐτῶν, &c. ὑπάρχους ἔχοντες, καὶ προσέτι καὶ τῶν καισαρείων, τῶν τε ἐν τῇ θεραπείᾳ

*7 lib.52.hiſtor.*



σου ὄντων, καὶ τῶν ἄλλων τῶν λόγου τινὸς ἀξίων. *( Duos quoſdam ex equitibus præſtantiſſimos ſatellitio tuo præficies. Nam vni id committere res eſt periculi,pluribus,turbarum plena. Duo igitur ſint,vt ſi alter etiam infirmetur corpore tamen non deſit qui te cuſtodiat. Hi ex iis qui aliquoties militiam fecerint deligēdi ſunt, quíque multis aliis officiis functi ſint. Imperium autē obtineant in ſtipatores,omnéſque per Italiā totam milites ita vt capite etiam ſontes plectendi poteſtatem habeant,&c. Vicarios etiam habeant in Cæſarianos,eóſque qui miniſterio tuo deſeruiunt, alióſque omnes quorum aliqua habenda eſt ratio.)* Hęc Dio.Itaque ſumma fuit equeſtris ordinis dignitas Præfectura prætoriana: cuius candidatum fuiſſe, Galbæ temporibus , Icellum quendam Suetonius in hæc verba narrat [1] : quæ non poſſum de cenſu equeſtri accipere. Icellus paulo ante anulis aureis , & Martiani cognomine ornatus, ac iam ſummæ equeſtris gradus candidatus. *1 in Galbæ c.14.*

Præfecturam prætorii Titus Veſpaſiani filius ſuſcepit nunquam ad id tempus(vt ait [2] Suetonius idem)niſi ab equite Romano adminiſtratam. Sæpiſſimè Pertinax à Marco & in concione militari, & in Senatu laudatus eſt:doluítque palam Marcus,quòd cùm Senator eſſet,præfectus prętorio fieri à ſe non poſſet:ídque Iulius Capitolinus [3] ſcribit. Quamobrem ſi quem præfectura prætoriana priuare volebant Imperatores,ei Laticlaui honorem,id eſt Senatoriam dignitatem concedebant. Criſpinus quidem eques Romanus,quondam præfectus prætorii, dignitate Senatoria & Conſularibus inſignibus donatus, ac Neronis temporibus crimine coniurationis in Sardiniam exactus,accepto iuſſæ mortis nuncio , ſemet interfecit, vt apud Tacitum 4 legimus: in cuius verbis articulus ( Quondam) ſatis oſtendit , Criſpinum accepta Senatoria dignitate, & inſignibus Conſularibus pręfectum præt.eſſe deſiiſſe. Commodus etiam, inſtigante Tigidio(vt Lampridius 5 ſcribit) Paternum per Laticlaui honorem à præfecturæ adminiſtratione ſubmouit.Claudius Imper.primùm,vt ſibi in curiam præfectum prætorii ſecum inducere liceret, precario exegit,teſte Suetonio 6. Itaque Rubrio Pollioni præfecto præt.& effigiem & ſedem in Senatu, quoties ſe in curiam euntem comitaretur,conceſſit:vt auctor eſt Dio 7 in illo loco : Ῥουφείῳ γὰρ δὴ Πολλίωνι τῷ ἐπάρχῳ εἰκόνα καὶ ἕδραν ἐν τῷ βουλευτικῷ, ὁσάκις ἂν ἐς τὸ συνέδριον αὐτῷ συνεσίῃ , καὶ ἵνα γε μὴ καινοτομεῖν τι δόξῃ, ἔφη καὶ τὸν Αὔγουστον ἐπὶ Οὐαλερίου τινὸς Λίγυος τοῦτο πεποιηκέναι. *( Rubrio Pollioni præfecto & effigiem & ſedem in Senatu, quoties in Curiam eum comitaretur,conceſſit, & ne quid nouare videretur,idem Auguſtum erga Valerium quendam Ligurem feciſſe dixit.)*

*2 in Tito c. 6.*
*3 in Pertinace.*
*4 libr.XVI. Annal.*
*5 in Commodo Antonino.*
*6 in Claudio cap.12.*
*7 lib.58. hiſto.*

Arretinus deinde Clemens ſenatorii ordinis in Arii Vari locum prætorianis præpoſitus , à Muciano fuit Veſpaſiani temporibus , cuius ille domui per affinitatem innexus erat , vt Tacitus [8] ſcribit. *8 lib.20.an*

Titus quoque Veſpaſiani filius præfecturam ſuſcepit , vt modò diximus. Poſtea verò Alexander Imperator præfectis præt.ſuis Senatoriam addidit dignitatem, vt viri clariſſimi & eſſent, & dice-

rentur:quod antea vel rarò fuerat,vel omnino non fuerat: eò vſque vt ſi quis Imperatorum ſucceſſorem præfecto præt. dare vellet,Laticlauiam eidem per libertum ſummitteret, vt in multorum vita Marius Maximus dixit.

Alexander autem idcirco Senatores eſſe voluit præfectos præt. ne quis non ſenator de Romano ſenatore iudicaret. Hæc ex Lampridio [1] deſumpſimus,apud quē Laticlaui honor, vel(vt Caius noſter loquitur [2])Laticlauii,Senatoria eſt dignitas:Laticlauia,eſt ſenatoria veſtis,quam auctores Græci [3] πλατύσημον ἐσθῆτα vocant. Equites Romani à Senatoribus claui qualitate diſcernebantur, vt idem Lampridius [4] tradit. Anguſtum clauum equites gerebant,Senatores latum:qui cùm in magno & publico luctu veſtem mutarent, equeſtrem habitum,id eſt lato clauo depoſito,anguſtum aſſumebāt: vt magiſtratus prætexta poſita,veſtem ſenatoriam,id eſt latum clauum,id quod duobus potiſſimum locis à Dione traditur: nam vbi de conſulibus [5]: οὐ μὲν τοι οὐδ᾽ ἐκεῖνον (ait) διαδόχους σφίσι διὰ τὸν ἐκ τῶν σφαγέων τάραχον κατέστησαν, καί περ καὶ τὴν βουλευτικὴν ἐσθῆτα καταθέμενοι, καὶ ἐν τῇ ἱππάδι τὴν γερουσίαν ὥσπερ ἐπὶ μεγάλῳ τινὶ πένθει συνάγοντες. (*Nec ipſi ſucceſſores ſibi conſtituerunt, propter tumultus eorū qui cædes edebant, & tanquam in magno luctu Senatoria veſte poſita Senatū in veſtitu equeſtri congregauerunt.*) Et vbi de luctu ob mortem Augusti [6], τῇ τε ὑστεραίᾳ βουλὴ ἐγένετο, καὶ ἐς αὐτὴν οἱ μὲν ἄλλοι τὴν ἱππάδα στολὴν ἐνδεδυκότες συνῆλθον, οἱ δ᾽ ἄρχοντες τὴν βουλευτικὴν πλὴν τῶν ἱματίων τῶν περιπορφύρων. (*Poſtridie Senatus eſt habitus, eóque reliqui Senatores veſte equeſtri, Magiſtratus autem Senatoria poſitis prætextis conuenerunt.*) Ergo Senatores interdum equeſtri, Equites nunquam ſenatoria veſte vtebantur:niſi quòd Seianus præfectus præt. (ὃν ὁ Τιβέριος ἐκ τῆς τῶν τρόπων ὁμοιότητος προσλαβὼν, ταῖς τε στρατηγικαῖς τιμαῖς ἐκόσμησεν, ὃ μήπω πρότερον μηδενὶ τῶν ὁμοίων αὐτῷ ἐγεγόνει, καὶ σύμβουλον καὶ ὑπηρέτην πρὸς πάντα ἐποιεῖτο. (*Quem Tiberius propter morum ſimilitudinem aſſumptum pretoriis honoribus decorauit, quod nulli vnquam antea ipſius ordinis obtigerat, & conſiliarium atque miniſtrum ad omnia adhibebat.*) ſi Dioni [7] credimus) idémque equitis filius, cùm Senatorio ambitu non abſtineret,prætoriis inſignibus,quibus à Tiberio donatus fuerat, ac multò etiam magis ſenatoria veſte indui potuit.Sanè quidem aliquot annis poſteà Plautianus,itidem præfectus præt.atque adeò equeſtris ordinis ſub Seuero Imp.lato clauo amictus incedebat: ἠμφίεστο τὴν πλατύσημον ἐσθῆτα, vt Herodianus [8] auctor eſt. Ei nimirum ornamenta conſularia Seuerus dederat, & in Senatum induxerat: ſed & conſulem dein creatum, quaſi iterum conſulem haberi voluit, ac declarauit Imperator: quod ius ab eo tempore in aliis obſeruari cœpit, quemadmodum à Dione [9] traditur: cuius hæc verba ſunt: Σεβῆρος γὰρ αὐτοκράτωρ πρῶτος Πλαυτιανὸν ὑπατικαῖς τιμαῖς τιμήσας, καὶ μετὰ τοῦτο ἔς τε τὸ βουλευτικὸν ἐσαγαγὼν καὶ ὕπατον ἀποδείξας, ὡς καὶ δεύτερον ὑπατεύσαντα ἀνεκήρυξε. καὶ ἀπ᾽ ἐκείνου καὶ ἐφ᾽ ἑτέρων τὸ αὐτὸ ἐγένετο. (*Pri-*

*mus*

1 *In Alexādro Seuero.*
2 *l.nuper. D. de dona.int.vir.& vxo.*
3 *Herodian. lib.3. Strabo lib.3. vbi de Balearibus. Epictetus apud Arrianum lib. 1. cap.24.*
4 *in Alexandro.*
5 *lib.40.hiſtor.*
6 *lib.56.*
7 *lib.57.*
8 *lib.3.*
9 *lib.46.*



*mus enim omnium Seuerus Imperator poſtquam Plautiano Conſulares honores tribuiſſet, eúmque poſtea in Senatum induxiſſet, Conſulémque declaraſſet, quaſi iterum Conſulatum gerentem pronunciauit. Idémque in duobus aliis poſt eum accidit.*)

Ex equitibus igitur primò, deinde ex aſſeſſoribus præfecti prætorio aſſumpti ſunt poſt Peſcennium Nigrum: qui cùm Marco & Commodo intimaſſet, vt aſſeſſores in quibus prouinciis aſſediſſent in his adminiſtrarent, ne noui ad Rempublicam gerendam accederent: id poſteà Seuerus (vt apud Spartianum [1] eſt) & deinceps multi tenuerunt: vt probant Pauli & Vlpiani præfecturæ, qui Papiniano in conſilio fuerunt: ac poſteà cùm vnus ad memoriam, alter ad libellos paruiſſet, ſtatim præfecti ſunt. Aſſeſſorem Papiniani præfecti prætorio Paulum fuiſſe vel inde apparet, quòd in libris quæſtionum [2] de cautione quadam diſputat: quam ait in auditorio Æmilii Papiniani præfecti prætorio Iuriſconſulti lectam fuiſſe: ſed præter Spartianum, id quoque Lampridius [3] docet. Ante Peſcennium Nigrum, Cornelius Laco ex aſſeſſore præfectus prætorii factus fuit ſub Imp.Galba, vt Suetonius [4] memorat.

Cæterùm, ſiue ex equitibus, ſiue ex aſſeſſoribus fierent præfecti prætor.magna ſemper eorum fuit auctoritas propter amicitiam principum, à quibus eò dignitatis eſſent prouecti, iam inde ab Lucio Ælio Seiano: qui patre Seio Strabone equite Romano genitus, & cohortibus prætoriis ſub Tiberio præfectus, vim præfecturæ modicam antea intendit, diſperſas per vrbem cohortes vna in caſtra conducendo, vt eſt apud Tacitum [5]: cui aſtipulatur his verbis Dio [6]: οὗτος οὖν ὁ Σειανὸς χρόνῳ μέν τινι μετὰ τοῦ πατρὸς τῶν δορυφόρων ἦρξεν. ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνος ἐς τὴν Αἴγυπτον πεμφθέντος, μόνος τὴν προστασίαν αὐτῶν ἔσχε, τά τε ἄλλα συνέστησεν αὐτὴν καὶ τοὺς λόχους ἰδίᾳ, καὶ χωρὶς ἀλλήλων, ὥσπερ τοὺς τῶν νυκτοφυλάκων ὄντας, ἐς ἓν τεῖχος συνήγαγεν, ὥστε τὰ παραγγέλματα καὶ ἀθρόους καὶ διὰ ταχέων λαμβάνειν, καὶ φοβεροὺς πᾶσιν, ἅτε καὶ ἐν ἑνὶ τείχει ὄντας, εἶναι. (*Hic Seianus aliquandiu cum patre ſuo pretoriys cohortibus præfuit. Poſtquam autem eo in Ægyptum miſſo, ipſe ſolus eas gubernauit, cùm aliis modis eas inſtituit, tùm quia ante per Centurias diuiſi, quemadmodum nocturni cuſtodes alij alio in loco morabantur, intra vna omnes caſtra conduxit, vt ſimul celeriter omnes mandata accipere poſſent, omnibúſque inde terrori eſſent.*)

Atque vt ex vno reliqui fere omnes præfecti præt. ſimul æſtimentur, haud vulgaria ſanè optimi vtriuſque auctoris hoc loco teſtimonia de potētia & auctoritate Seianī præfecti præt. ſtatim ſubiiciā. Neque Senatorio (Tacitus [7] inquit) ambitu abſtinebat, clientes ſuos honoribus aut prouinciis ornādo, facili Tiberio atq. ita prono vt ſociū laborum nō modò in ſermonib. ſed apud patres

1 *in Peſcennio Nigro.*
2 *l.lecta.D. ſi cert.pet.*
3 *in Alexādro.*
4 *in Galba cap.14.*
5 *lib. 4 annal.ſub initium. Seiani etiam Suet. meminit in Tiberio cap. 48.55.& 61*
6 *li.57. hiſt.*
7 *in dicto li. 4.*

& populum celebraret : colíque per theatra & fora effigies eius, intérque principia legionum ſineret:qua de re in eandem ferè ſententiam hæc Dio [1] ſcribit : τὸν δὲ δὴ Σιανὸν ζῶντα ἐν τῷ θεάτρῳ χαλκοῦν ἔστησε. κἀν τούτου πολλαὶ μὲν ὑπὸ πολλῶν εἰκόνες αὐτοῦ ἐποιήθησαν, πολλοὶ δὲ καὶ ἔπαινοι καὶ παρὰ τῷ δήμῳ καὶ παρὰ τῇ βουλῇ ἐγίγνοντο, ἔς τε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ οἵ τε ἄλλοι οἱ ἐλλόγιμοι καὶ οἱ ὕπατοι αὐτοὶ ὑπὸ τὸν ὄρθρον συνεχῶς ἐφοίτων, καὶ τά τε ἴδια αὐτῷ πάντα ὅσα τινὲς ἀξιώσειν παρὰ τοῦ Τιβερίου ἔμελλον, καὶ τὰ κοινὰ ὑπὲρ ὧν χρηματισθῆναι ἔδει ἐπεκοίνουν, καὶ συνελόντι εἰπεῖν, οὐδὲν ἔτι χωρὶς αὐτοῦ τῶν τοιούτων ἐπράττετο. (*Seiani etiam viui ſtatuam æneam in theatro poſuit : inde multæ eiuſdem imagines à multis factæ,& frequenter apud ſenatum atque populum laudatus mane ad domum eius illuſtres viri ipſique conſules ventitabant,cum eo & quæ priuatim quiſque à Tiberio petiturus erat , & de quibus publicè acturi eſſent communicabant.In ſumma nihil horum ſine Seiano agebatur.*) Ac non modò de ſtatuis in honorem Seiani erectis, ſed de ipſius natalitiis ex S.cõſulto publicè celebratis, votíſque tam pro eo quàm pro Tiberio ſuſceptis,& iureiurando per eius atque Tiberij fortunam concepto,idem auctor in hæc verba paulo pòſt loquitur: ὁ δὲ Σιανὸς ἔτι καὶ μᾶλλον ἤρετο, καὶ ἐψηφίσθη ὅπως τὰ γενέθλια αὐτοῦ δημοσίᾳ ἑορτάζηται· τὸ γάρ τοι πλῆθος τῶν ἀνδριάντων ὧν ἥ τε βουλὴ, καὶ ἡ ἱππὰς, αἵ τε φυλαὶ, καὶ οἱ ἄνδρες οἱ πρῶτοι ἔστησαν αὐτοῦ, οὐδὲ ἐξηρίθμησεν ἄν τις. πρέσβεις τε ἰδίᾳ μὲν ἡ γερουσία, ἰδίᾳ δὲ οἱ ἱππεῖς, τό, τε πλῆθος ἔκ τε τῶν δημάρχων καὶ ἐκ τῶν ἀγορανόμων τῶν σφετέρων πρὸς αὐτοὺς ἔπεμπον, καὶ εὔχοντο ὑπὲρ ἀμφοῖν ὁμοίως καὶ ἔθυον, καὶ τὴν τύχην αὐτῶν ὤμνυσαν. (*Seianus porrò magis etiam euectus eſt,decretúmque fuit vt eius natalis celebraretur, (numerum n.ſtatuarum quas ei patricij, equites , tribus ac primarij viri poſuerunt nemo inire poßit )legatóſque ad ipſum perinde atque Tiberiũ ſenatus ſeorſim ,ſeorſim equites & plebs ex tribb.ſuis & ædilibus miſerunt,pro eis iunctim vota & rem diuinam fecerunt, ac per eorum fortunã iuramenta conceperunt.*) Denique illuc ventum eſſe , vt præ Seiano Tiberius contemptui ab omnibus haberetur,idem Dio narrat : vtque ad Seianum quaſi principem omnes accederét.Sic enim poſteà: ὁ δὲ δὴ Σιανὸς, καὶ μείζων καὶ φοβερώτερος ἀεὶ ἐγίγνετο, ὥστε καὶ τοὺς βουλευτὰς, καὶ τοὺς ἄλλους ἐκείνῳ μὲν ὡς καὶ αὐτοκράτορι προσέχειν, τὸν δὲ Τιβέριον ἐν ὀλιγωρίᾳ ποιεῖσθαι. (*At Seianus indies maior euadebat, omnibúſque formidabilior,adeò vt & Senatus & reliqui Tiberio ſpreto ei tanquam Imperatori obtemperarent.*) & ſtatim : ὁ δὲ Σιανὸς τοιοῦτος ἦν τῇ τε ὑπεροχῇ τοῦ φρονήματος, καὶ τῷ μεγέθει τῆς ἐξουσίας, ὥστε συνελόντι εἰπεῖν, αὐτὸν μὲν αὐτοκράτορα, τὸν δὲ Τιβέριον νησίαρχόν τινα εἶναι δοκεῖν. (*Seianus porro faſtu, potentiáque adeo efferebatur iam , vt ( quo paucis rem expediam ) ſeſe pro Imperatore Tiberium pro inſulæ rectore quodam haberet.* ) & alia id genus quamplurima percenſet idem auctor eo in loco : ex quo petere cuilibet promptum eſt , nos hæc profectò nimium multa deſcribendo iam defeſſi ſumus:ſed ſi quis legerit,illud nimirum intelliget , quàm verè meritóque purgandi ſui cauſa tum proferret actus ob amicitiam Seiani reus eques Romanus quidam nomine M.Terentius, cùm ad Tiberium in Senatu de Seiano loquens,

[1] *in dicto li. 57. hiſt. vide & Suetoniũ Tiberio cap. 65.*



loquens,apud ipſum Tacitum [1] : Non eſt noſtrum,inquit,æſtimare quem ſupra cæteros,& quibus de cauſis extollas:tibi ſummum rerum iudicium Dii dedere,nobis obſequii gloria relicta eſt:Spectamus porrò quę coram habentur,cui ex te opes,honores,queis plurima iuuandi nocendíve potentia,quæ Seiano fuiſſe nemo negauerit : hæc autem verba his totidem Græcis Dio [2] reddidit : καὶ γάρ τοι προσήκει ἡμῖν πάντας τοὺς ὑπ' αὐτοῦ τιμωμένους ἀγαπᾶν, μὴ πολυπραγμονοῦντας ὁποῖοί τινες εἰσὶν , ἀλλ' ἕνα ὅρον τῆς φιλίας σφῶν ποιουμένους, τὸ τῷ αὐτοκράτορι αὐτοὺς ἀρέσκειν. ( *Conueniens enim nobis fuit omnes eos quos honore dignatur amare,nihil anxios quales ij ſint, vnúmque hũc eorum amicitiæ terminum ſtatuentes quòd Imperatori probantur.* ) Sequitur deinde apud Tacitum:Ne,patres conſcripti, vltimum Seiani diem,ſed ſexdecim annos cogitaueritis, etiam Satrium atque Põponium venerabamur:libertis quoque ac ianitoribus eius noteſcere pro magnifico accipiebatur.Sed de Seiano plus ſatis:ad alios,eo relicto tranſeamus.

Perennem præfectum tantum potuiſſe apud Commodum ait [3] Lampridius, vt nihil ſibi nuntiari paſſus ſit Imp.niſi quod Perennis antè tractaſſet:Perennis verò cuncta ſibimet vindicauerit,quos voluit interemerit , ſpoliauerit plurimos , omnia iura ſubuerterit, prædam omnem in ſinum contulerit.

Plautiano etiã præfecto præt.ſub Seuero & Romæ, & iuſſu Senatus erectas fuiſſe plures & grandiores quàm Imperatori ſtatuas, ex Dione Xiphilinus [4] tradit:deinde ſubiungit: τὴν τε τύχην αὐτοῦ πάντες οἱ στρατιῶται, καὶ οἱ βουλευταὶ ὤμνυσαν, καὶ ὑπὲρ τῆς σωτηρίας αὐτοῦ δημοσίᾳ ἅπαντες ηὔχοντο. ( *Per eius fortunam milites omnes atque Senatores iuramenta concipiebant,& pro eius ſalute omnes publicè ſupplicabant.*) quæ ſic , aduocata Dionis ipſius auctoritate,interpretor. Eum qui Iulio primùm Cæſari tributus , & à Tiberio dum popularis haberi vult ab initio repudiatus , ipſi deinde aliíſque Imperatoribus Romanis honor eſt habitus, Plautiano etiam oblatum fuiſſe , qualem Seiano quoque Tiberii quondam præfecto præt. vt per fortunam ipſius aut genium ſalutémve iuraretur : & cùm Romanis eſſet in more poſitum,vt proſperum ſtatum Imperatori , auctore [5] Plutarcho,precarentur:ſolemnéſque Diis ſupplicationes in eam rem quotannis , vt apud Dionem eſt , iam inde à Iulio Cæſare fierent : pro Plautiani ſalute ac felicitate à militibus & ſenatu vota publicè ſuſcepta,tanquam pro principe ipſo fuerint,de quo alibi diximus nõnihil,Dionis verba prætermiſimus,quæ hîc,vt opinor,hiſtoriæ ſtudioſi percupidè lecturi ſunt.Igitur vbi de Iulio Cæſare [6] : καὶ προσέτι, καὶ εὔχεσθαι ὑπὲρ αὐτοῦ δημοσίᾳ καθ' ἔτος ἕκαστον. τήν τε τύχην αὐτοῦ ὀμνύναι, καὶ τὰ πραχθησόμενα αὐτῷ πάντα κύρια ἕξειν ἐνόμισαν. ( *Præterea vt quotannis vota publicè pro ſalute eius fierent, vt per fortunam eius iuſiurandũ cõciperetur,vt omnia quæ acturus foret,rata haberẽtur.*) & aliquãto poſt de eodẽ Cæſare: ὑπὲρ οὗ, inquit, δημοσίᾳ καθ' ἔτος εὔχεσθαι ἐψηφίσαντο, καὶ οὗ τήν τε ὑγίειαν τήν τε τύχην ὤμνυσαν. (*Pro eius ſalute publicè quotãnis vota cõcipienda decreuerũt,pérque ipſius ſanitatem & fortu*

[1] *in dicto li. 4. annal.*

[2] *li. 58. in orat. M. Terẽtij de Tiberio ad Senatum.*

[3] *in Commodo.*

[4] *in Seuero.*

[5] *in Galba, ibi,* καί ποτε θυσίας οὔσης ὑπὲρ τῶν χιλιάρχων καὶ λοχαγῶν τὸ ῥωμαίοις σύνηθες εὐτυχίαν ἐπευχομένων τῷ αὐτοκράτορι Γάλβᾳ.

[6] *li. 44. hiſt.*

*nam vota concipiebant,*) & vbi de Tiberio [1]: οὔτε ὀμνύναι τοῖς ἀνθρώποις τὴν αὐτοῦ τύχην συνεχώρει, οὔτε εἰ ὁμόσας τις αὐτὴν, αἰτίαν ὡς καὶ ἐπιορκηκὼς ἔλαβε. (*Neque per ſuam fortunam cuiquam iurare permiſit, neque ſi quis eam iuraſſet, ac periurij reus ageretur, id proſecutus eſt.*) Cæterùm præfecto prætorij Plautiano Imperatorem Seuerum adeò vſque ad omnia dicto audientem fuiſſe, ὥστ' ἐκεῖνον μὲν ἐν αὐτοκράτορος, αὐτὸν δὲ ἐν ἐπάρχου μοίρᾳ εἶναι. (*vt Plautianus quidem Imperatoris Seuerus præfecti loco eſſe videretur,* & alia de genere hoc quamplurima Xiphilinus ex Dione literis mandauit. Herodianus quoque cæſorum & proſcriptorum bonis eum ditatum à Seuero, & cum hoc veluti participaſſe imperium ſcribit [2] his fere verbis: εἰς μεγάλην προήγαγεν ἐξουσίαν πλούτῳ τε ὑπερβάλλοντι ἐκόσμησε τῶν ἀναιρουμένων χαριζόμενον τὰς οὐσίας οὐδὲν ἕτερον, ἀλλ' ἢ μερισάμενος πρὸς αὐτὸν τὴν ἀρχήν. (*Ad potentiam magnam prouexit, ac damnatorum bonis ipſi conceſſis in immẽſum locupletauit tantum non imperio quoque participato.*) quo etiam loco Plautianum idem auctor ἐπάρχοντα τῶν στρατοπέδων vocat: id eſt, (*præfectum exercituum ſiue caſtrorum,*) vt & Lætum ac Perennem alio quem antè indicaui loco. Præfectorum etenim prætorio paulatim creuit auctoritas: vt primùm quidem prætorij, hoc eſt palatij, Cæſarianorum & prætoriarum ſiue palatinarum cohortium, aliorúmque per Italiam militum curam gerere cœperint, de Mœcenatis conſilio: quod ex Dionis hiſtoria huius capitis initio retulimus: ac poſtremò etiam totius exercitus, vel potius omnium exercituum ſiue caſtrorum regimen ipſis commiſſum fuerit, ſuúmque tum domeſtici protectores comitem habere cœperint.

At non modò Perennis apud Commodum, & Plautianus apud Seuerum, ſed & Vlpianus apud Alexandrum Imper. ipſe præfectus præt. plurimùm potuit: namque Alexander nunquam ſolum quenquam niſi præfectum ſuum vidit, & quidem Vlpianum cauſa iuſtitiæ ſingularis: idque Lampridius [3] ſemel atque iterum tradidit, & Dio [4] quoque ſummam rerum atque imperij Vlpiano cum præfectura prætoriana conceſſam fuiſſe ſcribit: ſed tamen ita, vt alibi [5] aſſeueret Seiani vnius præfecti præt. maximam præ aliis omnibus, qui vel antè vel poſtea præfecturam prætorianam geſſerint, excepto Plautiano, de quo diximus, auctoritatem ac potentiam extitiſſe: Σιανὸς μὲν δὴ μέγιστον τῶν τε πρὸ αὐτοῦ καὶ τῶν μετ' αὐτὸν, πλὴν Πλαυτιανοῦ, τὴν ἡγεμονίαν ταύτην λαβόντων ἰσχύσας, οὕτως ἀπήλλαξεν. (*Ad hunc modum Seianus, inter omnes qui ante aut poſt illum, ſolo Plautiano excepto, eum magiſtratum geſſiſſent ſummam ad potentiam euectus, obijt.*) Hoc Dio. Sed omiſſis exemplis, quæ de poteſtate ac dignitate præfectorum præt. Iuris auctores atque hiſtorici literis mandarunt, vndequaque decerpamus, & collecta in corpus quaſi quoddam redigamus.

Ac primùm ſcriptor non indiligens Caſſiodorus [6], in formula præfecti præt. Gratanter implemus (inquit) quæ ille conſtituit: cuius reuerentia & nos ita conſtringimur, vt ſine dubitatione faciamus quæ illum decreuiſſe cognoſcimus. Præfectis præt. datam ple-

niorem

[1] lib. 57. hiſtor.
[2] lib. 3.
[3] in Alexandro.
[4] vide Xiphilinum in Alexandro.
[5] lib. 58. hiſt.
[6] lib. 6. variar.



niorem licentiam ad diſciplinæ publicæ emendationem, Iuriſconſultus [1] auctor eſt. Sub Conſtantio Imp. cunctæ caſtrenſes & ordinariæ poteſtates, vt honorum omnium apicem priſcæ reuerentiæ more præfectos ſemper ſuſpexêre prætorianos, vt Ammianus Marcellinus [2] tradit. Præfecturæ meritum cæteris dignitatibus anteſtare Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. [3] definiunt. Meritò: cùm præfectura prætoriana quidam principatus quoddam ſit Imperium, ſed ſine purpura: vt Eunapius [4] de Anatolio Azutrione præfecto prtæ. Illyrici loquens: προϊὼν δὲ, inquit, καὶ εἰς τὸν ἔπαρχον τῆς αὐλῆς ἤλασεν, ἡ δὲ ἀρχὴ βασιλεία ἐστὶν ἀπόρφυρος. (*Pergens eum in præfectum aulæ euexit. Eſtque ea præfectura principatus ſeu imperium ſine purpura.*) Et hoc tantùm à principe diſtet præfectus, quòd ſacrã purpuram & Imperatorias infulas non geſtet. Sanè præfectis præt. rerum ſummam commiſſam eſſe propter loci dignitatem, aiunt Imppp. Valentinianus Theodoſius & Arcadius [5]. Sed & iudices, id eſt prouinciarum præſides, præfectorum præt. cẽſuræ ſubditos eſſe iidem Impp. [6] innuunt, & Caſſiodorus [7] probat, cùm ait: Delicta prouinciarum iudicum punit, verbo ſententiam dicit: quid eſt quod non habeat commiſſum, cuius eſt vel ipſe ſermo iudicium? pene eſt vt leges poſſit condere, quando eius reuerentia poteſt negotia ſine appellatione finire, &c. Poteſtate igitur nulla dignitas eſt æqualis, vice ſacra vbique iudicat, &c. & licet aliæ dignitates habeant titulos præfinitos, ab iſta totum pene geritur, quicquid in imperio noſtro ęquabili moderatione tractatur: quòd & Conſtantinus Imp. [8] ita extulit: A præfectis autem præt. qui ſoli vice ſacra cognoſcere verè dicendi ſunt, prouocari non ſinimus, ne iam noſtra contingi veneratio videatur: atque hoc eſt quod Iuriſconſultus [9] ait: prætorio pręfectorum auctoritatem in tantum meruiſſe augeri, vt ab iis appellari non poſſit. Diocletianus quoque ac Maximianus Impp. [10] litigantibus in ampliſſimo pętorianæ pręfecturæ iudicio ſi contra ius ſe læſos affirment, non prouocandi, ſed ſupplicandi licentiam ſe miniſtrare aiunt. Verè igitur merum habebãt imperium præfecti præt. cùm & ij qui ſub ipſorum erant diſpoſitione præſides (à quibus tamen erat prouocatio [11]) illud habere dicerentur. Quod autem ait Caſſiodorus: Pene eſſe vt leges condere poſſit pręfectus præt. omnino exponendum ita eſt, vt generalem formam promulgare poſſit prioribus legibus, aut conſtitutionibus conſentaneam, non tamen contrariam. Etenim Alexander Impera. [12] Formam (inquit) à præfecto præt. datam, & ſi generalis ſit, minimè legibus vel conſtitutionibus contraria, ſi nihil poſtea ex auctoritate mea innouatum eſt, ſeruari æquum eſt. Eáque ratione illud (Pene) additum puto, vt ſciamus abrogandi iuris veteris facultatem non quomodo Principi, ſic Præfecto prætor. antiquitùs fuiſſe. Sanè curſus publicus & proficiſcendi per eum licentia, & vbi ratio exigeret præſto erat. Præſidibus autem & rationalibus ſiue catholicis, cæteríſque quibus ciuitates adminiſtrare

[1] l. 1. D. de offic. præf. præt.
[2] lib. 21.
[3] l. 1. C. de offic. vicarij.
[4] in lib. de vita philoſophorum, vbi de Proæreſio.
[5] l. quilibet 40. C. de decurion. lib. 10. & ibi Cuiacius.
[6] l. ne quis. 38. cod. tit. l. 3. C. de offic. præf. præt. Orient.
[7] lib. 6. variar. in formula præfecti præt. & in Pſal. 104.
[8] l. à proconſulibus 16. C. Theod. de appellation.
[9] d. l. 1. §. 1. D. de offic. præf. præt.
[10] l. vnica. C. de ſenten. præf. præt.
[11] l. propter. 21. §. vlt. D. ad SC. Syllania. l. 7. D. ad leg. Iul. de vi pub. Paulus lib. 5. ſentent. ti. 26.
[12] l. 2. C. de officio præf. præt. Illyr. facit l. apertiſſimi. C. de iudiciis.

annonas,& pecoribus alimenta ſolebant, parauerhedos vſurpare, aut alia niſi per quam curſus publicus ſtabat,via ire non licebat:idque Conſtantini [1] reſcripto continetur.

Porrò non annuum,bimum, aut trimum,vt Proconſulum, aut Præſidum,ita & Prefectorum præt.imperium fuit:ſed ex principũ, qui eos promouerant, voluntate vel perpetuum vel momentaneũ. Sub Commodo quidem certe, vt Lampridius [2] narrat, Niger ſex tantum horis,Martius Quartus diebus quinque præfectus prætorij fuiſſe perhibetur.Mutabantur enim (inquit) præfecti præt.per horas ac dies.

[1] l.2.C. de curſu pub.li. 12.
[2] in Commodo.

Præfectum præt.patrem imperij vocari,& à præcone renuntiari ſolitum innuit Caſſiodorus [3],vbi de Ioſepho Pharaonis præfecto præt.loquitur,his verbis:Ab illo namque patriarcha, & nunc pater appellatur imperij, ipſum hodiéque reſonat vox præconis inſtruens iudicem,ne ſe patiatur eſſe diſſimilem. Fuit igitur Imperatorum tempore præfecti præt.auctoritas & poteſtas maxima, præ magiſtratibus reliquis : dignitas verò inferior Conſulari & Patriciatus honore,ſed æqualis magiſterio militum,vrbicariæ præfecturæ ſacríque cubiculi præpoſituræ. Sidonius [4] ad Serranum de Maximo quodam ſcribens, eum ait in arcem præfectoriam patriciam conſularémque aſcendiſſe : & de conſulari, vtpote de altiſſimo dignitatis gradu,poſtremo loco loquitur,vt creſcat oratio.Sic ad Papianillam ſcribens [5] idem auctor, de fratre ipſius Hecdicio : Noſtris ſuíſque liberis in poſterum exopto votis in commune(inquit) depoſcens, vt ſicut nos vtramque familiam noſtram præfectoriam nacti,etiam patriciam diuino fauore reddidimus:ita ipſi quam ſuſcipiunt patriciam faciant conſularem. Præfectum vrbi, aiunt Imppp [6].& præfectum prætorio, & magiſtros equitum ac peditum indiſcretæ ducimus dignitatis. & alio loco [7]:Sacri cubiculi præpoſiti ea dignitate fungantur,qua ſunt præditi qui eminentiſſimam prætorianam vel vrbanam meruerint præfecturam, aut certe militarem magiſteriam poteſtatem,&c.Caſſiodorus [8] agens de patricio,Præfectorios & aliarum dignitatum viros præcedit,vni tantùm cedẽs fulgori,quem interdum à nobis conſtat aſſumi. Quamobrem quod ait [9] Imp.Zeno, ſublimem patriciatus honorem cæteris omnibus anteponi : ſic accipiendum eſt, vt de priſco Conſulatus honore:

*(qui portus honorum*
*Semper erat,*

vt ait noſter Claudianus [10],& poſtea cœpit ab Imperatoribus ipſis nonnunquam geri)non intelligatur.

Præfecturam magiſterium aut patriciatum non gerit princeps, Conſulatum ſuſcipit.Quapropter ab ipſo Claudiano [11] Roma ſic ad Stiliconem loquens inducitur, quòd Conſulatus honorem, quem defenderat,fugeret ac ſperneret:

*tanta quem mole tueris,*
*Reſpuis oblatum pro quo labente reſiſtis:*

[3] in ſupradicto loco li.6. variar.
[4] epiſt.13.li. 2.
[5] epiſt.16.li. 5.
[6] l.1.tit. 4. de præfec. præt. ſiue vrbis, & magiſtris milit.in dignit.exæq.C.li.12.
[7] l.1.C. de præpoſit. ſacr. cubic.lib. 12.
[8] in formula patriciatus.
[9] l.3.C. de conſulib. tit. 3.lib.12.
[10] in panegyr.2.de laudibus Stiliconis.
[11] in panegyr.2.de laudib.Stilic.

& ſta-



& ſtatim,

*te Conſule necdum*
*Digna feror.titulúmne leuem paruíque nitoris*
*Credimus,Auguſti quo ſe decorare fatentur?*
*Sub iuga quo gentes captiuis Regibus egi?*

Merito itaque cùm honorem Conſulatus & incipientes principes & deſinentes,auctore Plinio [1],adeo concupiſcant vt auferant,quẽadmodum præfecto præt.patricius, ita patricio Conſul præfertur: Præfectus præt.auctoritate ac poteſtate hos ſuperat: Conſul & patricio & præfecto dignitate antiſtat. Conſul antiquior poſteriori licet bis Conſuli præfertur,poſteriori conſuli & patricio cedit:Cõſul poſteriori conſuli & iam patricio, ſi ipſe poſtea patricius fiat, præferetur ex Theodoſii & Valentiniani Imperatorum [2] conſtitutione,in qua de præfectorio nihil traditur:qui & patricio & multo magis Conſuli cedit.Vir tamen præfectorius,quem Cõſulari poſtponi diximus,fœminæ conſulari præfertur:quia maior dignitas eſt in ſexu virili,ait Vlpianus [3] libro LXII. ad edictum: in quo de bonis auctoritate iudicum poſſidendis, de priuilegiis & prælatione creditorum tractabatur,vt rectè ſententiam illam Accurſius retuliſſe videatur ad ſpeciem l.Si plures.§.vlt.& l.Maiorem. D.de Pact. Igitur ſi argumentemur à contrario ſenſu eius quod ait Vlpianus, præfectoria cõnſulari fœminæ,vel præfectorius vir conſulari viro non præfertur:imo etiam poſtponitur,vt ex iis quæ paulo antè diximus apparet [4],atque ex eo quòd præfectis præt. Conſulatus honor tanquam illuſtrior olim deferebatur. Sic Plautiano Præfecto præt.non conſularia tantùm inſignia, ſed etiam ſenatoriam poſtea dignitatem,& conſulatum à Seuero Imp. delatum fuiſſe Dio [5] teſtatur:ſic ſub Opilio Macrino Conſul Aduentus factus eſt, quem cum eo Præfectum præt.fuiſſe ſub Antonino Caracalla oſtendimus [6].

Sic ab Eutychiano(qui Comazon dictus fuit) Præfecto quondã præt. Conſulatum Antonini Heliogabali temporibus non ſemel, ſed iterum ac tertiò geſtum fuiſſe idem auctor [7] ſcribit,his fere verbis: τῶν τε δορυφόρων ἦρξεν (de Eutychiano loquitur) ἐν μηδεμιᾷ τῶν πράξεων ἐπιτροπείᾳ ἢ καὶ προστασίᾳ πλὴν τῆς στρατοπέδου ἐξετασθείς, καὶ μετὰ τοῦτο καὶ ὑπάτευσεν οὐχ ἅπαξ μόνον, ἀλλὰ καὶ δεύτερον καὶ τρίτον, ὃ μηδενὶ πώποτε ἄλλῳ ὑπῆρξεν· ὅθεν που καὶ τοῦτ' ἐν τοῖς παρανομωτάτοις ἀριθμηθήσεται. (*Pretorianis cohortibus præfuit quum ante in nulla procuratione aut præfectura præterquam caſtrorum cognitus fuiſſet. Deinde non ſemel tantùm ſed iterum ac tertiùm Conſul factus eſt,quod ante acciderat nemini. Ex quo fit,vt id quoque in rebus iniquiſſimis iure adnumeretur.*)

Denique ſic Mamertinus Præfectus præt. gratias egit Iuliano Imp.pro Conſulatu ſibi delato,vt & Auſonius Gratiano,quantum ex ipſorum Panegyricis colligimus:in quibus illius quidem hæc verba ſunt ad hunc locum appoſitiſſima: At cùm me Prætoriis præfeciſti, & prouincias de te egregiè meritas meæ fidei tutelæque mandaſti,ingens iudicij tui fuit munus : ſed in eo non mihi ſolùm

[1] in panegyrico Traiani.
[2] l.1.C.de conſul.tit.3. lib.12.
[3] l.1.D.de Senator.
[4] vide etiã hac de re Cuiacium in commentario ad Nouellam Iuſtiniani. 62.
[5] lib.46. ex quo verba deſcripſimus initio huius cap.
[6] cap.1.
[7] vide Xiphilinum in Auito Pſeudantonino Sardanapalo.

quem tanta poteſtate ſuccinxeras: verùm etiam negotiis tuis commodaſſe aliquatenus videbâre. Porro in decernendo Conſulatu, remotis vtilitatibus tuis, rationem meæ ſolùm vtilitatis habuiſti: nã in adminiſtrationibus labor honori adiungitur, in Conſulatu honos ſine labore ſuſcipitur. & poſt multa, Quid quod nihil ſeparatim mihi de honoris augmento: neque enim vltra Præfecturam, ſe votorum meorum modeſtia porrigebat, præfertur nuncius Conſulem me creatum: ſine impendio, quòd iam diu paucis: ſine labore, quòd nunquam: ſine petitione, quòd nemini, &c. Auſonij verò quę ſubiiciam, vnica mihi & amplectenda eſt Frontonis imitatio, quem tamen Auguſti magiſtrum ſic Conſulatus ornauit, vt præfectura non cingeret. & paulò pòſt, Interrogatus quem priorem decerneres Conſulem, illico ſubdidiſti: Quid de duobus Conſulibus deſignatis quæritis, quis ordo ſit nuncupationis? ánne alius quàm quem Præfectura conſtituit? Ergo Gratiani Imp. iudicio in Conſulum renunciatione præfertur præfectorius ei, qui præfecturam non geſſit. At certe Conſul antiquior præfectorium, & poſteriorem Conſulem dignitate antecedit: nam cùm præfectorius cedat Conſuli licet poſteriori, antiquior verò Conſul bis conſulem ſuperet, quia repetiti faſces virtutes ſæpe meriti comprobant non augent, cùm nihil eſt altius dignitate vt Imperatorum reſcripto continetur: conſequens eſt, vt præfectorius & Conſul antiquiori Conſuli neque pręfectorio cedat. Hactenus de auctoritate, munere ac dignitate præfecti præt. diximus. Sequitur, vt de dignitatis eius inſignibus locos aliquot ex bonis & probatis hiſtoriæ Romanæ auctoribus adferamus.

*Inſignia præfecti præt. Carpentum & gladius. Adparitio Præfecti præt. Gladius principis. Gladij nomine merum imperium ac vitæ neciſque ius ſignificatur. Gladij vel pugionis ferendi ius penes quos olim fuerit. Emendatur Dionis locus.*

## CAP. III.

VT Conſulũ inſignia fuerunt toga prætexta primùm, deinde picta & palmata veſtis, itẽ duodecim lictores cum faſcibus, ſella curulis eburnea, ſcipio eburneus, id quod alio loco[1] variis auctorũ teſtimoniis cõprobauimus: vt is qui Cura palatij dicebatur, aurea virga decoratus inter obſequia numeroſa ante pedes regios primus incedebat, ídq. ipſius inſigne fuiſſe Caſſiodorus[2] docet: ita duo potiſſimum prætorianæ præfecturæ inſignia in veterum auctorum libris agnouimus, Carpẽtum ſiue tribunal, ſella curuli magiſtratuum & ordinariorum iudicum altius, & item gladiũ, id eſt vel enſem vel pugionem quem Græci ξίφος vocant.

De carpento ſiue tribunali Caſſiodorus[3], vbi de Ioſepho loquitur: Ipſe primùm, inquit, huius dignitatis infulas conſecrauit, ipſe carpentum reuerendus aſcendit ad hoc glorię culmen euectus, &c. Tribunal tuum ideo tam excelſum factum eſſe noueris, vt locatus ibi

1 *ad l. 2. de orig. iur. in appendicibus ad commentarium de regul. iur.*
2 *lib. 7. variar. in formula Curæ palatij.*
3 *lib. 6. variar in formula præfecti præt.*



ibi nihil humile abiectúmque cogitares. Meſſalinæ primùm Imperatoris Claudij temporibus permiſit Senatus, vt carpento vteretur: καὶ τῇ Μεσσαλίνῃ, ait 1 Dio, τὴν προεδρείαν ἣν καὶ ἡ Λιουΐα ἐσχήκει, καὶ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν: (*Sedes primas, quas & Liuia quondam tenuerat, & carpento vehi Meſſalinæ permiſerant.*) cuius rei Suetonius 2 commeminit. Idem honos Agrippinæ quoque à Senatu conceſſus fuit, poſtquàm à Meſſalinæ obitu Claudio Imperatori nupſit: ſic enim de Agrippina paulò pòſt Dio: καὶ ἡ μὲν ταχὺ καὶ αὐτὴ Μεσσαλῖνα ἐγένετο, καὶ μάλιστα ὅτι καὶ τιμὰς ἄλλας τε καὶ τῷ καρπέντῳ (ita malo quàm καρπεντίῳ legere) ἐν ταῖς πανηγύρεσι χρῆσθαι παρὰ τῆς βουλῆς ἔλαβεν. (*Mox in Meſſalinam planè commutata eſt, tum præſertim cùm Senatus ei honores quoſdam vtque carpento ludis veheretur decreuit.*) Alios autem à præfecto prætorij magiſtratus Romæ ſella curuli, non etiam carpento vehi ſolitos reperio: niſi quòd Flauius Vopiſcus 3, Hilaribus (inquit) quibus omnia feſta & fieri debere ſcimus & dici, impletis ſolennibus vehiculo ſuo me & iudiciali carpento Præfectus vrbis vir illuſtris, ac præfata reuerentia nominandus accepit. Sed forſitan καταχρηστικῶς (vt fit) carpentum pro ſella curuli nominauit homo Syracuſius.

Ad enſem ſiue gladium, quo Præfectus præt. donari atque accingi ſolebat à principe, locus 4 Herodiani pertinet, vbi de Plautiano, qui prætorias (vt ante diximus) cohortes ſub Imp. Seuero rexit: ἠμφίεστο γάρ, ait, τήν τε πλατύσημον ἐσθῆτα ἔν τε τοῖς δευτέροις ὑπατεύσασιν ἐτέτακτο, παρηώρητό τε αὐτῷ ξίφος καὶ παντὸς ἀξιώματος σχῆμα ἔφερε μόνος. (*Siquidem latum clauum perpetuò habebat, atque in ſecundis conſularibus numerabatur. Enſem præterea geſtabat cateráque omnia ſupremæ dignitatis inſignia ſolus.*) Sed & alter eſt de Præfecti enſe ſiue gladio apud Dionem 5 locus, quem imperitè (opinor) faciunt 6 qui ad tribunum militum referunt: cùm δορυφόρους non milites quoſlibet, ſed prætorianos duntaxat nominemus: & verò Tribunus non ἐπαρχεῖν, (*imperare*) ſed χιλιαρχεῖν (*Tribunitiam poteſtatem habere*) dicatur. Etenim ſub Præfecto præt. erant Centuriones, Tribuníque prętoriani, quorum Suetonius 7, Tacitus 8, Herodianus 9, Dio 10 meminêre. Ac Tribuni quidem cohortium prætorianarum viciſſim nocturnam principis cuſtodiam obibant: Imperatoris Seueri temporibus vnus ex prætoriatum cohortium Tribunis ſub Plautiano Præfecto præt. Saturninus fuit: ſic enim de ipſo Herodianus 11: εἷς ἦν, inquit, τῶν ὑπ' αὐτῷ χιλιαρχούντων τὴν νυκτερινὴν φρουρὰν ἐκ περιόδου ἐγκεχειρισμένος. (*Quidam erat ex ipſius Tribunis cui mandata erat per vices nocturna cuſtodia.*) Dionis autem hæc verba ſunt, quæ apud Xiphilinum ac Zonaram hodiéque extant 12, vbi de Licinio Sura: ἀλλὰ καὶ ὅτε πρῶτον τῷ μέλλοντι τῶν δορυφόρων ἐπάρξειν, τὸ ξίφος ὃ παραζώννυσθαι αὐτὸν ἐχρῆν ὤρεξεν, ἐγύμνωσέ τε αὐτὸ καὶ ἀνατείνας ἔφη, Λάβε τοῦτο τὸ ξίφος, ἵνα ἂν μὲν καλῶς ἄρχω, ὑπὲρ ἐμοῦ, ἂν δὲ κακῶς, κατ' ἐμοῦ αὐτῷ χρήσῃ, id eſt, (*Traianus Suram Licinium ad præfecturam prætorianam promoturus, gladiúmque, quo eum ob dignitatẽ accingi oportuit, præbiturus vagina eduxit, atque ipſi porrigens, Accipe* (inquit) *hunc gladium, vt eo ſi bene imperauero, pro me: ſin malè, in me vtaris.* Ad hoc

1 *lib. 58. hiſtor. vide Xiphilinum in Claudio.*
2 *in Claudio cap. 11. & 17.*
3 *in Aureliano ſtatim in ipſo initio.*
4 *lib. 3.*
5 *in Traiano*
6 *Merula Dionis interpres, Connanus lib. 9. ca. 5. Coraſius ad l. 1. D. de offic. præfe. præt. Turnebus lib. 12. aduerſar. ca. 6.*
7 *in Nerone cap. 47. in Caligula cap. 40. & 46.*
8 *li. 5. 15. & 17. annal.*
9 *lib. 4.*
10 *lib. 57. & 58.*
11 *lib. 3.*
12 *in Traiano.*

*1 in paneg. Traiani.*

Traiani principis dictum aut factum aſpexiſſe videtur Plinius vbi [1] de Præfecti manu à Traiano in ſe armata loquitur, his fere verbis: Sed ingenti conſcientia Cæſar paciſceris cum Diis, vt te ſi mereberis ſeruent: cùm ſcias an merearis neminem magis quàm Deos ſcire. Nonne vobis, patres conſcripti, hæc diebus ac noctibus agitare ſecum videtur? Ego quidem in me ſi omnium vtilitas ita poſceret, etiam præfecti manum armaui: ſed ne Deorum quidem aut iram aut negligentiam deprecor, &c. Quem enim Plinius præfectũ nullo alio adiecto nominat, Præfectum prætorio interpretor. Is gladium principis ſibi creditum gerebat, vt de Tigellino Philoſtratus in hæc verba quodam loco [2] ſcribit: Τιγελλῖνος γὰρ ἐφ' ᾧ τὸ ξίφος ἦν τοῦ Νέρωνος ἀπήλαυνεν αὐτὸν (loquitur autem de Demetrio philoſopho) τῆς Ῥώμης ὡς τὸ βαλανεῖον κατασκάψαντα ὡς εἶπε. (*Tigellinus enim qui gladium Neronis geſtabat, exegit eum Roma, quòd, vt inquiebat, balneum ſubruiſſet.*) Fuit namque Tigellinus ſub Nerone Præfectus prætorio: igitur apud Plutarchum [3] quoque Nymphidius Sabinus ἔπαρχος ὢν μετὰ Τιγελλίνου τῆς αὐλῆς, *qui cum eodem Tigellino Galbæ temporibus Præfectus præt. fuit,*) collegæ imperauit, vt gladiũ poneret: Τιγελλίνῳ τῷ συνάρχοντι προσέταξεν ἀποθέσθαι τὸ ξίφος: hoc eſt, (*vt magiſtratu ac poteſtate, cuius inſigne gladius fuit, ſe Tigellinus abdicaret.*) Ad gladium Præfecti præt. illa ex panegyricis verba, quę ſuperius adſcripſi, pertinent: Quem tanta poteſtate ſuccinxeras, &, vt præfectura non cingeret. Illa quoque verba, quæ philoſophus apud Herodianum in ſcena pronunciat, Commodum alloquens: ἐπίκειται γάρ σου τοῖς αὐχέσι τὸ τοῦ Περεννίου ξίφος: id eſt, (*ceruicibus tuis imminet gladius Perennis:*) hunc pretorianam prefecturam adminiſtraſſe ſuperius diximus.

*2 lib. 4. de vita Apollonij cap. 14.*

*3 in Galba.*

Ad exemplum autem Præfecti præt. Iuſtinianus vicario Pontices ſuo (vicarius autem eſt, qui & in hiſtoria beati Apollinaris martyris iudex atque vicarius Præfecturæ nominatur: propterea quòd, vt aiunt [4] Imperatores, pro præfecto diœceſes ſibi creditas temperat: & ideo vicariam Præfecturam, [5] & vices Præfecti pretorio agere [6] dicitur) vt delicta ſiue communia, ſiue militaria vindicandi ius & facultatem habeat, & gladij ferendi poteſtatem (quam ξίφους ἄδειαν, *gladij priuilegium* vocat) octauo edicto ſuo [7] permittit: & pro adparitione atque officio præconem & lampadarios quatuor, ad exemplum itidem Præfecti prætorio: in cuius adparitione ſcriniarios ab actis præcones commentarienſes & Lampadarios fuiſſe, nõ modò ex Imperij Romani Notitia colligitur: ſed ex illo etiam Iuliani anteceſſoris (qui Iuſtiniani Nouellas in epitomen redegit) loco [8] manifeſtum fit: vbi de Bono quæſtore exercitus ſic fere ſcribit: Adparitionem quoque ei dedit, ad imitationem quandam Præfecti præt. id eſt, ſcriniarios, & ab actis, & præcones, & commentarienſes, & lampadarios, & omnem deinceps ordinem.

*4 l. 1. C. de offic. vicar. l. 1. C. de proxim. ſacr. ſcrin. lib. 12.*

*5 in inſcriptione l. 3. C. Theod. de ſponſal & l. 3. C. Theodo. de famo. libel.*

*6 in inſcriptione l. 1. C. Th. de vſur.*

*7 de vicario Pontices.*

*8 conſtitut. 88. apud Iulianum.*

Nam quod gladium Imperatores & gerebant ipſi nonnunquam, & aſſeruandum etiam ſuis Præfectis dabant, eo merum imperium & ius



& ius vitæ ac necis ciuium ipſis tributum fuiſſe conſtitit: cuius nota & ſignum eſt, gladius. Itaque apud Senecam, Gladij nomen pro ſummo illo imperio interpretor, cùm ad Neronem ſcribens, Præſtitiſti Cæſar, inquit [1], ciuitatem incruentam, & hoc quod magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe ſtillam cruoris humani miſiſſe, quo maius eſt mirabiliúſque, quòd nulli vnquam citius gladius commiſſus eſt. Sanè Galba vt occiſum Neronem, cunctóſque in verba ſua iuraſſe cognouit, depoſita legati ſuſcepit Cæſaris appellationem, itérque ingreſſus eſt paludatus, ac dependente (vt eſt apud Suetonium [2]) à ceruicibus pugione ante pectus: nec prius vſum togæ recuperauit, quàm oppreſſis qui nouas res moliebantur: deinde Vitellius, qui Imperator conſalutatus circumlatúſque fuerat per celeberrimos vicos, ſtrictum diui Iulij gladium tenens, detractum delubro Martis atque in prima gratulatione porrectum ſibi à quodam (vt idem Suetonius [3] memorat) ille ipſe Imperator Vitellius à Veſpaſiani exercitu Romæ oppreſſus aſſiſtenti Conſuli (Cæcilius Simplex erat) ſolutum à latere pugionem velut ius necis vitæque ciuium reddidit, quemadmodum à Cornelio Tacito [4] relatum eſt, & à Dione [5] his verbis: τὸ ξίφος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τοῖς τε ὑπάτοις καὶ τοῖς ἄλλοις βουλευταῖς ὤρεγεν, ὡς καὶ τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν δι' αὐτοῦ ἀποτεθειμένος: id eſt: (*gladium in concione Conſulibus & aliis Senatoribus præbuit, velut ea ratione imperium depoſiturus.*)

*1 lib. 1. de clementia cap. 11.*

*2 in Galba. cap. 11.*

*3 in Vitellio cap. 8.*

*4 lib. 19. annal. vide Suetonium Vitellio ca. 15.*

*5 vide Xiphilinum in Vitellio.*

Solis principibus (licet Romæ inque vrbibus Italiæ, ſemper ſine penulis togatíque viderentur, vt plurimis ex locis [6] colligi & manifeſtum fieri poteſt) itémque Præfecto præt. Romæ quidem, quòd ſciam, merum imperium & ius atque vſus gladij conceſſus fuit: reliqui magiſtratus in vrbe togati erant, vt Conſul & Prætor, & antiquitùs ipſe quoque Dictator, itémque magiſter equitum, ad cuius vicem Præfectum præt. fuiſſe inſtitutum, initio diximus. De Antonio quidem certe Iulij Cæſaris dictatoris magiſtro equitum, ita loquitur [8] Dio, quaſi occaſione belli ciuilis nonnunquam ferro accinctus, magnáque militum caterua ſtipatus per vrbem incederet, nihilominus tamen & prætexta & faſcibus (quæ florente Repub. magiſtratùs illius inſignia fuêre) adhuc vteretur. Dionis hæc verba ſunt: ὁ δὲ δὴ Ἀντώνιος οὐδέπω μὲν ἐσθῆτος ἕνεκα (τῇ γὰρ περιπορφύρῳ ἐχρῆτο) καὶ ῥαβδούχων (τοὺς γὰρ ἓξ μόνον εἶχε) τοῦ τε τὴν βουλὴν ἀθροίζειν, εἰκόνα τινὰ τῆς δημοκρατίας παρείχετο. τῷ δὲ δὴ ξίφει ᾧ παρέζωστο, καὶ τῷ πλήθει τῶν συνόντων οἱ στρατιωτῶν τοῖς τε ἔργοις αὐτοῖς ὅτι μάλιστα τὴν μοναρχίαν ἐνεδείκνυτο. (*Antonius quidem nequaquam veſte (eam enim purpura prætextam habebat) & lictoribus (quibus ſex tantùm vtebatur) & quia Senatum conuocabat, ſpeciem quandam popularis Reip. ſtatus exhibebat: gladio autem quo accingebatur multitudinéque ſtipulantium ipſum militum ipſiſque præcipuè actionibus penes vnum eſſe totam rerum ſummam demonſtrabat:*) in quibus illud (οὐδέπω *nequaquam*) reiiciendum, & ipſius loco ſubſtituendum ἔτι τῆς μὲν, *eoúſque*, aut, ὅσον τῆς μὲν, *eatenus*, aut quid-

*6 Spartiani in Adriano. Lampridij in Alexandro, Trebellij Pollionis in Gallienis. facit Dio in Caracallo vbi de Cilone, facit Suetonius in Galba cap. 11.*

*7 lib. 42. hiſtor. vide & lib. 45. vbi eadem de re.*

piam aſſimile reor: idémque ſentiet mecum, ſi quis ad mentem optimi auctoris propius attenderit: ne alioqui ſibi contrarius eſſe videatur: nam vel eo maximè ſpeciem quandam & imaginem veteris democratiæ præferebat, exhibebátque Antonius quod Senatum cogeret, illíſque magiſtratuum inſignibus vteretur: quæ Lepido & ipſi magiſtro equitum idem auctor[1] tribuit, vbi ὅτι καὶ ῥαβδούχοις, ait καὶ τῇ ἐσθῆτι τῷ τε δίφρῳ τοῖς ἀρχικοῖς, ὥσπερ καὶ ὁ ἵππαρχος ἐκέχρηντο. (*Quòd lictoribus, & veſte imperatoria ac ſella curuli, haud aliter ac magiſter equitum, vſi eſſent.*) Itaque de ipſo Antonio magiſtro equitum Quintus Ruffus Calenus ſic in oratione quadam ad Senatum, apud eundem Dionem[2] loquitur: ὅτι τοὺς μὲν ῥαβδούχους, καὶ τὸ ἔσθημα τὸ περιπόρφυρον κατὰ τὰ πάτρια τὰ περὶ τῶν ἱππάρχων νενομισμένα εἶχε, τῷ δὲ δὴ ξίφει καὶ τοῖς στρατιώταις κατὰ τῶν στασιαζόντων ἀναγκαίως ἐχρῆτο. (*Adeſſe ei ex maiorum de Magiſtro equitum inſtituto & lictores & purpuram, gladio autem neceſſariò & militibus contra ſeditioſos opus eſſe:*) quibus verbis ea quæ modò diximus, mirum in modum, niſi me fallit opinio, illuſtrantur atque comprobantur. Præfectus autem vrbi, etſi ius gladij & merum imperium ex conſtitutionibus poſteriorum Imperatorum habuit, gladij tamē gerendi poteſtatem eum non habuiſſe crediderim.

1 *lib.43.hiſt.*
2 *lib.46.*

Ex prouincialibus magiſtratibus Præſides quidem, qui militari veſte, id eſt[3] chlamyde amicti proficiſcebantur in prouincias, ex Auguſti conſtitutione vt gladio accingebantur, ita gladij poteſtate, id eſt mero imperio in milites vtebantur: ergo vtrumque habuerunt: Proconſules autem ab initio neutrum, ſed ex recentiorum Imperatorum conſtitutionibus (quarum in Pandectis quoque mentio fit) gladij poteſtatem habuerunt: ita tamen vt non quidem eo accingerentur, ſed vt in ſontes etiam paganos, ex vi meri imperij, gladio animaduertere poſſent[4]: qua de re ex Dione[5] diximus quæ ſentiremus, in commentario ad titulum Digeſtorum De diuerſis regulis iuris antiqui[6], ante aliquot annos à nobis in lucem edito. Mittebantur etiam Tribuni nonnunquam in prouincias cum iure gladii, vt vel ex illo Seueri Sulpitii loco[7] apparet, in quo ſic ſcribit: Poſtera die palatium prę ter multas, quas euoluere longum eſt, has principales petitiones habebat pro Narſete comite, & Leucadio præſide, quorum ambo Gratiani partium fuerant pertinacioribus ſtudiis, quæ non eſt huius temporis explicare, iram victoris emeriti: illa præcipua cura erat, ne Tribuni cum iure gladiorum ad Hiſpanias mitterentur: pia enim erat ſolicitudo Martino, vt non ſolùm Chriſtianos qui ſub illa erant occaſione vexandi, ſed ipſos etiam hæreticos liberaret.

3 *Bene id eſt vt apparet ex Dione li. 45. hiſtor. & Xiphilino in Caracallo vbi de Cilone.*
4 *l. illicitas. §. qui vniuerſas D. de of. præſid.*
5 *lib.53. hiſt.*
6 *ad l. Nemo poteſt. 70 D. de reg. iu.*
7 *li.3. de vita beati Martini.*

Vtrum ad Præfecti prætorio, an ad pręſidis prouinciæ gladium pertineant loci duo, quos è Statio Papinio & Philoſtrato nuper in Aduerſariis ſuis[8] Adr. Turnebus vir eruditiſſimus indicauit, diu multúmque dubitaui: ſed quando ad alterutrum pertinere conſtat, ipſe ad Præfectum præt. potius retulerim. Nam Papinius[9] quidem ad Criſpinum (fuit verò Claudii ac forſitan etiam Tiberii tempore Criſpinus Præfectus præt. id quod ſuo loco docuimus) ita cecinit:

8 *lib.12. c.6.*
9 *lib.5. ſyluarum in protreptico ad Criſpinum in fine.*



*en ingens reſerat tibi limen honorum*
*Cæſar, & Auſonij committit munia ferri.*
*Vade puer, tantíſque enixus ſuffice donis.*
*Felix qui magno iam nunc ſub præſide iuras,*
*Cuíque ſacer primum tradit Germanicus enſem.*

Philoſtratus[1] autem, Βάσσου δὲ (inquit, vbi de M. Antonino philoſopho atque imperatore) τοῦ πεπιστευμένου τὸ ξίφος θάνατον αὐτοῦ φήσαντος ὁ Ἡρώδης ὦ λῷστε ἔφη γέρων ὀλίγα φοβεῖται. (*Baſſo, cui concreditus fuerat gladius, mortem ipſius nuntiante, inquit Herodes, O optime ſenex pauca timet.*)

1 *libr. 2. de vita ſophiſtarū in Herode.*

His addo de enſe ſiue gladio, duos alios ex Papinio & Dione locos, in quibus ille[2] quidem:

*Nec vulgare genus faſces ſummámque curulem,*
*Frater & Auſonios enſes mandatáque fidus* *Signa tulit.*

2 *Statius li. 3. ſyluarū in lachrymis Hetruſc.*

Huius autem vbi de quodam Parthenio loquitur, qui (cùm Domitiani cubiculo præpoſitus & in eum honorem eſſet euectus à principe vt gladium ferret) in eius cædem conſpirarat, ipsíque inſidias fecerat: hæc verba ſunt quę Xiphilinus[3] retulit: ἐπέθεντο δὲ αὐτῷ καὶ συνεσκευάσαντο τὴν πρᾶξιν Παρθένιός τε ὁ πρόκοιτος αὐτοῦ καίπερ οὕτω τιμώμενος παρ' αὐτοῦ ὡς καὶ ξιφηφορεῖν καὶ Σιγηρὸς ἐν τῇ προκοιτίᾳ καὶ αὐτὸς ὢν Εντελλός τε ὁ τὰ τῆς ἀρχῆς βιβλία διέπων μετὰ Στεφάνου ἀπελευθέρου. (*Inuaſerunt eum homines inſidias moliti, Parthenius præfectus cubiculi eius, quamuis magno honore ab eo ferendi gladij affectus fuiſſet: & Sigerius qui & ipſe cubicularius erat: Itémque Entellus cui incumbebat cura libellorum Imperij cum Stephano liberto.*) &c. Sanè quod ait Xiphilinus de præpoſito cubiculi, à principe permiſſum ei τὸ ξιφηφορεῖν, (*gladium gerere,*) hoc videtur eſſe quod multo poſt tempore duobus Præpoſitis vtriuſque ſacri cubiculi, qui poſt finitam militiam ſenatorio fuerint conſortio ſociati (vt ſermone Imperatoris vtar) Anaſtaſii[4] conſtitutione ad magiſtrum officiorum ſcripta conceſſum fuit, vt quoties ad aſpectandos agros ſuos, vel ob aliā cauſam proficiſci vellent, cingulo vterentur: cùm hoc ad implendū, ait Imperator, eorum deſiderium & ad nullius læſionem reſpicere videatur: quò illud quoque fortaſſe pertinet, quod de Narciſſo, qui ab epiſtolis & libertus Imperatoris Claudii fuit, apud Zonarā[5] ita ſcriptum legimus: καὶ ὁ Νάρκισσος ὃς τῶν ἐπιστολῶν ἐπεστάτει, διὸ καὶ ἐγχειρίδιον παρεζώννυτο. (*Et Narciſſus qui epiſtolarum curam gerebat, ideóque pugione accingebatur.*) Quamuis enim pugillares potius quàm pugionem ei, qui epiſtolarū curam gerit, conuenire non diffiteamur: attamen cùm accingendi verbo vtatur Zonaras, pugillares verò nō accingantur lateri ſed gerantur, atque tractentur manibus, de pugione locū illum (vt nunc quidem eſt) accipere atque interpretari malumus: præſertim quod de liberto Claudii loquitur Zonaras, & quē dam ſub Commodo libertinum à pugione appellatum fuiſſe, qui deinde Præfectus præt. fuerit, ex Lampridio antè diximus: vt videatur hæc libertinorum propria dignitas fuiſſe.

3 *in Domitiano*
4 *l. vlt. C. de præpoſit. ſac. cubic. li. 12.*
5 *annal. tom. 2. in Claud.*

Cæterùm eſt (vt opinor) illud apud Papinium notatu dignum, ſiue ad Præfectum prætorio, ſiue ad præſidem & rectorem prouinciæ referatur: quod ait vno loco, Auſonios enſes, altero, Auſonii munia ferri, eandem rem ſignificari: nimirum ius gladii & merum imperium: quod etiam ius ferri à Lucano clariſſimo poeta nominatur iis verſibus, quos ad titulum 1 de regulis iuris adduximus: & ferrum à Seneca 2 in illo loco, vbi docere vult magiſtratum aut iudicem ira vacuum eſſe debere: vides, inquit, quàm debeat omni perturbatione liber accedere ad rem ſumma diligentia tractandam, poteſtatem vitæ neciſque. Malè irato ferrum committitur.

1 in commentario ad l. nemo poteſt.
2 lib. 1. de ira cap. vlt.

---

*Pœna ferri ſiue gladij duplex. Decollatio ſecuri vel gladio fiebat. Pœna iudicato comprehenſa mutari non poteſt à Præſide, ſed à principe, à quo liberum mortis arbitrium, non ab illo permittitur. Taciti locus emendatus.*

## CAP. IIII.

DE iure ferri & gladii, quòd aliquam modò mentionem fecimus, facile adducor vt de gladio, de pœna gladii, de libero denique mortis arbitrio nonnulla minimè vulgaria, quæ animo ſuccurrunt, ex Iuris aliarúmque literarum auctoribus proponam.

Ferrum & gladium apud auctores bonos pro eodẽ vſurpari, hoc argumento alibi 3 docuimus, quòd gladiatores ferrum recipere dicantur, eadémque pœna ſit eius qui ad ferrum, & eius qui ad gladium damnatus eſt, nempe ludus gladiatorius: ad quem qui datur eum intra annum conſumi oportere Paulus ait 4 in receptarũ ſententiarum libris. Cæterùm eſt alia gladii ſiue ferri pœna, cùm quis ita damnatur, vt gladio in eum animaduertatur 5: quæ non ad eam quæ fit inter gladiatores decertationem, ſed ad capitis amputationem 6 ſiue decollationem (nam ita quoque à probatis Latinæ linguæ auctoribus 7 nominatur) pertinet. Sic illa Saluiani Maſſilienſis epiſcopi verba eſſe accipienda cenſeo: Addiderunt quoque, ait, 8 ad libidinem comprimendam ſeueras pudicitiæ ſanctiones decretorum, gladio impudicitiam coercentes, vt puritatẽ ſcilicet vtriuſque ſexus & domi connubii ſeruaret affectus, & in publico metus legum. Ad Conſtantini 9 verò conſtitutionem Saluianus reſpicit, qua ſacrilegos ſiue temeratores nuptiarum gladio puniri ſanxit Imperator: quod ius legi Iuliæ de adulteriis coercendis noſter Iuſtinianus 10 tribuit. Hæc quoque verba 11 Imperatorum: Ceſſent iam nunc rapaces officialium manus, ceſſent inquam: nam ſi moniti nõ ceſſauerint, gladiis præcidentur, & ſi ad membri vnius, hoc eſt manuum amputationem non incommodè referri poſſunt, vt qua parte corporis quiſpiam deliquerit, ea plectendum eſſe Imperatores decreuerint, qua de re alibi copioſiùs ac diligentiùs à nobis faciente Domino diſſeretur, attamen de ipſa qua de agimus decollatione ſi quis

3 in commentario ad l. nemo poteſt. D. de reg. iur.
4 lib. 5. ſent. tit. 17.
5 l. aut damnum. in prin. D. de pœnis.
6 l. capitaliũ D. de pœnis.
7 Paulus li. 5. ſent. tit. 17. Seneca declamat. 2. li. 9. & lib. 5. cõtrouerſ. & in ludo de morte Claudij, & lib. 3. de ira cap. 18.
8 libr. 7. de vero iudicio & prouidentia Dei.
9 l. quamuis. 2. C. ad leg. Iul. de adul.
10 §. Itẽ lex Iulia Inſtit. de public. iudic.
11 l. 1. C. Th. de officio rector. prouinc.



ſi quis interpretetur, habiturus is quoque eſt, quo ſententiam ſuam non improbabiliter tueri poſſit. His profectò verbis ex Imperatorum conſtitutione 1 depromptis, in tantum humani generis inimicos arbitra æquitate perſequimur, vt delatores pronuntiatos puniri gladio iuſſerimus, & ſi quæ ſunt in libris noſtris conſimilia, capitis amputationem ſignificari aſſeuero: quæ non ſecuri (vt adhuc Toloſæ ſolet) vel aliquo alio teli genere, ſed gladio plerũque (vt Luteti ę Pariſiorum, hodiéque fieri videmus) ita olim apud Romanos poſt leges Porcias & Valerias peragebatur, ante conſtitutiones Imperatorum recentiorum quibus antiquæ legum pœnæ antea ſublatę renouari, ſed & acerbiores multo extra ordinem infligi cœperunt 2. Enimuerò grauior & quodammodo ignominioſior erat, cenſetúrque adhuc ſecuris pœna quàm gladii. Quamobrem Antoninus Caracalla, in cuius conſpectu Papinianus ſecuri percuſſus eſt, & à militibus occiſus, eo facto percuſſori dixit, gladio te exequi oportuit meum iuſſum, vt Spartianus 3 prodidit, & item his verbis 4 Dio: καὶ τῷ γε τὸν Παπινιανὸν φονεύσαντι ἐπετίμησεν ὅτι ἀξίνῃ αὐτὸν καὶ οὐ ξίφει διεχρήσατο. (*Interfectorem Papiniani increpauit quòd eum ſecuri non gladio percuſſiſſet.*) Atque hac vt puto ratione motus Vlpianus 5, ait: ſi quis damnatus fuerit, vt in eum gladio animaduertatur non ſecuri, vel telo, vel fuſte, vel laqueo, vel aliquo alio modo; ſed gladio tantùm animaduerti oportere: quod ſic accipiendum puto, vt ne iuſſu quidem Præſidis pœnæ ſententia comprehenſæ genus vel augeri, vel immutari vllatenus queat, cùm Proconſulis tabella ſententia ſit, quæ ſemel lecta, neque augeri litera vna, neque autem minui poteſt: ſed vtcumque recitata eſt, ita prouinciæ inſtrumento refertur, vt Apuleius 6 ſcribit: ideóque à fratribus Imperatoribus reſcriptum ſit 7, non ſolere Præſides prouinciarum ea quæ pronuntiauerint ipſi reſcindere, ſuam mutare ſententiam neminem poſſe, ídque inſolitũ eſſe fieri: ſi tamen de ſe quis mentitus fuerit, vel (cùm non haberet probationum inſtrumenta, quæ poſteà repererit) pœna afflictus ſit, nonnulla extare principalia reſcripta, quibus vel pœna eorum minuta ſit, vel in integrum reſtitutio conceſſa Calliſtratus ſcribit 8, ſed id dumtaxat à principibus fieri poſſe: quod & Paulus his verbis tradit 9. De ampliandа vel minuenda pœna damnatorum poſt ſententiam dictam ſine principali auctoritate, nihil eſt ſtatuendum, & Vlpianus 10 Præſes prouinciæ (inquit) eum quem damnauit reſtituere non poteſt, cùm nec pecuniariam ſententiam ſuam reuocare poſſit. Quid igitur? Principi eum ſcribere oportet, ſi quando ei qui nocens videbatur, poſteà ratio innocentiæ conſtiterit. Idem auctor alio loco 11 decuriones pœna plebeiorum damnatos liberandos eſſe ait, & adiicit: Sed hoc non poteſt efficere, qui ſententiam dixit verum referre ad principẽ debet, vt ex auctoritate eius pœna aut permutetur aut liberentur. In eandem ſententiam Iuriſconſultus quidam ex recentioribus nomine Papianus 12. Iudici quoque, inquit, neque ſuam neque alienam ſententiam liceat refragari, quia hæc diſcuſſio ſoli principi reſeruatur. Sed apud Paulum equidem in illo

1 l. 10. C. Theod. de petition.
2 l. 6. §. 1. & l. 7. §. hodie. D. ad leg. Iul. repetun. & l. 3. §. pe. D. ad l. Cornel. de ſica.
3 in Antonino Caracalla. & in Antonino Geta.
4 vide Xiphil. in Anton. Carac.
5 l. aut damnum §. 1. D. de pœnis.
6 lib. 5. Flor. ad finem facit l. 2. C. de ſen. ex peric. recit.
7 l. diui fra. D. de pœnis.
8 d. l. diui fr.
9 l. acta. 45. D. de re iudica.
10 l. 1. §. vlt. D. de quæſt.
11 l. moris. §. ſed enim. D. de pœnis.
12 lib. reſponſorũ. tit. 33. de interpell. & appellatiõe.

loco, Amplianda non, vt quidam faciunt, augendą interpretor (quã uis hoc verbum ea ſignificatione apud Iuſtinianum[1] & Paulum[2] quoque ipſum alio in loco accipi oportere non dubitem) ſed cùm duo potiſſimùm, vt veteres gloſſæ notant, eo vocabulo deſignentur: τὸ αὔξεσθαι, καὶ τὸ ὑπερτίθεσθαι (*Augere & differre*) idem valere cenſeo, quod ſuſtinenda & differenda: cùm ſi quis fortè ne ſupplicio afficiatur, dicat ſe habere quod principi referat ſalutis ipſius cauſa, eius pœnam nihilo magis ſuſtinēdam eſſe Vlpianus doceat[3]. Cæterùm, inquit[4], vt mea fert opinio, prorſus eos non debuiſſe poſteà quàm ſemel damnati ſunt audiri, quidquid allegẽt. Igitur cùm in vrnam æream ſemel cõditis calculis ex more, perpetuò iam cùm rei fortuna trãſactum ſit, & mancipetur poteſtas capitis in manum carnificis, nihil poſteà commutari licet, vt in Apuleij quodã loco[5] legimus: ideóque pœnã ampliare vel minuere Præſides non queũt: ſimiliter dãnatis pœna legitima, liberã mortis facultatẽ concedẽdi ius Præſides non habent: ita vt genus mortis ipſi rei poſſint eligere, atque arbitrio ſuo ſubire: multo magis nec veneni quidem hauriendi facultatẽ reis dare poterunt, cùm hæc pœna veneno necandi antiquitùs quidem ab Athenienſibus frequentata, quantũ ex Diodoro Siculo[6] intelligimus, ſed legibus Romanis comprobata, vel moribus recepta non fuerit, licet extent Imperatorum fratrũ reſcripta, quibus permittatur libera mortis facultas atque arbitrium: ſic enim Vlpiani verba[7] interpretor: quorum ſententia ea ratione nititur, quòd & Pręſides ſemel functi ſint officio ſuo, & ſoleant Impp. vt ipſis ingenitum eſt, duriores caſus & triſtiorem fortunam imperatoria humanitate mollire[8], legúmque duritiã pro clemẽtia ſua decretis moderatioribus temperare, vt Theodoſium & Arcadium Imperatores facere ſolitos memorat, in quadam ad ipſos epiſtola Symmachus[9]. Sed non quòd principi licet, id ſtatim magiſtratibus vrbanis aut prouincialibus permiſſum eſt. Alia eſt enim (vt alio loco idem auctor ad eoſdem ſcribit[10]) conditio magiſtratuum, quorum corruptæ videntur eſſe ſentẽntiæ, ſi ſint legibus mitiores: alia diuorum principum poteſtas, quos decet acrimoniam ſeueri iuris inflectere Euphrati philoſopho vt cicutam publica Athenienſiũ pœna, quomodo Plinius ait[11], inuiſam biberet, conceſſit Adrianus, ſi Dioni credimus[12]. At reis veneno ſe necandi facultatem permittere non poſſunt Præſides, vt ex Vlpiani verbis elicitur: quamobrem, quod poſt obitum Domitiani, reuerſo Epheſum Aſiæ metropolim beato Ioanne, Abdias, interprete Iulio Africano, accidiſſe narrat[13] in hæc verba: Perrexit Ariſtodemus ad Proconſulem, & petiit ab eo duos viros, de quibus debebat vltimum ſupplicium ſumi: quos cùm ſtatuiſſet in medio foro coram omni populo, aſpiciente apoſtolo, fecit eos bibere venenum, qui mox vt biberunt, ſpiritũ exhalauerunt: id totum ſi verum eſt, vel Ariſtodemi Dianæ pontificis petitioni Proconſulẽ, quod alioqui facturus nõ fuerat, tribuiſſe, vel potius quod minimè debuit ſuppliciũ dãnatis iniũxiſſe, aſſeueramus. Liberũ quoque mortis arbitriũ reis vel dãnatis, vel etiã indamnatis permittere nõ præſides, ſed principes queũt: vt idẽ Vlpian.[14] docet. cuius verba etſi

1 *vt in l. vl. C. ne fideiuſſor. vel mandat. dot. dẽt.*
2 *l. non ſunt. D. de ſtatu homin.*
3 *l. ſi quis forte. in princi. D. de pœnis.*
4 *d. l. ſi quis forte.*
5 *libr. 10. de aſino aureo.*
6 *lib. 18. biblioth. vbi de Phocione & ſociis vltimo ſupplicio dãnatis,* διὰ δὲ τῆς τοῦ κωνείου πόσεως· κατὰ τὸ πάτριον ἔθος τὸν βίον καταλύσαντες ἐρρίφησαν ἄταφοι πάντες ἐκ τῶν τῆς ἀττικῆς ὅρων
7 *l. aut damnum. § 1. D. de pœnis.*
8 *l. 23. C. Theod. de petit. & vltro dat.*
9 *lib. 1. epiſt. 33. ad finem.*
10 *epiſt. 45. lib. 1.*
11 *lib. 25. natur. hiſt. c. 13. & Tacit. li. 15.*
12 *vide Xiphil. in Adriano.*
13 *lib. 5. Apoſt. hiſtor.*
14 *d. l. aut damnum.*



etſi aliã non incommodam, aut ab hiſtoria iuréque ciuili alienã interpretationem recipiunt, vt alibi[1] docuimus: attamen ita vti nunc exponimus non Græci modò interpretes[2], ſed & ex Latinis Accurſius aliíque nonnulli[3] explicãt: quos vt ſequar, ipſa verborum conceptione adducor, quæ talis eſt: Proinde nec liberam mortis facultatem concedendi ius præſides habent: non ait liberam in ferendæ mortis facultatem eos non habere, quamquã id verum eſſe nõ diffiteor: ſed ius non habere concedendi liberam mortis facultatem, & permittendi reis liberũ mortis arbitriũ. Hoc cùm ita ſit, multo minus liberã cuiuſuis pœnæ facultatem permittere poterũt præſides. Sanè Quintilianus in diuite accuſato[4] ne hoc arbitrium reo cõcedãt iudices, admonet. Hoc tantùm, ait, ab affectibus veſtris omniũ mortaliũ nomine peto, ne cui nocẽti pœnæ præſtetur arbitriũ. Infinitã, iudices, ſceleribus aperitis audaciam, ſi pœnam licet eligere condemnato. Apud Ægyptios profectò damnatis permitti ſolitum fuiſſe mortis arbitriũ, Diodorus optimus hiſtoriæ veteris auctor ad docet[5]. Sed ad Iuriſcõſultũ redeo. Igitur in ſupradicto loco deinde ſubiicit Vlpianus, Diui tamen fratres reſcripſerũt, permittẽtes liberam mortis facultatem: id eſt, quod magiſtratus non poterãt, id reis vel dãnatis principes nõnũquã ſupplicibus libellis reſcribẽdo permiſerunt. Perſuaſit Aſiatico perduellionis apud Claudiũ accuſato, neque ſat firmis teſtimoniis cõuicto & propè iam abſoluẽdo Vitellius: παρακεκλῆσθαι ὑπ' αὐτοῦ, ἵν' ὅπως ἂν βουληθῇ ἀποθάνῃ: hoc eſt, ſe liberũ ei mortis arbitrium ab Imperatore impetraſſe: quo intellecto, Aſiaticus delicti ſibi cõſcius, cùm exiſtimaret manifeſtò ſe teneri, manus ipſe ſibi attulit, vt Dio[6] memorat. Sic apud Suetonium[7] Ocellatis ſororibus, item Varonillæ veſtalibus inceſti accuſatis Domitianum liberũ mortis permiſiſſe arbitriũ legimus. Idẽ Domitianus quoſdã maieſtatis reos in curiam induxerat: & cùm prædixiſſet experturum ſe illa die quàm charus Senatui eſſet, facilè perfecerat, vt etiam more maiorum puniendi condemnarẽtur: deinde atrocitate pœnæ conterritus, ad leniendam inuidiã interceſſit his verbis (neq. enim ab re fuerit ipſa cognoſcere) Permittite, patres cõſcripti, à pietate veſtra impetrari, quod ſcio me difficulter impetraturũ, vt dãnatis liberũ mortis arbitriũ indulgeatis: nã & parcetis oculis veſtris, & intelligẽt me omnes Senatui interfuiſſe. Hæc autẽ omnia ex Suetonio[8] hauſimus, atque huc trãsfudimus: vt comparẽtur cũ Taciti verbis, quæ luxata & deprauata eſſe nõ cõiicimus, verùm etiã aſſeueramus: itémque vt ſi fieri poterit, quemadmodum poſſe cẽſeo, Suetonij beneficio Tacitus integritati ſuæ reſtituatur. Nã quo loco[9] de L. Veteris, ſocrúſque eius Sextię & Pollutię filię nece loquitur, Seruauítque, inquit, ordinem fortuna: ac ſenior prius, tũ cui prima ætas extinguuntur. Accuſati poſt ſepulturã, decretúmque, vt more maiorum punirentur. Et Nero interceſſit, mortem ſine arbitrio permittens, ea cædibus peractis ludibria adiiciebantur. Quid eſt quod ait Mortẽ ſine arbitrio? Legẽdum Mortẽ eius arbitrio permittẽs, ita retroactis medij vocabuli literis, qđ ferè fit, vt ꝓ, ſine, reponatur eius: vel potius, Mortis arbitriũ permittẽs. Igitur vt Domitianũ ſenatui

1 *ad d. l. nemo poteſt. de reg. iuris.*
2 *lib. 60. baſilic. tit. de pœnis.*
3 *Baldus ad l. 1. C. de iis qui ad liber. peruenir. nõ poſſ. & Ludouicus Romanus in ſingularibus intellect.*
4 *declamat. 11.*
5 *lib. 3. biblioth.*
6 *lib. 58. ex quo id Xiphilinus quoque in Claudio.*
7 *in Domitiano cap. 8.*
8 *in Domitiano ca. 11.*
9 *lib. 16. annal.*

interceſſiſſe, quò damnatis liberum mortis arbitrium indulgeretur, ex Suetonio didicimus: Ita Neronem Tacitus ait per ludibrium interceſſiſſe, vt iam ſepultis quaſi damnatis, necdum extinctis liberum mortis arbitrium permitteret. Sic Thraſeæ, Soranóque & Seruiliæ natum mortis arbitrium idem Tacitus paulo pòſt [1] ait: & alio loco [2]: Proximam, inquit, necem Plautij Laterani Conſulis deſignati Nero adiungit adeo propere, vt non complecti liberos, non illud breue mortis arbitrium permitteret: vbi, breue, dicitur propterea, quia mori iuſſis Nero non amplius, vt Suetonius [3] docet, quàm horarium ſpatium dabat, ac ne quid moræ interueniret, medicos admouebat, qui cunctantes continuò curarent: ita enim vocabat venas mortis gratia incidere. Poſtremò ſic Boëtius quoque mortis arbitrium dixit quodam loco [4]: Nero, ait, Senecam familiarem, præceptorémque ſuum ad eligendæ mortis coegit arbitrium. Sed & ipſe Tacitus [5] alibi hoc etiam loquendi genere ſibi familiari vtitur. Eius enim hæc verba ſunt, quæ mihi ſuperiora tranſcribenti propemodum, quod nollem, exciderunt. Sed conſultanti ſuper abſolutione Aſiatici flens Vitellius, commemorata vetuſtate amicitię, vtque Antoniam principis matrem pariter obſeruaſſent, dein præcurſis Aſiatici in Rempub. beneficiis, recentíque aduerſus Britanniam militia, quæque alia conciliandæ miſericordiæ videbantur, liberum ei mortis arbitrium permiſit: & ſecuta ſunt Claudij verba in eandem clementiam. Quintilianus etiam alicubi: Felices, inquit [6], qui ſuo arbitrio moriuntur. Seneca denique: Cùm viliſſimæ ſortis homines, ait, ingenti impetu in tutum euaſerint, cúmque ſuo modo (ſic enim legere malim quàm vel commodo, vel quo modo) mori non licuiſſet, nec ad arbitrium ſuum inſtrumenta mortis eligere, obuia quæque rapuerunt, & quæ natura non erant noxia, vi ſua tela fecerunt. Ac non multo pòſt idem Seneca mortis arbitriū, fati electionem vocat [7]. Quibus omnibus ita expoſitis, patet ſæpe reis principes indulſiſſe liberam mortis facultatem. Præſides verò mortis arbitrium permittere damnatis, pœnámve ſententia comprehenſam immutare non potuiſſe, allato Vlpiani teſtimonio docuimus: ad quam non inutilem, vt mea fert opinio, neque vulgarem diſputationem à quæſtione grauiſſima de iure gladij, déque præfecti gladio, longiùs me impetus, prouocante materia, euexit.

1 *lib. 16. annal.*
2 *lib. 15. annal.*
3 *in Nerone. cap. 37.*
4 *lib. 3. de philoſophiæ conſolatione.*
5 *lib. 11. annal.*
6 *declamat. 377.*
7 *epiſt. 71. in illo loco, ô virum fortem ô dignū cui fati daretur electio.*

---

*De magiſtris & principibus officiorum. De* XIV. *vrbis regionibus. De magiſtris vicorum. Vnius apud Suetonium loci lectio in dubium vocatur. Duo apud Lampridium corruptiſſimi emendati.*

## CAP. V.

PRæfectorum prætorio auctoritatem ac poteſtatem ſub Imperatoribus maximam fuiſſe, ſuprà oſtendimus. At ſi qui fuerunt prætorio præfectorum magiſtri, quis dubitabit quin horum quoque dignitas, gratia, potentia, imperium illuſtriora mul-

ra mul-



multo atque auguſtiora fuerint? Et tamen de his nullum (audacter dico) non modò claſſicorum, ſed neque vllorum omnino auctorum teſtimonium proferri poteſt. Neque veriſimile, aut rationi conſentaneum videtur, vt quos à principibus ſecundos, interdum etiam ipſos veluti alios quoſdam principes fuiſſe, ſummámque rerum penes ſe habuiſſe conſtat, ij magiſtrorum aliorum, quàm eius qui quaſi Dictator & magiſter populi perpetuus fuit, imperio paruerint. Nam quod ex Lampridio (cuius ſolius auctoritate magiſtri præfectorum prætorio in Rempub. quaſi ſurrepſit) profertur teſtimonium, præter quàm quòd ſolum eſt, neque alterius ſimilitudine ſuffultum, equidem ſyncerum eſſe nunquam credidi: præſertim quòd quæ verba ei propinqua & adiuncta ſunt, vitio labéque fœdiſſima laborant: ſed locum optimi auctoris, inertia, vt puto, librariorum atque ignorantia, male hactenus miſeréque habitum, & ſanioſis maculis perſperſum ac deturpatum, ita vti nunc aſpicitur, ob oculos proponamus. Præfectum vrbicum (ait Lampridius [1]) ſæpe poſt cœnam ad potandum vocabat, adhibitis & præfectis prætorio: ita vt ſi recuſarent magiſtri horum, eos cogerent: voluit & per ſingulas vrbes leones præfectos vrbi facere, & vt eſſent in vrbe XIIII. & feciſſet ſi vixiſſet, promoturus omnes turpiſſimos & vltimæ profeſſionis homines. Hîc primùm quæro, quid eſt quod legimus, Magiſtri horum? quid item illud: Per ſingulas vrbes leones præfectos vrbi facere? Neutrum ſcripſit Lampridius vt opinor: ſua potius delirum aliquem librarium nobis inculcaſſe ſomnia fateamur. Et hoc quidem aſſentiri non eſt difficile. At quonam modo eluendæ ſint maculæ quæ apparent, atque vt integritati nitoríque ſuo reſtitui totum illum Lampridij locum oporteat, non ita cuique promptum eſt dicere. Equidem librorum veterum adiumento cùm deficerer, ad coniecturas pridem confugi: quibus tantiſper immorabor atque acquieſcam, donec probabilius aliquid adferatur. Interim haud leue operæpretium eſſe me facturum arbitror, ſi quid mei ſit iudicij proferam, vt ad inueſtigandum id quod verum eſt ſagaciorum exacuatur induſtria. Quòd nullos fuiſſe magiſtros præfectorum prætorio didici. pro horum lubentius agnouerim officiorum. Error ex hoc ſcriptionis compendio natus eſt, quòd cùm ōrū temone adpoſito, celeriter vt aliquot literulas lucrifaciant ſcribentibus officiorum ſignificet: indoctus aliquis nec ſatis exercitatus librarius, pro temone aſpirationis notam (quæ ipſa vt Græcis ita Latinis quoque veteribus per auerſum ſicilicum non ante, ſed ſupra vocalem, ita ő rum adpoſitum deſignabatur) accepit. Magiſtri autem officiorum (qui & comites [2]) ij dicebantur (niſi fallor) qui aulico miniſterio præerant: Aulicum miniſterium, aut alibi [3] Lampridius de Alexandro agens, in id contraxit, vt eſſent tot homines in ſingulis officiis, quot neceſſitas poſtularet. Sub eorum diſpoſitione erant ſcholæ agentium in rebus, ſcrinia memoriæ diſpoſitionum, epiſtolarum, libellorum, admiſſionales & cancellarij, vt ex Notitia vtriuſque imperij colligitur: addo principes officiorum,

1 *in Antonino Heliogabalo.*
2 *l. 3. & 4. C. de caſtrēſia, & miniſteria lib. 12. vbi Cuiac. alios adducit locos.*
3 *in Alexandro Seuero.*

quorum & Lampridius meminit [1]. Magiſtri officiorum iuriſdictioni caſtrenſianos omnes & miniſterianos ſubditos fuiſſe,[2] conſtat: ex quibus fuerũt cubicularij, quíque in ſchola veſtis ſacræ, aliáve qualibet militabant, totius denique Palatij diſciplinam ad eum ſpectare optimè Iac. Cuiacius doctor meus definit. Igitur ſi præfecti prætorio poſt cœnam ad potandum inuitari nollent bibere, cogebantur à magiſtris officiorum: qui vt in hoc quem tractamus loco, ſic & alio apud ipſum Lampridium, & principibus officiorum & præfectis prætorio iunguntur: 4 vbi de Alexandro Imp. ſic loquitur. Iniuriam nulli vnquam amicorum comitúmve fecit: nec magiſtris quidem aut principibus officiorum. Præfectis autem ſemper detulit, aſſerens eum qui mereatur iniuriam pati ab Imperatore, damnandum eſſe non dimittendum. Itémque apud Spartianum [5] in illo loco: Quos quidem verſus Seuerus eradi noluit cùm hoc ei & præfecti ſuggererent & officiorum magiſtri. Magiſtros officiorum & item præfectos prætorio conuiuiis & cœnis principum adhibitos, vt Lampridius eo loco, in cuius reſtitutione laboramus, ita etiam Trebellius Pollio docet, his verbis: Cùm iret ad hortos nominis ſui, omnia palatina officia ſequebantur. Ibant & præfecti & magiſtri officiorum omnium, adhibebantur conuiuiis & cœnationibus. Lauabant etiam ſimul cum principe. Ceterùm non modò magiſtri officiorum, ſed & præpoſiti ac tribuni ſcholarum diuinis, id eſt principis epulis adhibebantur, & adorandi eius habebant facultatem, vt ex Impp. Honorij ac Theodoſij reſcripto quodam [6] apparet: atque hi fortaſſe fuerunt iidem cum officiorum principibus; quos principales officiorum vocatos in Antonini, [7] Caracallæ actis arbitror, niſi tamen pro principalibus ibi principibus legi debet: vtut ſit, Magiſtros officiorum apud Lampridium non præfectorum prætorio magiſtros exaudio. Quod autem ſubiicit voluiſſe Heliogabalum per ſingulas vrbes leones præfectos vrbi facere, nullam idoneam habet ſententiam. Amicus quidam meus vir doctus reſtituebat leonum loco, lenones, ita vt in Frobenianis hodiéque legitur: quod mihi quoque initio in mentem venerat, eámque coniecturam iuuare videbãtur illa verba quæ ſequuntur: Promoturus omnes turpiſſimos & vltimæ profeſſionis homines: ſed rẽ totã & verba ſingula perpendenti atque attentiùs conſideranti diſplicuit. Repono igitur, Per ſingulas vrbis regiones præfectos vrbi facere: quã lectionem iis approbatum iri non dubito, qui in memoriam reuocauerint quot vrbis Romæ antiquitùs regiones fuerint. Quatuordecim verò fuiſſe argumento eſt, quod Paulus de cohortibus vigilũ ab Auguſto conſtitutis ita ſcribit [8]: Itaque ſeptem cohortes opportunis locis conſtituit, vt binas regiones vrbis vnaquæque cohors tueretur. Et aliorum auctorum teſtimonio comprobari poteſt. Victor in libello de regionibus vrbis. Regiones, inquit, illæ nõ plures quàm quatuordecim numerãtur. Tacitus [9], Iam ſol repente obſcuratus, & tactæ de cœlo XIIII. vrbis regiones: & alio loco. 10 Quippe in regiones quatuordecim Roma diuiditur, quod & iiſdem verbis Pli-

*1 in Antonino Heliogabalo.*
*2 l. 3. & 4. C. de caſtrenſian. & miniſteria. lib. 12. l. 3. C. de præpoſit. ſac. cubiculi, lib. 12. l. 2. C. de priuileg. ſcholar. lib. 12.*
*3 ad l. 3. C. de præpoſit. ſacr. cub.*
*4 in Alexandro.*
*5 in Peſcennio Nigro ad fin.*
*6 l. 1. C. de comitib. & tribun. ſcholar. lib. 12.*
*7 l. 1. C. de ſenten. paſſ. & reſtitut.*
*8 l. 3. D. de offic. præfect. vigil.*
*9 lib. 14. annal.*



Plinius [1] prodidit & Dio noſter in illo loco, vbi *καί τοι γε ἐκείνων*, de ædilibus loquens, ait: [2] *καὶ τῶν δημάρχων, τῶν τε στρατηγῶν πᾶσαν τὴν πόλιν εἰς δεκατέσσαρα μέρη νεμηθεῖσαν, κλήρῳ προσαχθέντων, ὃ καὶ νῦν γίγνεται.* ex quo intelligimus annuis magiſtratibus, id eſt, Ædilibus, Tribunis pleb. prætoribúſque curã totius vrbis in quatuordecim regiones diuiſæ permiſſam forte fuiſſe: Id verò totum ex inſtitutione Auguſti eſſe de Suetonio didici, qui ſic ſcribit [3], Spatium vrbis in regiones vicóſque diuiſit, inſtituítque vt illas annui magiſtratus ſortito tuerentur, hos magiſtri ex plebe cuiuſque viciniæ lecti. Ac de magiſtris quidem vicorum idem Suetonius alibi quoque mentionem facit [4], plebíque vt in illo quem propoſuimus loco adiungit. quamobrem facile lubentérque concedam in eius opinionem, qui apud ipſum Suetonium 5 non magiſtratus, ſed magiſtros legerit: vbi vulgo ſcriptum eſt: Ac deficiente militum ac familiarũ turba, auxilio plebem per magiſtratus ex omnibus vicis conuocauit. Cùm igitur quatuordecim eſſent in vrbe regiones, Heliogabalus voluit per ſingulas facere præfectos vrbi: rectéque Lampridius ſtatim ſubiicit: Et vt eſſent in vrbe quatuordecim præfecti vrbi. Alexander autem Imperator, qui Heliogabalo Antonino ſucceſſit, nõ præfectos quidem ſingulis regionibus attribuit, ſed curatores qui cũ præfecto vrbis ius dicerent, Lãpridio ipſo teſte, cuius hæc verba ſunt [6]: Fecit Romæ curatores vrbis quatuordecim, ſed ex Cõſularibus viris, quos audire negotia vrbana cum præfecto vrbis iuſſit, ita vt omnes aut magna pars adeſſent cùm acta fierent. Ita de illo Lãpridij loco adhuc cẽſeo, vt iiã admonui: ſi qui tamẽ probabilius aliquid attulerint, nõ grauatè ab opinione mea in ſentẽtiã eorum diſceſſionem fecero: maiorémque hanc partem eſſe videri [7] reſpondero.

---

*Sportulæ ſolemnes cœnæ, ſolemnes & feſti dies populi vel ſingulorum ciuiũ. De nuptialibus funebribus natalitiis cõuiuiis. Cœna feralis, ludus ad iudices. Conuiuia triumphalia, Imperatoria, Conſularia, Prætoria. Ludorũ diebus epulũ populo dari ſolitũ. Beſtiarij Meridiani. De prouincialibus magiſtratuũ cõuiuiis. Cœna dialis Senatorius prãdẽdi mos. Cœna popularis. Apuleij, Plutarchi, Suetonij, & Senecæ loci expoſiti.*

## CAP. VI.

QVod modò diximus de præfecto prætorij cœnæ Imperatoris adhibito, fecit vt in memoriam reuocarem ea, quæ de veterum Romanorum cœnis atque conuiuiis hactenus in literariis noſtris apothecis aſſeruauimus. Quæ placet in hanc veluti cellam penuariam transferre: ex qua ſumat quiſque quod volet, animúmque talium epularum auidum, hoc velut imaginario quodam ferculo non paſcat ſolùm, ſed exſatiet etiam & expleat.

De cœnis quid alij 8 non indiligenter coarceruarint, & in publicum prodiderint facile ſcitu, & promptum eſt: quamobrem faciendum non puto, vt velut actuarius aliquis huc tranſcribam. Rara potius aliqua obſonia, nouáſque voluptates exquiram, quibus conuiuas literatos & hiſtoriæ ſtudioſos accipiam. Solemnes & publicas cœnas, quæ ad ſportulas à Nerone redactæ ſunt 10,

*1 lib. 3. ca. 5.*
*2 lib. 55. hiſtor.*
*3 in Octauio. cap. 30.*
*4 in Tiberio. cap. vlt. in fin.*
*5 in Claudio cap. 18.*
*6 in vita Alexandri Seueri.*
*7 vetus eſt formula, quæ apud Senecã extat cap. 2. li. de vita beata.*
*8 Lazius li. 3 comment. Reip. Roma cap. 3.*
*9 Suetonius in Tiberio. cap. 34.*
*10 Suetonius in Nerone cap. 16.*

ac demum à Domitiano reuocatæ [1], ſolemnibus ciuium diebus agitari ſolitas conſtat, & ex cauſis ſolemnibus, ex quibus vt inuitationes concederentur, iuſſiſſe Traianum Plinius ad ipſum ſcribit [2]. τῶν συσσιτίων δὲ, vt ex Dione colligimus [3], τὰ μὲν κοινὰ τὰ δὲ ἴδια, (*Solemnes cœnæ aut ſimul omnium, aut ſingulorum ciuium habebantur.*) Nam Solemnes quoque dies aut vniuerſis publicè, aut ſingulis ciuibus eorúmque genti ac familiæ fuerunt. In Solemnibus primi generis ponebant Calendas Ianuarias hilaria matris Deûm, ludos Apollinares Iouis epulum & Saturnalia: vt Lampridius docet [4]. Secundi generis fuêre dies veluti ſponſaliorum [5], repotiorum, natalitiorum, chariſtiorum, & aliorum huiuſmodi, quos Horatius [6] feſtos nominat, cùm ait:

*Ille repotia, natales, alióſve dierum*
*Feſtos albatus celebret.* & Iuuenalis [7] his verſibus
*Sicci terga ſuis rara pendentia crate,*
*Moris erat quondam feſtis ſeruare diebus,*
*Et natalitium cognatis ponere lardum,*
*Accedente noua ſi quam dabat hoſtia carnem.* Sueton. quoque

de Octauio [8], Feſtos, inquit, & ſolemnes dies profuſiſſimè nonnunquam iocularitèr tantum celebrabat. quæ verba tamen vt ad ſolẽnes ſecundi generis, ita etiam ad feſtos primi generis dies referenda eſſe ideo forſitan optimè quis dixerit, quòd ſtatim idem auctor ſubiiciat, Saturnalibus & quando aliàs libuiſſet modò munera diuidebat, veſtem, & aurum, & argentum, modò numos omnis notæ, &c. & quod alio quoque in loco ſcribat [9] idem auctor, ſic fere Ius & Conſul & extra honorem laborioſiſſimè dixit etiam ſuis ſuorúmque diebus ſolemnibus nonnunquam feſtis quoque antiquitùs & religioſis. Sanè vt Horatius & Iuuenalis ſolemnes ſecundi generis dies etiam feſtos vocarunt, ſic Auſonius quoque cùm ita cecinit [10]:

*Sed feſtos quia ſæpe dies partim ipſe meorum*
*Excolui, inque vicem conuiua vocatus adiui*
*Natalis ſi fortè fuit ſolemnis amico,*
*Coniugióque dapes aut ſacra repotia patrum*
*Audiui, meminíque bono laudare frequenter.* Hæc Auſon. Verùm enimverò de ſponſaliis & repotiis videantur Porphyrio, Feſtus, Gellius & Apuleius [11], qui ſibi & Pudentillæ vxori ſuæ placuiſſe ait, in ſuburbana villa potius vt coniungerentur, ne ciues denuo ad ſportulas conuolarent: præterea vt conuiuiis multis ac moleſtiis ſuperſederent, quæ ferme ex more nouis maritis obeunda ſunt. Hæc conuiuia nuptiales cœnas Plautus vocat, apud quem [12]

*Pl. frater mi ſalue, Deos volo bene vertere*
*Iſtam rem nobis. Cu. & ego nobis omnibus,*
*Tu vt hodie aduenienſ, cœnam des ſororiam.*
*Hic nuptialem cras dabit. Ph. promittimus.*

Et Suetonius in Caio [13]: Alij tradunt adhibitum cœnæ nuptiali man-

1 Sueton. in Domitiano. cap. 7.
2 lib. 10. epiſtolar.
3 lib. 51. hiſtor. καὶ ἐν τοῖς συσσιτίοις οὐχ ὅτι τοῖς κοινοῖς, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἰδίοις, πάντας αὐτοὺς σιτεῖσθαι ἐκέλευσεν.
4 in Alexandro Seuero.
5 Suetonius in Auguſto. cap. 53.
6 lib. 2. ſermo. Sat. 2.
7 Satyra 11.
8 in Octauio cap. 75.
9 in Claudio cap. 14.
10 in epiſtola ad Paulum vbi de oſtreis.
11 in Apologetico 2 & in lib. de mũdo.
12 in Curculione act. 5. ſc. 2.
13 in C. Caligula. cap. 25.



daſſe ad Piſonem contrà accumbentem: Noli vxorem meam premere. Denique idem Apuleius, quem modò nominaui: Nec mora (inquit [1]) cùm cœna nuptialis affluens exhibetur, accumbebat ſummum torum maritus Pſychen gremio ſuo complexus, &c. De Chariſtiis, Ouidij [2] & Valerij Maximi [3] teſtimonia innotuêre permultis.

At de Natalitiis & funebribus epulis, nihil quod ſciam alii notarunt: ego quos habeo locos breuiter indicabo, ſi prius admonuero peregre redeuntibus cœnam dari ſolitam à propinquis & amicis apud veteres, quæ aduentitia dicebatur: quod Plautinus ille verſus quem antè deſcripſimus, in memoriam reuocauit: Tu vt hodie aduenienſ, cœnam des ſororiam. Sic illam nominat Suetonius in Vitellio [4]: Famoſiſſima ſuper cæteras fuit cœna ei data aduentitia à fratre, in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem auium appoſita traduntur. Huius cœnæ mentionem à Plauto fieri & viaticã vocari, ante nos alii docuêre [5]: qua ſi lautius rectiúſque aliquis adhuc excipi deſideret, ad illos adeat cenſeo. Mihi quæ ab initio pronuntiaui varia non modò fercula, ſed etiam conuiuia exhibere certum eſt. Ad natalitia igitur atque funebria inde lectorem antiquæ hiſtoriæ cupidum voco. Et funebrium quidem epulorum quantum memoria repeto, apud Ciceronem, Horatium, Suetonium, ac Dionem fit mentio. Illius enim hæc fere ſunt [6]. Quo conſilio, aut qua mente feceris, vt in epulo Q. Arii familiaris mei, cum toga pulla accumberes, &c. cedo quis vnquam cœnauit atratus? ita enim illud epulum eſt funebre vt munus ſit funeris, epulæ quidem ipſæ dignitatis. Sed omitto epulum pop. Rom. feſtum diem argento, veſte, omni apparatu ornatúque viſendo, quis vnquam in luctu domeſtico, quis in funere familiari cœnauit cum toga pulla? &c. cùm tot hominum milia accumberent, cùm ipſe epuli dominus Q. Arius albatus eſſet, tu in templum Caſtoris te cum C. Fidulo atrato, cæteríſque tuis furiis funeſtum intuliſti, &c. nunquam epulum videras? nunquam puer aut adoleſcens inter coquos fueras? Fauſti adoleſcentis nobiliſſimi paulò antè ex epulo magnificentiſſimo famem illam veterem tuam non expleueras? &c. quod ait de Fauſto, de Fauſto Sylla, qui L. Syllæ, patre ſuo defuncto, funebre munus & epulum populo dederat, accipio: de quo hæc Dionis [7] verba ſunt, quæ adſcribam: Φαῦστος ὁ τοῦ Σύλλου παῖς, ἀγῶνά τε μονομαχίας ἐπὶ τῷ πατρὶ ἐποίησε, καὶ τὸν δῆμον λαμπρῶς εἱστίασε. (*Fauſtus Syllæ filius ludos gladiatorios in honorem patris exhibuit, populúmque lauto conuiuio excepit.*) Suetonius de Iulio: Munus populo, ait [8], epulúmque pronuntiauit in filiæ memoriam, quod ante eum nemo fecit. Horatii verò hæc verba ſunt [9]:

*Hæredes Staberi ſummam incidêre ſepulchro,*
*Ni ſic feciſſent gladiatorum dare centum*
*Damnati populo paria atque epulum arbitrio Arri.*

Hactenus de funebribus epulis: quam enim Apuleius [10] cœnam feralem vocat, eandem eſſe cum ſilicernio arbitror: quod conuiuium

1 lib. 6. de aſino aureo.
2 lib. 2. faſto.
3 lib. 2. c. 1.
4 cap. 13.
5 Turnebus cap. vlt. lib. 2. aduerſar.
6 Ciceronis ex oratione in Vatiniũ.
7 lib. 37. hiſtor.
8 in Iulio c. 26.
9 lib. 2. ſerm. ſat. 3.
10 lib. 4. Floridorum.

ſenibus duntaxat & ad ſepulchrum rogúmve parabatur, vt ex Nonio & Feſto didicimus. Huc refero illud Catulli de Rufa:

*Vxor Meneni ſæpe quam in ſepulchretis*
*Vidiſtis ipſo carpere è rogo cœnam.*

Sed quæ feralia & funeſta ſunt, omittamus nũc iam, & ad natalitia, quæ fauſti ſunt ominis, pergamus. Ante ſeptimum diem quod ſanguinolentorum (ſic enim noſtri vocant[1]) id eſt recens natorum, & adhuc à matre, vt Iuuenalis canit[2], rubentium plerique extinguerentur: ideo receptũ eſſe apud Græcos, ait Ariſtoteles[3], vt ſeptimo die pueris imponerẽtur nomina, τὰ πλεῖστα γὰρ παιδία ἀναιρεῖται πρὸ τῆς ἑβδόμης, διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται, ὡς πιστεύοντες ἤδη μᾶλλον τῇ σωτηρίᾳ. (*Plerumque infantes ante ſeptimam diem intereunt, vnde fit vt nomina ſeptimo die imponantur tanquam ſaluti iam pueri magis credamus.*) Apud Athenienſes nomen liberis imponi, & conuiuium decimo die propinquis parari ſolitum, quod δεκάτη dicebatur, ex Iſæo[4] & Demoſthene[5] colligitur. Plutarchus auctor eſt apud Romanos maribus quidem nono, fœminis octauo die nomina fieri ſolita, cuius differentiæ rationes aliquas adferre nititur[6]. Luſtrico die nomina Romanis infantibus (vt è Suetonio[7] didicimus) imponebantur: eodem ad epulum & conuiuium propinquos vocari ſolitos, Capitolinus docet his verbis[8]: Cùm rarũ eſſet aquilas in his locis videri, in quibus natus eſt Albinus, ſeptima eius diei hora cõuiuij quod celebritati pueri deputabatur, cùm ei fierent nomina, ſeptem aquilæ paruulæ de nidis allatæ ſunt, &c. Nec tamen ideo minus exiſtimarim quo die quis natus eſſet, eodem anniuerſarium epulũ celebrari ſolitum. Nam & hac ratione veteres Romani natalitia dare dicebantur[9], quorũ Ægio[10] & Ballio[11] Plautini, & Seneca[12], & Iulianus Imperator[13] meminere: hic quidem his verbis, καὶ γενέθλια μέν τις ἑστιῶν ἱκανῶς παρασκευάζει δεῖπνον, καὶ ἄριστον, ἐπὶ πολυτελῆ τράπεζαν τοὺς φίλους παραλαμβάνων. (*& Natalitia quidem celebrans largiter cœnam atque prandium parat, opipara menſa excepturus amicos.*) Sed & Plutarchus tribus locis, quod ſciam, in Bruto,[14] Antonio[15], & Catone: vbi πάλιν δὲ συγγενοῦς τινὸς ἐν γενεθλίοις καλέσαντος ἐπὶ δεῖπνον, ἄλλους τε παῖδας καὶ τοὺς περὶ Κάτωνα σχολὴν ἄγοντες ἔν τινι μέρει τῆς οἰκίας ἔπαιζον, αὐτοὶ καθ' ἑαυτοὺς ἀναμεμιγμένοι νεώτεροι, καὶ πρεσβύτεροι. τὸ δὲ παιζόμενον ἦν δίκαι καὶ κατηγορίαι, καὶ ἀγωγαὶ τῶν ἁλισκομένων. (*Rurſus, cùm ex cognatis aliquis ad cœnam Natalitiam, tum alios pueros, tum Catonem ipſum acciuiſſet, dum cœnam præſtolantur, in ædium quadam parte ludere incipiunt, maiores promiſcuè cum natu minoribus: ludus verò hic erat, iocularia quædam iudicia, accuſationes, damnatorúmque comprehẽſiones.*) Ait Catonem cùm à cognato ad conuiuium natalitiorũ die vocatus fuiſſet, inter pueros ludum ad iudices exercuiſſe, vt inuicẽ accuſarent iudicarẽntque alios alii, atque in carcerẽ ducerent. Ad quem ludum (vt id obiter dicam) duos clariſſimorum hiſtoricorum Spartiani & Pollionis locos refero. Et Spartianus[16] quidem: In

1 l. vlt. C. de patrib. qui fil. diſtrax.
2 Satyra 7. facit quod eſt apud Capitolinum in Clodio Albino
3 lib. 7. de hiſtor. anim. ad finem.
4 in orat. ὑπὲρ τοῦ Πύῤῥου κλήρου.
5 in orat. πρὸς Βοιωτὸν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος. & in altera, πρὸς Βοιωτὸν ὑπὲρ προικὸς μητρῴας.
6 ἐν τοῖς ῥωμαϊκοῖς, ibi, διὰ τί τῶν μὲν παίδων τοῖς μὲν ἄῤῥεσιν ἐναταίοις, τοῖς δὲ θήλεσιν ὀγδοαίοις τὰ ὀνόματα τίθενται.
7 in Nerone cap. 7.
8 in Clodio Albino.
9 Cic. 2. Philippic. vbi de Antonio.
10 Captiuis act. 1. ſce. 2.
11 Pſeudolo. actu 5 ſc. 2.
12 lib. 2. de ira. cap. 33.
13 in Miſopogone ſiue Antiochico
14 his verbis λαμπροτέραν ὑποδοχὴν ἐποιεῖτο καὶ τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ἐγεγόνει πρῶτον Βροῦτος, &c. ἐπεὶ δὲ κεκλημένη εἰς τὴν ὑστεραίαν ἐπὶ δεῖπνον ὑπ' αὐτοῦ γενέθλιον οὖσαν.
15 vbi de Cleopatra.
16 in Seuero ſub initium.

prima



prima pueritia, inquit, prius quàm Latinis Græcíſque literis imbueretur, quibus eruditiſſimus fuit, nullum alium inter pueros ludum niſi ad iudices exercuit, cùm ipſe prælatis faſcibus ac ſecuribus, ordine puerorum circumſtante, ſederet ac iudicaret. Trebellij verò Pollionis hæc verba ſunt[1]: Cúmque ludibriis & helluationi vacaret, neque aliter Rempub. regeret, quàm cùm pueri fingant per ludibria poteſtates, Galli quibus inſitum eſt eſſe leues ac degenerantes à ciuitate Romana, & luxurioſos principes ferre non poſſe, Poſthumum ad imperium vocarunt. Quod ait Pollio pueros finxiſſe per ludibria poteſtates, hoc Seneca ipſos magiſtratus geſſiſſe, & prætextam faſcéſque ac tribunal imitatos fuiſſe, de ludo ad iudices (iudicio quidem meo) ſentiens ita ſcribit, quo loco in eos inuehitur, quibus etiam poſt iuuentam canóſque puerilitas eſt, & à pueris magnitudine tantùm formáque corporum differunt: Non ideo quicquam, inquit[2]: inter illos pueróſque intereſſe quis dixerit, quòd illis talorũ nucúmque & æris minuti auaritia eſt, his auri argentíque & vrbium: quod illi inter ipſos magiſtratus gerunt & prætextam, faſcéſque ac tribunal imitantur: hi eodem in campo foróque ſeriò ludunt. Illi in littoribus arenæ congeſtu ſimulachra domorum excitant, hi vt magnum aliquid agentes in lapidibus ac parietibus & tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inuenta in periculum verterunt. Hactenus Seneca: ſed fuit & alius inter æquales pueros ludus regni Decembri (vt hodiéque fit Ianuario) menſe ſortito ducti, de quo alibi dicemus. Ad cœnas modò ſolemnes & publicas reuertamur: quarum reliquias ex variis auctorum bonorum libris, quaſi menſis colligere, atque in hanc ſportellã conferre iuuat. Moris fuiſſe ab Imperatore triumphum ducturo, Conſules inuitari ad cœnam: deinde rogari, vt venire ſuperſedeant: ne quis eo die, quo ille triumphauerit, maioris in eodem conuiuio ſit imperij, relatum à Valerio Maximo[3] legimus. Ex quo intelligi poteſt, eos qui triumphum ducerẽt, eius die, ciuibus & magiſtratibus præſertim & ſenatoribus conuiuium præbere ſolitos. Cœnarum triumphalium, ſiue publicorum epulorum Cæſaris dictatoris meminit Plinius[4], & item Dio[5]: & Suetonius his verbis[6]: Adiecit epulum ac viſcerationem, & poſt Hiſpanienſem victoriam duo prãdia. Nam cùm prius parcè, neque pro liberalitate ſua præbitum iudicaret, quinto pòſt die aliud largiſſimum præbuit. Ad cœnam triumphalem referendum puto, quod idem auctor de Tiberio ſcribit[7] ſic ferè: Prandium dehinc populo mille menſis, & congiariũ tricenos nummos viritim dedit. Mouet me quod paulo ante: A Germania, inquit[8], in vrbem poſt biennium regreſſus triumphũ quem diſtulerat egit, pro ſequentibus etiã legatis, &c. De Lucullo ſcribit Plutarchus[9], eum acto triumpho & vrbem & ſuburbanos vicos conuiuiis excepiſſe: τήν τε πόλιν, ait, εἱστίασε λαμπρῶς, καὶ τὰς περιοικίδας κώμας, ἃς οὐίκους καλοῦσι. (*Vrbem & ſuburbanos quos vocant vicos ſplendido conuiuio excepit.*) Celebrari autem huiuſmodi cœnæ triumphales in Capitolio plerumque, id eſt (vt Zonaras[10] exponit)

1 in Gallieni.
2 lib. 2. de tranquil. vitæ. cap. 12.
3 lib. 2. ca. 3.
4 lib. 9. natural. hiſtor. c. 55. & li. 14. cap. 6. & 15.
5 lib. 43.
6 in Iulio. cap. 38.
7 in Tiberio cap. 19.
8 eod. cap.
9 in Luculli vita.
10 tom. 2. annal. vbi de Camillo agens triumphum deſcribit.

E ij

in Capitolij porticibus ſolebant, interdum etiam alibi: atque ita Tiberium de Dalmatis & Pannoniis triumphaſſe, vt dein populum & in Capitolio, & plurimis aliis in locis conuiuio exciperet, auctor eſt Dio [1] vbi ſic ſcribit: τότε ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε καὶ τὸν δῆμον τοὺς μὲν ἐν τῷ καπιτωλίῳ, τοὺς δ' ἄλλοθι πολλαχόθι ἐδείπνισε· κἀκ τούτῳ καὶ ἡ Λιβία μετὰ τῆς Ἰουλίας τὰς γυναῖκας εἱστίασε. (*Ouans in vrbem equo eſt inuectus, epulúmque populo in Capitolio partim, partim in aliis locis vrbis exhibuit. Simúlque Liuia & Iulia epulum mulieribus dederunt.*) Poſt ſummotas illas triumphales epulas, ij qui triumphum duxerant, veſperi tibiis & fiſtulis præeuntibus domum redibant, ſi Zonaræ credimus [2]: nam vbi de Camillo, ἀπήλαυσεν, ait, ἐς τὸ καπιτώλιον, καί τινας ἐκεῖ τελετὰς πληρώσας καὶ προσαγαγὼν ἀναθήματα, καὶ παρὰ ταῖς ἐκεῖ δειπνήσας στοαῖς πρὸς ἑσπέραν οἴκαδε μετ' αὐλῶν καὶ συρίγγων ἀπήρχετο. (*Equo inuectus eſt in Capitolium & quibuſdam ibidem ſacrificiis peractis atque oblatis donariis prope porticus qui inibi ſunt cœnatus, ſub veſperam domum cum tibiis ac fiſtulis conceſſit.*) ſed & cùm in cœnis priuatis Romani veteres vnguentis & caput, & pectus perfunderent ex malobathro Syrio, nardo, roſa, alióve aliquo florum odoratorum ſucco expreſſis (vt Athenæus [3] & Clemens Alexandrinus [4] poſt Plutarchum [5], Tibullum [6], Lucanum [7], Horatium [8], Lucretium [9], & Senecam [10] docent) in cœnarum triumphalium vnguentis minium addi: ſed & ipſa triumphantium corpora minio illini ſolita, ſicque Camillum triumphaſſe idem Plinius [11] memorat. Ad triumphantium antiquitùs Imperatorum ſimilitudinem & exemplum, principes Romanos, qua die Auguſti appellationem reciperent, ea die ad conuiuium magiſtratus & Senatorum præcipuos inuitare ſolitos, ex Iulio Capitolino [12] didici: cuius hæc de Pertinace verba ſunt: Ea die etiam ad conuiuium magiſtratus & proceres Senatus rogauit, quam conſuetudinem Commodus prætermiſerat. His autem ex locis Imperatorium conuiuiũ apud eundem Capitolinũ [13], & apud Spartianum [14] cœnam Imperatoriam, id eſt Auguſtalem, interpretor. Conſules etiam ipſo Conſulatus die conuiuium ſiue epulum publicum Senatoribus & equitibus Romanis olim edidiſſe, duobus ex locis colligo, quos adſcribam: Plinius [15] vbi de Cæſare: Idem Hiſpanienſi triumpho Chiũ & Falernum dedit. Epulo verò in tertio Conſulatu ſuo Falernum Chium Lesbium Mamertinum, quo primùm tempore quatuor genera vini appoſita conſtant. Extant apud Flauium Vopiſcum [16] Imperatoris Valeriani literæ, de Aureliani Conſulatu decreto cum ſumptibus. In iis literis ad præfectum ærarij conſcriptis, hæc verba ſunt: Dabis ad editionem Circenſium aureos Antoninianos trecentos, &c. conuiuium autem publicum edi iubebis Senatoribus, Equitibus Romanis, hoſtias maiores duas, minores quatuor. De magiſtratuum epulis locus eſt apud Ciceronem [17] vnus, in quo: Nec verò illud, inquit, non eruditorum temporum argumentum eſt, quod deorum puluinaribus & epulis magiſtratuum fides præcinunt: qui locus non modò de Conſulibus, ſed etiam de Prætoribus

1 *lib. 55. ſub initium.*
2 *tom. 2. annal. vbi de Camillo agens, triumphum deſcribit.*
3 *lib. 15. deipnoſoph. ca. 14. vſque ad 19.*
4 *li. 2. pædago. ca. 8.*
5 *li. 3. ſympoſiac. quæſt. 1. τοῖς ἀπὸ τούτων μύροις ἔχριον τὰ στήθη.*
6 *lib. 3. eleg. 6. in fine.*
7 *lib. 10. pharſal.*
8 *in Odis.*
9 *lib. 4.*
10 *lib. 2. de ira. cap. 33.*
11 *li. 33. c. 7.*
12 *in Pertinace.*
13 *in Pertinace paulo pòſt.*
14 *in Seuero ſub initium.*
15 *lib. 14. ca. 15.*
16 *in Aureliano.*
17 *li. 14. Tuſcul. quæſt. ſub initium.*



bus intelligi atque exponi poteſt: nec enim (vt puto) fallimur, qui olim ipſos quoque prætores ſolemnibus diebus conuiuiũ habuiſſe in foro inde coniicimus, quòd apud Senecam [1], vbi Romanus Hiſpo Prætorem alloquens, ſic ait: Quis ferret te ſi in triclinio tuo iudicium cocgiſſes? Scelus eſt in conuiuio damnari hominem, quid occidere ad arbitrium meretricis? &c. Subiicit Capito: Quid ſi per Deos immortales nullo ſolemni die populo inſpectante, in foro cõuiuium habuiſſes, non minuiſſes maieſtatem imperij noſtri? Atqui quid intereſt conuiuium in forum, an forum in cõuiuium attrahas? Iullum Antonij filium in Prætura Natalitiis Auguſti, Circenſes & beſtiarios ludos exhibuiſſe, & in Capitolio iuxta decretum Senatus ipſi Auguſto patribúſque epulum præbuiſſe, annis quoque ſequentibus ab vno prætorum Auguſti natalitia ſic fuiſſe celebrata, vt in Hippodromo aliíſque vrbis regionibus mactarentur beſtiæ curuléſque ludi darentur, Dio Romanarum rerum ſcriptor diligentiſſimus retulit [2] his verbis: τότε γενέθλια τοῦ Αὐγούστου ὁ Ἴουλλος, ὁ τοῦ Ἀντωνίου παῖς στρατηγῶν, καὶ ἱπποδρομίᾳ καὶ σφαγαῖς θηρίων ἑώρτασε, καὶ ἐν τῷ καπιτωλίῳ καὶ ἐκεῖνον καὶ τὴν βουλὴν κατὰ δόγμα αὐτῆς εἱστίασεν. (*Natalem Auguſti diem Iulius Antonij filius prætor, equeſtri certamine & venatione celebrauit, & ex Senatus conſulto epulum Auguſto & Senatoribus in Capitolio dedit.*) &c. haud multo pòſt, ὅτι τὰ γενέθλια τὰ τοῦ Αὐγούστου, καὶ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ, καὶ ἐν τῇ ἄλλῃ πόλει πολλαχόθι θηρίων σφαγαῖς ἐτιμήθη, καὶ τοῦτο μὲν καί τοι μὴ ψηφισθὲν, ἐν πᾶσιν ὡς εἰπεῖν τοῖς ἔτεσι πρός τινος τῶν ἀεὶ στρατηγούντων ἐγίγνετο. (*& natalis Auguſti in circo & variis aliis locis vrbis, venationibus eſt celebratus: Idque etſi nõ decretum, tamen quotannis fere à prætoribus factum.*) Itémque alibi [3]: ἐς δὲ τὰ γενέθλια, ἱπποδρομίαν ἀΐδιον ἔλαβε. (*Vt natalitiis ſuis ludi equeſtres perennes eſſent admiſit.*) Ludis quoque ac muneribus quæ olim edebantur vel ab Imperatore, vel à magiſtratibus, vel etiam à priuatis epulationem ſiue prandium populo datum legimus, ídque anno vrbis conditæ 693. fieri primùm cœpiſſe obſeruauimus: vt, cùm antea diem integrum atque continuum ſpectaculis populus daret, Piſone & Meſſala Conſulibus, interciſo (vt ita dicam) & intermiſſo gladiatorum ſpectaculo, prandium poſtularit: eíque deinceps editionibus munerum à principibus epulum dari conſueuerit: cuius rei teſtis eſt idem Romanæ hiſtoriæ auctor grauiſſimus Dio [4]: καὶ ὁ δῆμος, inquit, ἄπαυστοι μέχρι τότε τὰς ὁπλομαχίας θεώμενος ἐξανέστη τε μεταξὺ τοῦ ἔργου, καὶ ἄριστον εἵλετο, καὶ τοῦτ' ἐκεῖθεν ἀρξάμενον, καὶ νῦν ὁσάκις ἂν ὁ τὸ κράτος ἔχων ἀγωνοθετῇ, γίγνεται. (*Populus etiam qui ante hæc tempora ludos gladiatorios nulla requie intercedente totos ſpectauerat, tum primùm inter actionem ſurrexit pranſúſque eſt. Iſque mos tum cœptus hodiéque quoties Imperator ludos exhibet obſeruatur.*) Sidonius Apollinaris ad Montium: Poſtridie iuſſit Auguſtus, inquit [5], vt epulo ſuis Circenſibus ludis intereſſemus. Primus iacebat cornu ſiniſtro Conſul ordinarius, &c. Hoc ex veteri more, ſecundum quem Senatoribus eorúmque vxoribus, & populo ſpectacula ſimul epulúmque Tiberius præbuit, quo die Auguſti fanum dedicauit, vt

1 *li. 5. controuerſiar.*
2 *lib. 54. hiſt. vide & lib. 55. vbi de Auguſto.*
3 *lib. 55. vide & lib. 57. & 58.*
4 *lib. 37.*
5 *epiſtol. vlt. lib. 3. epiſt.*

apud Dionem eſt[1], qui Druſillæ quoque natalitiis, Caium Caligulam eodem die produxiſſe pugiles, & [2] Lybicas beſtias, populóque epulum & Senatoribus, eorúmque vxoribus dona dediſſe ait. Eundem Caligulam muneribus & ludis, aliíſque ſpectaculis ſparſiſſe miſſilia variarum rerum, & panaria cum obſonio viritim diuiſiſſe, eáque epulatione equiti Rom. contra ſe hilariùs auidiúſque veſcẽti, partes ſuas miſiſſe ſcribit Suetonius[3]. Domitianum populo cõgiarium numorum trecentorum ter dediſſe, atque inter ſpectacula muneris largiſſimum epulum[4]. Claudium verò beſtiariis meridianíſque adeò delectari ſolitum, vt etiam prima luce ad ſpectaculum deſcenderet, & meridie dimiſſo ad prandium populo, perſederet[5]: quod & Xiphilinus[6] ex Dione[7] ſic extulit: ἐτίθει δὲ συνεχῶς μονομαχίας ἀγῶνας· πάνυ γὰρ σφισιν ἔχαιρε· τά τε γὰρ ἄλλα καὶ τοὺς διὰ μέσου τῆς θέας παρὰ τὸν τοῦ ἀρίστου καιρὸν κατακοπτομένους ἥδιστα ἐθεώρει. (*Exhibuit crebrò ludos gladiatorios, quibus vehementer delectabatur. Præter cætera libenter ſpectabat ſub prandij tẽpus eos qui in medio theatro dilaniabantur.*) vbi quos Suetonius beſtiarios, Dio κατακοπτομένους (*Diſcerpendos*) vocat: eos intelligens, qui beſtiis obiiciebantur: vt ab iis diſcerpti conſumerentur: quos verò Suetonius meridianos nominat, eos eſſe puto, qui à Dione μονόμαχοι, à Latinis gladiatores dicuntur: ex eo autem inueniſſe meridianorum nomen, quòd ſpectacula matutina quidem beſtiariorum ſub Imperatoribus, meridiana gladiatorum exhiberentur, vt ex his Senecæ quos ſubiiciam locis manifeſtò apparebit: Caſu in meridianum, inquit[8], ſpectaculũ incidi, ludos ſpectans (malim expectans) & ſales & aliquid laxamenti quo hominum oculi ab humano cruore acquieſcant: Cõtrà eſt, quidquid ante pugnatum eſt miſericordia fuit. Nunc, omiſſis nugis, mera homicidia ſunt, nihil habent quo tegantur: & ſtatim: Mane leonibus & vrſis homines, meridie ſpectatoribus ſuis obiiciuntur: & alibi[9]: Nuper in ludo beſtiariorum vnus è Germanis cùm ad matutina ſpectacula pararetur, ſeceſſit ad exonerandũ corpus, nullum aliud illi dabatur ſine cuſtode ſecretum: & paulo pòſt: Iam ego iſtam virtutem habere tam multa exempla in ludo beſtiario quàm in ducibus belli ciuilis oſtendam: Cùm adueheretur nuper inter cuſtodias quidam ad matutinum ſpectaculum miſſus, &c. Ergo inter matutinum & meridianum ſpectaculũ, populo prãdium publicè dabatur in vrbe Roma. Erant & in Prouinciis conuiuia, cùm ad eas magiſtratus primùm accederent, celebrari ſolita: quibus & magiſtratus à prouincialibus acciperentur, & ipſi prouinciales acciperent. Ad quæ Ciceronem aſpexiſſe puto in Verrem, cum ait[10]: Erant autem conuiuia non illo ſilentio Prætorum atque Imperatorum, neque eo pudore qui in magiſtratuum cõuiuiis verſari ſolet, ſed cum maximo clamore atque conuicio. De illis accipietur non ineptè, quod de Iulio Cæſare Suetonius tradit[11]: Cõuiuatum aſſiduè per prouincias duobus tricliniis: vno quo ſagati palliatíve: altero, quo togati cum illuſtrioribus prouinciarum diſ-

cum-

1 *lib. 58. his verbis* καὶ ἡ βουλὴ σὺν ταῖς γαμεταῖς σφῶν, ὅτι δῆμος εἱστιάθη, θέαι τε παντοδαπαὶ ἐγίνοντο.
2 *ead. li. 58.*
3 *in Caligula. cap. 18.*
4 *in Domitiano cap. 4.*
5 *in Claudio cap. 34.*
6 *in Claudio.*
7 *lib. 58. hiſtor.*
8 *epiſt. 7.*
9 *epiſt. 71. vide & li. 3. de ira. cap. vlt. vbi de matutinis harenæ ſpectaculis. facit illud Martialis, Matutinarũ non vltima præda ferarum.*
10 *lib. 5. in Verrem.*
11 *in Iulio*



cumberent. Itémque quod Paulus[1] poſtquam generaliter definiuit ciuitatibus quod ad honorem earum pertineat legari poſſe, adiicit exempli gratia quod ad diuiſionem ſingulorum ciuium vel epulũ relictum fuerit. Plutarchus Ciceronem Ciliciæ Proconſulem neque à regibus accepiſſe munera, & prouincialibus conuiuia remiſiſſe: ab ipſo verò non magnificis, ſed liberalibus tamen cœnis quotidie prouinciales acceptos fuiſſe teſtatur: innuens, illud nimirum Proconſulibus epulum olim à prouincialibus dari conſueuiſſe. Nã Plutarchi[2] verba ſic habent: καὶ δῶρα μὲν οὐδὲ τῶν βασιλέων διδόντων ἔλαβε, δείπνων δὲ τοὺς ἐπαρχικοὺς ἀνῆκεν· αὐτὸς δὲ καθημέραν τοὺς χαρίεντας ἀνελάμβανεν ἑστιάσεσιν οὐ πολυτελῶς ἀλλ᾽ ἐλευθερίως· ἡ δὲ οἰκία θυρωρὸν οὐκ εἶχεν, (*Dona nec à regibus ipſis oblata ſuſcepit, ſubleuauit quoque Conſulares cœnarum largitionibus. Ipſe verò quotidie feſtiuiſſimos quoſque conuiuiis non equidem ſumtuoſis ſed liberalibus excipiebat, Domus autem ianitor nullus erat.*) &c. qua de re ſic ipſe Cicero[3] ad Atticum ſcribit: Adhuc ſumptus nec in me aut publicè aut priuatim, nec in quemquam comitum: nihil accipitur lege Iulia, nihil ab hoſpite, perſuaſum eſt omnibus meis ſeruiendum eſſe famæ meæ: & alio loco[4]: Nos Aſia accepit admirabiliter. Aduentus noſter, ne nummo quidem ſumptui fuit. Spero meos omnes ſeruire laudi meæ. Hactenus de magiſtratuum, de triumphalium, de Imperatorum cœnis dixiſſe ſufficiat: tantùm in præſenti addidero, cœnam quæ Dialis à Seneca[5] nominatur (vbi corruptè quidam & peruersè Attali legũt, cùm tamen ſic Dialis cœna dicatur, vt apud Tacitum[6] Dialia ſacra, & Flamen Dialis: vt apud Apuleium[7] dialis via, & diale fulmen) eã intelligi, quæ ante Iouis cellam in Capitolio fiebat: erátque publica, vt ex duobus[8] eiuſdem Senecæ locis colligitur, éxque eo quod Valerius Maximus ita ſcribit[9], Iouis epulo ipſe in lectulum Iuno & Minerua in cellas ad cœnam inuitabantur: quod genus ſeueritatis ætas noſtra, diligentius in Capitolio quàm in ſuis domibus ſeruat. Solemni enim die Ioui epulum libari, atque ob id ſacrificium in Capitolio Senatum epulari ſolitum A. Gellius docet[10], itémque Dio[11], vbi ſic ſcribit: ἐπειδή τε ἐν τῇ πανηγύρει τῇ τῶν Ῥωμαίων οὐδεὶς τῶν βουλευτῶν ἐν τῷ καπιτωλίῳ ὥσπερ εἴθιστο, εἱστιάθη, ἐν τέρατος λόγῳ καὶ τοῦτ᾽ ἔλαβον. (*Ludis quoque Romanis nullum Senatorum in Capitolio epulatum eſſe in prodigium tractum fuit.*) Hinc explico quod excuſantibus ſe Senatoribus ab Auguſto ſeruatum inſigne veſtis & ſpectandi in orcheſtra, epulandíque publicè ius apud Suetonium legitur. Fiebat verò id Iouis epulum ludorum cauſa, vt ex multis Liuij locis apertum eſt: quos cum alij[12] notarint, hîc non aſcribam. Illud potius quod de Senatorio prandendi more Sidonius quodam loco aſperſit, hîc inſeram. Prandebamus breuiter (ait[13]) copioſè, Senatorium ad morem quo inſitum inſtitutúmque multas epulas paucis paropſidibus apponi, quamuis conuiuium per edulia nunc aſſa, nunc iurulenta varietur. Neque prætermittam quòd eſt à Dione[14]

1 *l. ciuitatibus. 122. in princip. D. de legat. 1.*
2 *in Cicerone.*
3 *li. 5. epiſtolarũ ad Atticum in epiſtola. Vt Athenas.*
4 *epiſtola* Antequam. *& vide epiſtolam Te in Epeirum.*
5 *epiſt. 124.*
6 *lib. 3. annal.*
7 *lib. 6. & 8. de aſino aureo.*
8 *epiſt. 96. & 99.*
9 *li. 2. c. 1. de inſtitu. antiq vbi de ritu accubandi.*
10 *li. 12. ca. 8. meminit etiam Lampridius in Alexandro Seuero.*
11 *lib. 48. hiſtor ad finẽ. meminit & lib. 39. ibi.* οὐκ ἐν τῷ καπιτωλίῳ τῇ τοῦ Διὸς ἑορτῇ εἱστιάθησαν.
12 *Lazius li. 3. commẽt. cap. 3. vide Liuium lib. 7. decad. 3.*
13 *epiſt. 9. li. 2. epiſtol.*
14 *lib. 51. hiſtoria.*

adnotatum : Poſt Actiacam victoriam, quibus diebus triumphum Octauius Auguſtus Imperator duxit, eorum vno ſingulos Senatores in ædium ſuarum veſtibulis epulatos fuiſſe : qua ratione autem commoti, aut quo exemplo id fecerint, ignorare ſe Dio ipſe profitetur: cuius hæc verba ſunt: καὶ ἐν αὐτοῖς οἱ βουλευταὶ μίαν τινὰ ὡς ἕκαστοι ἡμέραν ἐν τοῖς τῶν οἰκιῶν σφῶν προθύροις εἱστιάθησαν, οὐκ οἶδ' ὅθεν ἐς τοῦτο προαχθέντες. οὐ γὰρ παραδέδοται. (*Iiſque ludis ſinguli Senatores vnam diem in veſtibulis domorum ſuarum epulati ſunt, quod qua de cauſa factum fuerit neque mihi compertum eſt, neque à quopiam traditum.*) Poſtremò id quoque admonebo, quod ex Plauti verbis coniicere viſus ſum, à clientibus olim in æde ſacra conuiuium patronis apparari ſolitum, quod cœnam popularem vocarent: ſic enim apud Plau-

1 in Trinummo act. 2. ſc. 4. tum Philto loquitur [1]:

*quid tunc ſi in ædem ad cœnam veneris,*
*Atque ibi opulentus tibi par forte vt venerit,*
*Appoſita ſit cœna, popularem quam vocant,*
*Si illi congeſtæ ſint epulæ à clientibus,*
*Si quid tibi placeat quod illi congeſtum ſiet,*
*Edáſne, an incœnatus cum opulento accubes* ? vt verò Dialis, itémque popularis cœna, ſic & alia conuiuia in ſacris ædibus fiebãt.

2 in Taciti vita ad finem. Flauius Vopiſcus de Tacito Imper. Argentum menſale, inquit [2], quod priuatus habuerat, miniſteriis conuiuiorum, quæ in templis fierent, dedicauit. Ideo publicarum epularum apparatum cum lectiſterniis Deorum, diebus feſtis, ludis ſcenicis, ludíſque Circenſi-

3 lib. de mundo. bus coniunxit Apuleius [3] quodam loco. Sed de iis, id eſt, de Saliaribus, pontificalibus, auguralibus, Cerealibus aditialibus cœnis alio commodiore loco diſſeretur.

---

*Conuentionem publicam, quæ fœdus & pactio dicitur, aut æquis legibus aut imparibus conditionibus fieri. Emendatus Triphonini locus. Diuina humanáque quid ſit apud Liuium: συνθῆκαι, εἰρήνη, προστάγματα, σπονδαὶ, apud Iſocratem, Andocidem, Æſchinem. Emendatus & expoſitus Iſocratis locus, de communi gentium iure.*

## CAP. VII.

COnuentionis publicæ, quæ ſcilicet ex publica cauſa fit, per pacem quoties duces belli quædam inter ſe paciſcuntur, vt ait Vlpianus 4, exemplum adferri poſſe commodiſ-

4 l. conuentionum. 5. D. de pact. ſimum ex Triphonini reſponſo 5 ſemper exiſtimaui: vt bello captis

5 l. in bello. 12. D. de capt. & poſtlim. poſtliminium in pace fit, ſi tamen id pactis fuerit comprehenſum, id eſt, ea conuentione quæ inter belli duces habita fuerit: nam Triphonini verba iampridem non vt in omnibus etiam Florentinis libris abnutiuè concepta ſunt, ſed ita potius, vt pro, Nihil, reſtituatur, ID, legenda eſſe animaduerti: cuius coniecturæ noſtræ cùm ap-

6 ad l. 5. D. de pactis. probatorem & laudatorem habeam Iac. Cuiacium 6 clariſſimum & ſum-



& ſummæ apud literatos auctoritatis Iuriſconſultum, non puto quemquam dubitaturum, aut in controuerſiam adducturum eſſe, vtrum ea vera ſit: atque vt maximè aliis improbetur, niſi me tamen aliqua ratione firma & valida oppugnauerint, non magis eorũ vllo numero quàm auctoritate de ſententia dimouebor, cùm vnus ille mihi ſit pro centum milibus. Hanc verò, de qua loquimur, συνθήκην καὶ ξύμβασιν, id eſt, conuentionem quæ pacis cauſa fit, fœdus non tantum à Virgilio, apud quem Seruius antiquiſſimus grammaticus fœderis verbum ita interpretatur, vt dicat eſſe pacem quæ fit inter 1 l. poſtliminij 5. §. In pace. D. de capt. & poſtlim.
dimicantes, verùm etiam à Pomponio [1] Proculo [2] & Triphonino [3] Iuriſconſultis appellari puto: & à Silio Italico [4] his verſibus:

*ter marte ſiniſtro*
*Iuratúmque Ioui fœdus conuentáque patrum* 2 l. non dubito. 7. §. 1. eod. tit.
*Sidonij fregêre duces, atque impius enſis*
*Ter placidam ſuaſit temerando rumpere pacem.*

vbi lubentius Placitam legerim, quàm placidam (licet hoc paci ἐπίθετον à poëtis [5] tribui non diffitear) vt placita pax, iuratum fœdus, & conuenta ſiue pacta idem ſignificent, eam videlicet conuentionem, quæ per pacem inter belli duces (quorum hic quoque meminit Silius) conſtituitur: vt & in aliis eiuſdem auctoris verſibus [6]: 3 l. in bello. 12. ſub initiũ in verſic. Itẽ in pace. eod. tit. 4 lib. 1. ſub initium.

*en omnes Latiæ Daunique nepotum*
*Conuenêre manus, feriant nunc fœdera mecum* 5 Lucretius lib. 1. Virgilius lib. 1. Æneid.
*Ductores Italûm, ac leges & pacta repoſcant.*

Cicero conuentionem hanc pactionem nominat [7], vbi ait: Cùm ex omnibus ciuitatibus via ſit in noſtram, cúmque noſtris ciuibus pateat iter ad cæteras ciuitates, tum verò vt quæque nobiſcum maximè ſocietate, amicitiæ ſponſione, pactione, fœdere coniuncta eſt, ita mihi maximè communionem beneficiorum, præmiorum ciuitatis continere videtur: itémque ad Plancum [8]. Victoria pax, non pactione parienda eſt. & ad Atticum ſcribens in illo loco [9]: Ego ſi Põpeius manet in Italia, nec res ad pactionem venit, longius bellum puto fore: ſin Italiam relinquit, ad poſterum bellum ἄσπονδον ſtrui exiſtimo. Idem auctor alibi [10] fœderibus pactiones, id eſt, conuentiones coniungit his verbis: Præſtabilem eſſe ſcientiam in fœderibus, pactionibus, conditionibus populorum, regum, exterarum nationum, in vniuerſo denique belli iure ac pacis. Verùm conuentio illa publica, ſiue fœdus, aut æquum fuit, id eſt æquale iuſtíſque legibus, & æquis eorum qui paciſcebantur conditionibus, per pacem vel inducias ictum: aut, vt ita dicam, impar fuit, cùm eo fœdere comprehenſum eſſet, vt is populus alterius populi libertatem comiter conſeruaret, vt apud Liuium libro iiij. de bello Macedonico, & ex noſtris apud Proculum [11] relatum eſt. Ad priorem ſpeciem illud Cæſaris [12] refero: Magnopere ſeſe confidere demonſtrat, ſi eius rei ſit poteſtas facta, fore vt æquis conditionibus ab armis diſcedatur. Ad quam & ea Velleij Paterculi [13] verba pertinent, vbi de Sylla loquitur: Tentauítque iuſtis legibus & æquis conditionibus bellum cõponere, ſed iis quibus & peſſima, & immodica cupiditas erat, non

6 lib. 4.
7 in oratione pro Cornel. Balbo.
8 epiſt. 6. li. 10. famil. epiſt.
9 lib. 9. epi. in epiſt. Nihil habebã.
10 in oratione pro Cornel. Balbo.
11 d. l. nõ dubito §. 1. vbi Budæum vide.
12 lib. 1. de bello ciuili.
13 volum. 2.

poterat pax placere. Item illa Plinij 1: Ergo ſuſtulerant animos, & iugum excuſſerant, nec iam nobiſcum de ſua libertate, ſed de noſtra ſeruitute certabant, ac inducias quidem, niſi æquis conditionibus, non inibant, legéſque vt acciperent dabãt. Ad poſteriorém-ne an ad priorem hæc eiuſdem Paterculi, vbi de Maroboduo Marcomannorum duce loquitur, verba referri debeant, affirmare nolim. Occupatis igitur (inquit 2) quos prædiximus locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus iuris ſui fecit. Nec enim æquis adiicit, ſed nec imparibus. Cæterùm de poſteriore ſpecie loci ſunt apud Ciceronem 3 & Liuium 4, à Gulielmo Budæo 5 (quem ordinis quondam noſtri hominem, & literarum vnicum decus, honoris cauſa nominatum volo) animaduerſi: quamobrem eorum verba hîc adſcribi nihil neceſſe eſt.

Fœdus pacis cauſa factum æquis legibus atque conditionibus, quod æquum Proculus vocat, à Græcis συνθῆκαι. (*Conuentiones*) ſimpliciter, & συνθῆκαι ἐπὶ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ 6 (*Cõditiones pacis æquæ paréſque*) & συνθῆκαι τῆς αὐτονομίας, (*Conuentiones liberæ*) itémque εἰρήνη (*pax*) nominatur, pacis & conuentionis appellatione cenſetur: ſed & inæquale illud, quo ſcilicet continetur vt alter in alterius populi fide ſit, eiúſque populi maieſtatem comiter & ſine dolo malo conſeruet (cùm ex eo vterque populus αὐτόνομος, αὐτοτελής, καὶ αὐτόδικος, (*ſuis vtitur legibus, vectigalibus atque iudiciis*) vt Thucydides 7 loquitur, atque adeo liber ſit licet vnus altero inferior) iis quæ modò expreſſimus Græcis verbis comprehendi arbitramur. Nam cùm deuictus populus (exempli gratia) ciuitatis mœnia diruere, naues reddere, transfugas recipere iubetur, atque his conditionibus (quas συνθήκας ἐκ τῶν ἐπιταγμάτων Græci auctores, & προστάγματα, & σπονδάς, id eſt, *leges ſiue iuſſa, itémque conditiones ſiue ſponſiones* nominãt) à bello diſceditur: in præſens quidem ad ſeruitutem proximè accedit, in poſterum tamen eſt liber, ſiquidem ſuis legibus, iudiciis, vectigalibus vtitur fruitur. At è contrario cùm iis pactionibus à bello diſceditur, vt vnus in alterius non modò fide, ſed etiam ditione ac poteſtate ſit populus, victoris legibus, magiſtratibúſque obtemperet, illiúſque imperio velut in prouinciæ formam 8 redactus pareat, ideóque liber non ſit teſte 9 Suetonio, præſertim ſi legibus (vt Liuius loquitur) impoſitis, pactionibúſque illis comprehenſum ſit, vt certum quotannis vectigal, id eſt tributum aut ſtipendium præſtet quaſi victoriæ præmium, ac belli pœnam, vt ait in Verrem Cicero (quo caſu alterius poteſtati ſubiectum eum eſſe nemo negauerit) fœderatum eum populum dici non poſſe apparet, qui ὑπήκοος καὶ ὑποτελής (*ſubditus eſt & vectigalis*): quique adeo liber (vt alibi 10 docuimus) & vt aiunt Græci αὐτόνομος *ſuis vtens legibus*, non eſt. Fœderatos enim, licet ciues non ſint 11, nihilominus tamen liberos eſſe conſtat. Suetonius 12 Auguſto, vrbium

*1 in panegyrico Traiani.*
*2 Velleius Paterculus lib. 2. vide à tur.*
*3 in oratione pro Cornel. Balbo.*
*4 lib. 8. de bello Macedonico.*
*5 in annot. ad l. 3. D. ad leg. Iul. maieſt. & ad l. non dubito. D. de capt. & poſtlim.*
*6 vide Appianum Iberica & Xenophontem lib. 7. Hellenicon ſub initium.*
*7 lib. 5. hiſtor.*
*8 Strabo li. 13. vbi de Attalo. Suetonius in Iulio cap. 25. Octauio ca. 18. Tiberio. 37. Caligu. cap. 1. Nerone 19 Veſpaſiano. 8. Paterculus volum. 2. Dio in Traiano vbi de Dacia. vide & Cæſarem.*
*9 Nerone c. 25. Decedẽs prouinciam vniuerſam libertate donauit.*
*10 ad l. 106. D. de regul. iur.*
*11 Valerius Maxim. ca. 2. lib. 5. vbi de Mario & Plutarchus in vita Marij.*
*12 cap. 47. vide & in Tiberio cap. 37.*

quaſ-



quaſdam fœderatas, ſed ad exitium licentia præcipites libertate priuauit: Cicero in Verrem, Fœderatæ ciuitates ac liberæ, Centuripina, Haleſina, Segeſtana, &c.

Cæterùm, vt apud Græcos olim, ſi quando belli dirimendi gratia eſſent initæ σπονδαὶ ἐξ ἐπιταγμάτων, (*fœdera iuſsis quibuſdam conditionibus impoſitis ſancita,*) deuictus populus muros diruebat, obſides, naues, atque arma, & interdum pecuniæ quoque vim permagnam victori dabat, vt Athenienſibus Thaſij, & itẽ Æginetæ ac Samij: id quod his verbis Thucydides 1 tradit: τρίτῳ ἔτει πολιορκούμενοι ὡμολόγησαν Ἀθηναίοις, τεῖχός τε καθελόντες καὶ ναῦς παραδόντες χρήματά τε ὅσα ἔδει ἀποδοῦναι αὐτίκα ταξάμενοι καὶ τὸ λοιπὸν φέρειν, τήν τε ἤπειρον καὶ τὸ μέταλλον ἀφέντες. (*Tertio quàm oppugnari cœpti ſunt anno, Athenienſibus ſeſe dediderunt, muris dirutis, nauibus traditis, & pecuniis, impræſentiarum quidẽ quantæ pendi debebãt, ſolui autẽ iuſsis in poſterũ reliquis relicta eis continente ac metallo.*) & paulò pòſt, ὡμολόγησαν δὲ καὶ οἱ Αἰγινῆται μετὰ ταῦτα τοῖς Ἀθηναίοις τείχη τε περιελόντες καὶ ναῦς παραδόντες φόρον τε ταξάμενοι ἐς τὸν ἔπειτα χρόνον, (*Æginetæ quoque ad Athenienſes deditionẽ fecerunt, deiectis muris, nauibus traditis, tributum quoque in poſterum pendere iuſsi.*) & de Samiis poſtea, προσεχώρησαν ὁμολογίᾳ τεῖχός τε καθελόντες, καὶ ὁμήρους δόντες, καὶ ναῦς παραδόντες, καὶ χρήματα τὰ ἀναλωθέντα κατὰ χρόνους ταξάμενοι ἀποδοῦναι. (*Deditionẽ fecerunt, deiectis muris, datis obſidibus, traditis nauibus, pecunias quæ impenſæ eſſent certis temporibus ſoluturi.*) ſic illud ex Liuio 2 notandum, Romanis vetuſtum morem fuiſſe, vt cum quo nec fœdere, nec æquis legibus iungerentur amicitia, non prius in eum tanquam pacatum imperio vterẽtur, quàm omnia diuina humanáque dediſſet, obſides accepti, arma adẽpta, præſidia vrbibus impoſita forent. vbi quod de diuinis humaníſque dicitur, adhibitis ipſius Liuii, aliorúmque auctorum teſtimoniis explicare lubet. Igitur in formula deditionis hæc verba, de quibus agimus, velut ſolemnia proponuntur alicubi à Liuio 3: Deditís-ne vos, populum Collatinum, vrbem, agros, aquam, terminos, delubra, vtenſilia, diuina humanáque omnia, in meam populíque Romani ditionem? Dedimus. Et ego recipio. Apud Plautum 4 Soſia ſeruus Amphitruonis ita loquitur:

*Deinde vtrique Imperatores in medium exeunt,*
*Extra turbam ordinum colloquuntur ſimul:*
*Conuenit, victi vtri ſint eo prælio*
*Vrbem, agrum, aras, focos, ſéque vti dederent.*

& paulò pòſt idem Soſia:

*Poſtridie in caſtra ex vrbe ad nos veniunt flentes principes,*
*Velatis manibus orant, ignoſcamus peccatum ſuum.*
*Dedúntque ſe, diuina humanáque omnia, vrbem & liberos*
*In ditionem atque in arbitratum cuncti Thebano populo.*

Hirtius quoque, ſiue Oppius 5, de Alexandrinorum deditione: Omnis. n. inquit, multitudo oppidanorũ, armis proiectis, munitionibúſque ſuis relictis, veſte ea ſumpta, qua ſupplices dominãtes deprecari

*1 lib. 1. hiſt.*
*2 lib. [illegible]*
*3 lib. 6. d[illegible]*
*4.*
*4 Amphitruone act. 1. ſce. 1.*
*5 in libr. de bello Alexandrino.*

conſueuerant,ſacríſque omnibus prolatis, quorum religione precari offenſos iratóſque animos regum erant ſoliti, aduenienti Cæſari occurrerunt,ſéque ei dediderunt.

Sed vt ea quæ diſſeruimus περὶ συνθηκῶν καὶ εἰρήνης, (*De conuentionibus atque pace,*) itémque περὶ προσταγμάτων καὶ σπονδῶν, (*De fœderibus & impoſitis conditionibus*) firma certáque ſint apud omnes, clariſſimorum oratorum Andocidis & Iſocratis teſtimonia conceptis verbis,vt ſoleo,atque itidem vt alios facere cuperem, qui commenta mera pro commentariis plerunque nobis obtrudunt, bona fide proferam: quæ neque nos ſine magna voluptate vel repetimus memoria,vel hîc exſcribimus, neque iuuenes Græcis literis tinctos atque imbutos hîc ea ſine aliqua vtilitate perlecturos aſſeuerare audeo.

*1 in panegyrico.*

Sic igitur Iſocrates 1: τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὅτι συνθῆκαι μέν εἰσιν, αἵ τινες ἂν ἴσως καὶ κοινῶς ἐν ἀμφοτέροις ἔχωσι, προστάγματα δὲ τὰ τοὺς ἑτέρους ἐλαττοῦντα παρὰ τὸ δίκαιον; (*Quis enim neſcit eas eſſe pactiones cùm par & æquum ius vtriſque tribuitur: iuſſa verò cùm alteri præter ius & æquum peiore ſunt conditione?*)

*2 in Plataico.*

Itémque 2, εἰ δὲ τὰς συνθήκας ἀξιοῦσιν εἶναι κυρίας (loquitur autem περὶ τῶν τῆς αὐτονομίας συνθηκῶν. (*De pactionibus quibus ſuis quique legibus vtuntur.*) ſic enim paulo pòſt 3 vocantur)

*3 in Plataico & in orat. de pace.*

ὅπερ ἐστὶ δίκαιον, πῶς οὐχ ὁμολογήσουσιν ἀδικεῖν καὶ παραβαίνειν αὐταί; ὁμοίως γὰρ τὰς τε μικρὰς τῶν πόλεων καὶ τὰς μεγάλας αὐτονόμους εἶναι κελεύουσιν. (*Sin fœdera eſſe rata volunt,ſicut æquum eſt, negare qui poterunt ſe per iniuriam ea violare,qui æquè ac magnas ciuitates paruas ſuis ipſarum legibus vti iubeant?*) ~~& alibi~~ 4, καὶ τοὶ χρὴ τοὺς βουλομένους ἐλευθέρους εἶναι, τὰς μὲν ἐκ τῶν ἐπιταγμάτων συνθήκας φεύγειν ὡς ἐγγὺς δουλείας οὔσας. (*Cupidis libertatis, fœdera cum mandatis coniuncta fugienda ſunt, parum enim abſunt à ſeruitute.*)

*4 in Archidamo. vide & Demoſthenē ἐν τῷ περὶ τῆς τῶν Ῥοδίων ἐλευθερίας.*

Andocidis item hæc verba ſunt 5, quibus tota res clara & perſpicua redditur: εἰρήνη γὰρ καὶ σπονδαὶ πολὺ διαφέρουσι σφῶν αὐτῶν. εἰρήνην μὲν γὰρ ἐξ ἴσου ποιοῦνται πρὸς ἀλλήλους ὁμολογήσαντες περὶ ὧν ἂν διαφέρωνται. σπονδὰς δὲ, ὅταν κρατήσωσι κατὰ τὸν πόλεμον οἱ κρείττους τοῖς ἥττοσιν ἐξ ἐπιταγμάτων ποιοῦνται. ὥσπερ ἡμῶν κρατήσαντες Λακεδαιμόνιοι τῷ πολέμῳ ἐπέταξαν ἡμῖν καὶ τείχη καθαιρεῖν καὶ τὰς ναῦς παραδιδόναι, καὶ τοὺς φεύγοντας καταδέχεσθαι. τότε μὲν οὖν σπονδαὶ κατ' ἀνάγκην ἐξ ἐπιταγμάτων ἐγένοντο. (*Pax enim, & pacta inter ſe multum differunt. Pax enim ex æquo initur, cùm conuenit inter diſceptantes,de quibus controuerſantur. Pacta verò fiunt,cùm potentiores, deuictis inferioribus,illis mandata dicunt. Veluti cùm nos debellaſſent Lacedæmonij imperarunt, & muros diruere, & naues tradere, & transfugas recipere. Tum ergo pacta illa ex neceſſitate cum mandatis fuere coniuncta.*) & paulo pòſt: τὰς γὰρ πόλεις αὐτονόμους αἱ συνθῆκαι ποιοῦσιν, (*Vrbes enim, vt ſuis legibus vti poßint præſtant conuentiones.*) ex quibus ille quoque locus Æſchinis 6 explicandus eſt,vbi ait, εἰς φρουρὰν τῆς πόλεως, καὶ τοὺς τετρακοσίους καὶ τοὺς ἀσεβεῖς τριάκοντα ἐνεπέσαμεν οὐκ εἰρήνην ποιησάμενοι. ἀλλ' ἐκ προσταγμάτων ἠναγκασμένοι. (*Ad vrbem ſeruandam deuenimus in quadringentorum & impiorum illorum triginta tyrannorum poteſtatem,non quidem æqua pace facta,ſed coacti iuſſa capere.*) Interdū tamen συνθηκῶν, (*Conuentionum*) generale nomen, περὶ τῶν σπονδῶν *de fœde-*

*5 ἐκ τοῦ περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης λόγου.*

*6 περὶ τῆς παραπρεσβείας.*



(*de fœderibus*) accipitur, vt vel ex illo Diodori Siculi loco manifeſtum cuiuis eſſe poterit: in quo 1 ſic ſcribit: γενομένων δὲ τούτων τῶν σπονδῶν οἱ μὲν Ποτιδαιᾶται πάντες μετὰ γυναικῶν καὶ τέκνων ἐξέλιπον τὴν πατρίδα, κατὰ τὰς συνθήκας, (*His autem initis fœderibus, Potidæenſes quidem omnes,cum vxoribus & liberis patriam deſeruerunt, ex conuentionibus.*) & poſteà, παρεκάλουν συνθέσθαι σπονδάς. (*hortabantur fœdera paciſci*) vbi etiam σπονδὰς & ἀνοχὰς (*fœdera & inducias*) pro eodē poſuit,cùm tamen ἀνοχαὶ ſiue ἀνακωχαὶ apud auctores bonos plerūque ἐκεχειρίαν (*pactitiam quandam ab armis ceſſationem*) & breues inducias ſignificent,dierum puta vel menſium σπονδαὶ (*fœdera*) verò in longum tempus complurium annorum pactæ intelligantur induciæ. Atque,vt apud Diodorum,quæ ἀνοχαὶ ſunt, eaſdem σπονδὰς nominari diximus: ſic apud Thucydidē 2 quoque fœdus illud quod Lecytho à Braſida expugnato in annum inter Lacedæmonios & Athenienſes initum fuit, ἐκεχειρία, σπονδαὶ, συνθήκη (*Armorum intermiſsio fœdera & conuentio*) vocatur. Porrò conuentionis illius publicæ hanc vim & poteſtatem ait eſſe Ariſtoteles,vt ea potiſſimum & contractus & vſum hominum inter ſe ac neceſſitudinem ſuſtineat: Illa ſi irrita fuerit, hæc ſtatim tollatur & corruat. ἔτι δὲ πράττεται, inquit 3, τὰ πολλὰ τῶν συναλλαγμάτων, καὶ τὰ ἑκούσια κατὰ τὰς συνθήκας, ὥστε ἀκύρων γιγνομένων ἀνῄρηται ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων. (*Præterea aguntur multa ex contractibus & quæ ſponte fiunt ex pactis ſunt. Quare ſi inita fiant tollitur inter ſe vſus hominum:*) quod Iſocrates 4 etiam tradit: liberum præterea tutúmque ob huiuſmodi conuentionem nationibus exteris inter ſe commeatum, & eorum quibus ipſæ viciſſim egeant comportationem atque exportationē eſſe, priuatas etiam inimicitias & publica bella diſſolui. Hoc denique velut communi gentium iure omnes homines conſtanter vti: τοσαύτην δ' ἔχουσι δύναμιν, inquit, ὥστε τὰ πλεῖστα τοῦ βίου καὶ τοῖς ἄλλοις καὶ τοῖς βαρβάροις διὰ συνθηκῶν εἶναι. ταύταις γὰρ πιστεύοντες, ὡς ἀλλήλους ἀφικνούμεθα, καὶ ποριζόμεθα ὧν ἕκαστοι τυγχάνομεν δεόμενοι, μετὰ τούτων καὶ τὰ συμβόλαια τὰ πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς ποιούμεθα καὶ τὰς ἰδίας ἔχθρας καὶ τοὺς κοινοὺς πολέμους διαλυόμεθα. τούτῳ μόνῳ κοινῷ πάντες ἄνθρωποι διατελοῦμεν χρώμενοι: (*In iis tanta vis eſt,vt pleræque res tum Græcorum tum Barbarorum ex pactis & conuentis tranſigantur. His enim freti conuenimus, & commercia inter nos rerum neceſſariarum agitamus. Per hæc inter nos contrahimus: per hæc tum priuatas inimicitias tum publica bella deponimus. Hoc vno communi quodam bono homines omnes vti non deſiſtimus.*) vbi licet omnes excuſi codices ita ſcriptum habeant, τούτῳ μόνῳ κοινῷ, itáque interpretes legiſſe conſtet, neque ipſe diffitear interdum probatos auctores τὸ πάντων κοινὸν, (*commune omnium*) ita vt non adiiciant ſed intelligant τὸ νόμιμον, (*Inſtitutum*) ſcribere: ipſúmque adeò Thucydidem, cuius de Braſida Lacedæmoniorum duce (qui non impetrata facultate armatus cum exercitu per Theſſaliam iter facere deſtinabat) déque Theſſalis hæc verba ſunt 5: ἐκώλυον καὶ ἀδικεῖν ἔφασαν ἄνευ τοῦ πάντων κοινοῦ πορευόμενον. (*Prohibuerunt & iniuſtè eum facere dixerunt quòd ſine publica authoritate tranſiret*) attamen il-

*1 lib. 12. biblioth.*

*2 lib. 4. hiſt. & initio lib. 5.*

*3 lib. 1 Rhetor. ſub finē.*

*4 ἐν τῷ παραγραφικῷ πρὸς Καλλίμαχον.*

*5 ex li. 4. hiſtor.*

lud *μόνῳ vno*, ferre non poſſumus: cùm & quod ex Thucydide modò retulimus, & alia pleraque ſint è iure gentium. Ergo apud Iſocratem literularum duarum vna in alterius ſedem tranſlata, quę leuis & facilis immutatio eſt, legendum & reſtituēdum affirmamus, *τούτῳ νόμῳ κοινῷ, Hac communi lege*, vt quemadmodum expoſuimus, hanc publicam conuentionem quæ pacis ineundæ gratia inter duces belli fit, communi omnium hominum iure (ſic enim à noſtris 1 quoque ius gentium vocatur, quod commune ius gentium Æmilius Probus [2] atque Lactantius [3], communem omnium legē Quintilianus [4], commune ius generis humani Seneca [5], commune ius humanitatis Apuleius [6] nominat) fulciri & ſuſtentari dicat Iſocrates: qui non ita multo pòſt, idem verbum vſurpat: *ταύτην (δίκην* inquit) *ἀδίκως γνόντες, οὐ τοὺς τῆς πόλεως μόνον νόμους, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἁπάντων κοινοὺς παραβήσεσθε. (Si in hoc iudicio ab æquitate aberrabitis, non vrbis noſtræ tantùm, ſed & communes omnium leges violabitis.)* Demoſthenes quoque ita loquitur [7] quodam loco: *εἶτ' οὐ δεινὸν ὦ γῆ καὶ θεοί, καὶ φανερῶς παράνομον, οὐ μόνον παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον, ἀλλὰ καὶ παρὰ τὸν κοινὸν ἁπάντων ἀνθρώπων νόμον, τὸν ἄγοντα ἢ φέροντα βίᾳ τἀμὰ ἐν πολεμίου μοίρᾳ, μὴ ἐξεῖναί μοι ἀμύνασθαι. (Tum annon id, ô terra, vóſque dij, indignum prorſus, & præter omne non ſolùm ſcriptum, ſed & commune omnium ius fáſque eſt, non licere mihi mea hoſtiliter diripientem & populantem propulſare?)* & poſteà eodem loquendi genere vtitur, *παρὰ τὸν ἤδη πεφευγότα· φησὶ γὰρ οὕτω κατὰ τὸν κοινὸν ἁπάντων ἀνθρώπων νόμον, ὃς κεῖται τὸν φεύγοντα δέχεσθαι, τοὺς ὑποδεξαμένους ἐκσπόνδους εἶναι γράφει. (Hic verò eum qui iam profugerat. Sic enim ex communi omniū iure dico, quod vetat transfugas recipi, & qui recipiunt fœdifragos eſſe ſtatuit.)* quorum Demoſthenis & Iſocratis locorum ſimilitudine atque comparatione facta, ſi quis propius animum intenderit, veritatem germanæ quam reſtituimus lectionis illico deprehenſurus eſt.

1 *l. omnes populi. in princip. vincla l. 1. in fi. D. de iuſti. & iure.*
2 *in vita Themiſtoclis*
3 *in libro acephalo. c. Supereſt.*
4 *lib. 7. Inſtit. orat. c. 1.*
5 *declam. 1. lib. 2. controuerſ. & epiſt. 48. lib. 6.*
6 *lib. 3. de aſino aureo, & in apolog. 2.*
7 *in orat. κατὰ ἀριστοκράτους*

---

*De vſufructu municipibus legato, & vita hominum longiſsima. Ciuitates plerunque immortales nonnunquam mori dicuntur ab auctoribus. Explicatur Modeſtini locus de Carthaginis excidio. De Sidonis, Corinthi & Byzantij euerſione, Corinthiorúmque & Byzantinorum capitis deminutione. De pœnis ciuitatum.*

## CAP. VIII.

QVamuis populus idem hoc tempore putetur, qui abhinc centum annis fuerit, propterea quòd cuius rei ſpecies eadem conſiſtit, eadem quoque res eſſe exiſtimetur, vt Plutarchus [8] & Alphenus [9] ſcribunt: attamen receptum eſt, vt & vſusfru-

8 *in lib. περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων.*
9 *l. proponebatur. D. de iudiciis.*



fructus legari municipibus, & iis actio vſusfructus nomine dari poſſit: nec mouet quòd proprietas inutilis fore videatur ſemper abſcedente vſufructu, qui neque morte neque facile capitis diminutione (vt alioqui ſolet) periturus ſit, ob id quòd in perſona municipum conſtitutus eſt. Etenim tuendos in vſufructu municipes centum videlicet annis placuit, quia is finis vitæ longiſſimus, & longæui hominis eſt, vt ex Caio Iuriſconſulto duobus [1] Pandectarum locis relatum legimus: non quaſi nemo ſit qui hunc vitæ terminum egrediatur: nam Iuſtinianus quidem Zoſimi cuiuſdam annum propè centeſimum & viceſimum agentis alicubi meminit [2], & ſi Senecæ [3] credimus, vbi de centeſimo anno loquitur, hæc ætas ne homini quidem extrema eſt: ſed propterea quòd (cùm ad ea potiùs debeat aptari ius, quæ *ἐπὶ τὸ πλεῖστον frequenter* & facile, quàm quæ *ἐκ παραλόγου inopinatò, inſolenter* & perrarò eueniunt [4]) vt plurimùm accidit, his quaſi cancellis vt plerorumque hominū qui conſenuerint vita concludatur: quamobrem Varro: Seculum, inquit [5], ſpatiū annorum centum vocarunt, dictum à ſene, quòd longiſſimum ſpatium ſeneſcendorum hominum id putarunt: & apud Lucianum [6], Licinus ad Hermotimum: *οὐκοῦν ὦ ἑταῖρε πολὺ δικαιότερον μέμφοιο ἂν τῷ πατρί σου Μενεκράτει καὶ τῇ μητρί, ἥ τίς ποτ' ἐκαλεῖτο· οὐ γὰρ οἶδα· ἢ καὶ πολὺ πρότερον τῇ φύσει ἡμῶν, ὅτι σε μὴ κατὰ τὸν Τιθωνὸν πολυετῆ καὶ μακρόβιον ἔθεσαν, ἀλλὰ περιέγραψαν μὴ πλείω βιῶναι τὸ μήκιστον ἐτῶν ἑκατὸν ἄνθρωπον ὄντα. (Atqui ô bone, multò iuſtius de parente tuo Menecrate & matre, quodcunque tandem fuerit illius nomen, imo neſcio & an magis de Natura ipſa conquereris, quod te longæuum vt Tithonem non fecerint: ſed tibi vtpote homini vitam centum ad ſummum annorum ſpatio definierint.)* &c. Doctiſſimi autem Mathematicorum centum & viginti annos homini ad viuendum datos iudicant: neque amplius cuiquam iactitant eſſe conceſſum: etiam illud addentes, Moſem ſolum, Dei, vt Iudæorum libri loquuntur, familiarem, CXXV. annos vixiſſe: qui cùm quereretur quòd iuuenis interiret, reſponſum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus eſſe victurum: quæ omnia Trebellius Pollio [7] literis conſignauit. Qui verò ex veteribus adeò longæui fuerint, vt eam ætatem adipiſcerentur ex Luciano diſcere eſt, qui hac de re libellum integrum edidit, *περὶ μακροβίων: de longæuis* & ex Phlegonte itidem Tralliano Adriani Cæſaris liberto, cuius liber *περὶ θαυμασίων καὶ μακροβίων, De mirabilibus & longæuis.* Xylandri beneficio nuper eſt in lucem editus. Planè in legis Falcidiæ ratione ineunda vſusfructus ſiue puero infanti, ſiue Reipub. relinquatur, non pluris æſtimari ſolet, quàm quanti eſt in reditu annorū triginta, vt contra Vlpianum Macer Iuriſcōſultus tradit [8]. At cùm de amittendo vſufructu quæritur in Repub. diuerſum ius atque in priuato tenet. Nam etſi quem priuatus quiſque habet vſumfructum, eum nullo temporis tractu, ſed vel morte, vel capitis diminutione, quòd perſonæ fructuarij ius illud cohæreat, perimi conſtet: attamen illo centum annorum ſpatio, quaſi ſenio ciuitatis, vſumfructum, qui ad municipes pertinebat, extingui

1 *l. an vſusfructus D. de vſufr. l. ſi vſusfructus. 8. D. de vſufr. legato. facit l. vlt. §. 1. C. de ſacroſanct. eccleſ. Nouella Iuſtiniani noua, vt eccleſia Roma. cētū an. gaud. præſcript.*
2 *Nouella. 5. de monaſte. & monach.*
3 *epiſtol. 92. vbi de Lugduno.*
4 *l. 3. 4. & 5. D. de legib.*
5 *lib. 5. de lingua Latina.*
6 *in Hermotimo ἢ περὶ αἱρέσεων.*
7 *in Claudio vide Arnobium lib. 2. aduerſ. gent.*
8 *l. computationi. 68. D. ad leg. Falc.*

auctores iuris voluerunt: quia non ita facilè ciuitas, populus, vniuerſitas interitum, aut ſtatus permutationem patiatur, vt in perſona ſingulorum & mors & capitis deminutio euenire ſolet: atque hoc, vt puto, Alphenus voluit. Nam immortales quidem eſſe ciuitates & reipſa addiſcimus, & veterum teſtimoniis comprobari poteſt. Iſocrates 1: ἀνὴρ μὲν γὰρ ἀσεβὴς, inquit, καὶ πονηρὸς τυχὸν ἂν φθάσειε τελευτήσας πρὶν δοῦναι δίκην τῶν ἡμαρτημένων. αἱ δὲ πόλεις διὰ τὴν ἀθανασίαν ὑπομένουσι καὶ τὰς παρὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ τὰς παρὰ τῶν θεῶν τιμωρείας. (*Homo enim ſceleratus & impius, forte ante diem obierit, quàm pœnas det malè factorum. Vrbes autem propter immortalitatem ſuam & à Diis & ab hominibus animaduerſiones ferunt.*) Iulianus Imperator 2: τὰς πόλεις δὲ ἀθανάτους οὔσας εἰ μή τις δικαίως κείνας τῆς πρὸς ἀλλήλας φιλονεικίας ἀπαλλάξῃ, ἀθάνατον ἔχειν τὴν δύσνοιαν πάντως ἀναγκαῖον. (*Cum autem vrbes ſint immortales, niſi quis recto iudicio mutuas æmulationes inter eas ſummouerit, immortales maleuolentiæ neceſſariò intercedent.*) Verumtamen, cùm omnia mortalium opera mortalitate damnata ſint, & inter peritura viuamus, auctore Seneca 3: vt homines mortem vel αὐτόματον, id eſt *naturalem, fatalem ſuam, ſimplicem & ſpontaneam* (his enim nominibus deſignatur, vt alibi dicemus) vel ἑκούσιον, id eſt *voluntariam*, vel βίαιον, id eſt *violentam*, quæ vi aut neceſſitate aliqua extrinſecus admota venit, obeunt: ita ipſæ quoque ciuitates licet perrarò, nonnunquam tamen vel naturaliter intercidunt, vt quæ aliquo terræ motu ac tremore deſidẽt, quæque diluuio ſupprimuntur, interdum etiam ex belli occaſione hoſtilibus flammis abſumuntur, vt Ilium: aut muris, ædificiiſque omnibus dirutis ac euerſis exfundantur (vt Cœlij 4 verbum vſurpem) ac deuaſtantur, & fiunt ἀνάστατοι, adeò vt aratrum, quod Carthago paſſa eſt, in eas inducatur. quibus modis quin ciuitates mortuæ quodammodo videantur, quæ penitus extinctæ ac peremptæ ſunt, nemo negauerit. Apud Lucianum 5 quidem Mercurius: ἀποθνήσκουσι γὰρ καὶ πόλεις, inquit, ὥσπερ ἄνθρωποι, (*vrbes vt homines moriuntur.*) Euerſionem vrbis comparat hominis morti clariſſimus rhetor 6 Lycurgus, moríque vrbem cùm deuaſtatur, ſcribit ſic fere: ἔτι δὲ ἐκ μὲν τοῦ κακῶς πράττειν τὰς πόλεις μεταβολῆς τυχεῖν ἐπὶ τὸ βέλτιον εἰκός ἐστιν, ἐκ δὲ τοῦ παντάπασι γενέσθαι ἀνάστατον καὶ τῶν κοινῶν ἐλπίδων στερηθῆναι· ὥσπερ γὰρ ἀνθρώπῳ ζῶντι μὲν ἐλπὶς ἐκ τοῦ κακῶς πρᾶξαι μεταπεσεῖν, τελευτήσαντι δὲ (ſic enim lego non καὶ) συναναιρεῖται πάντα δι᾽ ὧν ἄν τις εὐδαιμονήσειεν, οὕτω καὶ περὶ τὰς πόλεις συμβαίνει πέρας ἔχειν τὴν ἀτυχίαν ὅταν ἀνάστατοι γένωνται· εἰ γὰρ δεῖ τὴν ἀλήθειαν εἰπεῖν, πόλεως ἐστὶ θάνατος ἀνάστατον γενέσθαι. (*fieri quidem poteſt vt vrbes malè habentes, in melius mutentur, at cùm funditus euertuntur, ſpes omnes publicæ intereunt. Nam ſicut homini viuenti ſpes eſt ex ægritudine conualeſcendi, defuncto verò ſimul omnia quibus beatus quis eſſe poteſt tolluntur, ſic vrbes contingit fortunam ſupremam pati, cùm deſolatæ redduntur. Reuera enim vrbis mors eſt reddi deſolatã.*) Modeſtinus etiam noſter ita fieri ait, vt vſusfructus ciuitati relictus intercidat. Eius hæc verba ſunt 7: Si vſusfructus ciuitati legetur, & aratrum in eam inducatur, ciuitas eſſe

1 περὶ εἰρήνης.

2 in epiſt. pro Argiuis ad finem.

3 epiſt. 92. li. 14.

4 vide Nonium Marcellum.

5 in dialogo qui Charon ſiue ἐπισκοποῦντες inſcribitur.

6 in orat. κατὰ Λεωκράτους.

7 l. ſi vſusfr. 21. D. quib. mod. vſusfr. amitt.



eſſe deſinit, vt paſſa eſt Carthago, ideóque quaſi morte, deſinit habere vſumfructum.

Quod de inducto aratro Modeſtinus ait, eò pertinet, vt ſolo æquatam ac deletam ciuitatem ſignificet, quaſi nunc ſolum, quod murus antea, iam ſegetem ibi eſſe, vbi quõdã vrbs fuerit (quẽadmodum de Troia quidã cecinit 1) innuat: vel quoniam, vt in condenda vrbe aratrum adhiberi ſolet, à cuius curuatura, quam vrbum vocãt, vrbs dicta eſt auctore Pomponio 2 noſtro, & Plutarcho 3, ita etiam in exſcindẽda & funditùs euertẽda vrbe adhiberetur, id quod Cœlio Rhodigino plurimæ lectionis homini, & antiquitatis bene perito placet 4. Merito. Nam Horatius 5.

*--& altis vrbibus vltimæ*
*Stetêre cauſæ cur perirent*
*Funditùs, imprimerétque muris*
*Hoſtile aratrum exercitus inſolens.*

Seneca 6, vbi de hominum ſæuitia loquitur, Aratrum, inquit, vetuſtis vrbibus inducere potentiam putat, & vnum occidi aut alterum parum imperatorium credit, niſi eodem tempore grex miſerorum ſubiectus ſtetit, crudelitatem ſuam in ordinem coactam putat. Templum quidem Hieroſolymitanum à Veſpaſianis exuſtum, & ab Tito Anio Rufo in gentis oppreſſę ignominiam aratum fuiſſe, Ioſephus & Hieronymus memorant. Igitur cùm & aratro vrbs conderetur, & aratro euerteretur, iure non potuit in veterem coloniam, dum eſſet incolumis, deduci noua: qua de re iuuat clariſſimũ Ciceronis teſtimonium proponere: Deduxiſti coloniam Caſilinũ, ait in Antonium 7, quò Cæſar antè deduxerat. Conſuluiſti me per literas de Capua tu quidem, ſed idem de Caſilino reſpõdiſſem, poſſésne vbi colonia eſſet eò coloniam nouam iure deducere. Negaui in eam coloniam, quæ eſſet auſpicatò deducta, dum eſſet incolumis coloniam nouam iure deduci, colonos nouos adſcribi poſſe reſcripſi. Tu autem inſolentia elatus, omni auſpiciorum iure turbato, Caſilinum coloniam deduxiſti, quò erat paucis annis antè deducta, vt vexillum tolleres, vt aratrum circumduceres: cuius quidem vomere portam Capuæ penè perſtrinxiſti, vt florentis coloniæ territoriũ minueretur. Cæterùm quod ait Iuriſconſultus, Carthaginem aratrum paſſam fuiſſe, id alibi legere non memini. De Carthagine quidem ab Æmiliano Scipione Africano expugnata & deleta, pleni ſunt hiſtoricorum 8 libri. Velleius Paterculus: Eam vrbem, inquit 9, magis inuidia imperij, quàm vllius eius tẽporis noxiæ inuiſam Romano nomini funditùs ſuſtulit, fecítque ſuæ virtutis monumentũ, quòd fuerat aui eius clementiæ: Carthago diruta eſt, cùm ſtetiſſet annis DCLXVII: abhinc annos CCLXXVII. Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Coſs. Hactenus Paterculus. Horatius autem de Carthagine ſic loquitur duobus locis, vt eam incenſam & flammis perditam fuiſſe innuat:

*Non incendia* (inquit 10) *Carthaginis impiæ*
*Eius qui domita nomen ab Africa*

1 Ouid. in epiſt. Penelopes ad Vlyſſem.

2 l. pupillus. 239. §. vrbs ab vrbo. D. de verb. ſignif.

3 in Romulo, & ἐν τοῖς ῥωμαϊκοῖς. quæſt. 25.

4 cap. 5. lib. 26. lect. ant.

5 lib. 1. carm. od. 16.

6 cap. vlt. li. 1. de clementia.

7 Philippica 2.

8 Vide epitomen Liuij lib. vlt. decad. 5. & li. 1. decad. 6. & Eutropiũ lib. 4. Plin. lib. 15. natural. hiſt. cap. 18. Plutarch in M. Catone. Themiſtium in orat. 10. de pace ad Valentẽ.

9 in priore volumine.

10 li. 4. Carminũ Ode 8.

*Lucratus rediit, clariùs indicant*
*lib. Epodô.* *Laudes quàm Calabræ Pierides.* & alibi[1].
*Ode 7.* *Non vt ſuperbas inuidæ Carthaginis*
*Romanus arces vreret.*

*2 lib.2.cap. 15.de bello Punico tertio.* Lucius etiam Florus[2] in eandem ſententiam de Carthagine: Quanta vrbs deleta ſit (inquit) vt de cæteris taceam, vel igniũ mora probari poteſt: quippe per continuos decem & ſeptem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus ac templis ſuis ſponte hoſtes immiſerant: vt quatenus vrbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet. Et ſanè verum eſt, incenſo nauali & item Aeſculapij templo, Carthaginem à Scipione iuniore captam fuiſſe, qui poſtea cùm ad Senatum ſcripſiſſet, quid de capta Carthagine fieri vellent, iuberent: ac poſt multas inter Catonem & Naſicam in curia controuerſias factum Senatuſconſultum eſſet, déque omnium ſententia Carthaginem euerti placuiſſet, Catone iam defuncto, funditùs deleta eſt, vt Zonaras[3] tradit: adiicit inſuper idem auctor: decreto *3 annal.tomo 2.* Senatus cautum fuiſſe, vt id ſolum veluti ſacrum ne cuipiam inhabitare ius fáſque eſſet: ἐκ τούτου, inquit, οὖν τῶν λόγων πάντες κατασκάψαι τὴν Καρχηδόνα ὁμογνωμονήσαντες, μήποτε εἰρηνήσειν ἐκείνους πιστεύσαντες ἀκριβῶς· καὶ πᾶσα ἄρδην ἀνάστατος γέγονε, καὶ ἐπάρατον ἐψηφίσθη τὸ ἐπ' αὐτὴν κατοικῆσαί τινα. (*Itaque communi omnium conſenſu decretum, delendam Carthaginem: nec enim eos vnquam pacem firmiter culturos ſperabant. Solo ergo eſt æquata, & execrandum iudicatum fuit quenquam inibi habitare.*) Atque hæc quidem de Carthagine.

Aliquot ante ipſam exciſam ſæculis cum Sidonij vrbis ſuæ muros proditione Mentoris regis ab hoſtibus occupatos deprehendiſſent, ſe ipſi cum vxoribus liberíſque ac familiaribus ad quadra-
*4 lib.16.biblioth.* ginta milia corporum ædibus quiſque ſuis, vt Diodorus Siculus[4] narrat, incluſêre: ignem admouêre, cuius vi conſumpta deletáque vrbs fuit, & miſerè omnes periêre: Ab Alexandro dein Macedone Thebani, quòd Perſarum Regis partes erant ſecuti, de communis Græciæ concilij ſententia, euerſa ciuitate capti, ducti, & in ſeruitu-
*5 lib.17.biblioth.* tem diſtracti ſunt: vt idem Diodorus[5] ſcribit.

At eodem anno quo Carthago concidit, L.Mummius Corinthũ poſt annos CMLII. quàm ab Alete Hippotis filio erat condita, funditus eruit: quòd legati Romanorum appellati ſuperbius & violati
*6 pro lege Manilia.* eſſent, vt ex Cicerone[6], Paterculo[7], & Floro[8] conſtat: hic quidem ab incolis tandem deſertam ciuitatem, direptam primùm, deinde
*7 volum. priore.* tuba præcinente deletam fuiſſe memorat, cùm omnis Achaia in deditionem accepta eſſet. Zonaras[9] hoc amplius ex aliquo auctore
*8 lib.2.cap. 16.vbi de bello Achaico. meminit Eutropius lib.4.* veteri, quarundam Achaiæ ciuitatum diruta mœnia, liberas tamen & ſui iuris relictas: Corinthios verò venditos, agrum ac territoriũ publicatum, muros aliáque omnia eorum ædificia diruta deletáque, ipſorum denique ſeruitutem reliquorum Achiuorum libertatem
*9 tomo 2. Annal.* publicè pronuntiatam ac proclamatam: itáque Corinthum prorſus euerſam fuiſſe, narrat his fere verbis: τείχη τε τινῶν περιεῖλε καὶ ἐλευθέρους πάντας καὶ αὐτονόμους πλὴν τῶν Κορινθίων ἀφῆκε, τῆς δὲ Κορίνθου





Κορίνθου τούς τε οἰκήτορας ἀπέδοτο, καὶ τὴν χώραν ἐδημοσίωσε, τά τε τείχη καὶ τὰ ἄλλα οἰκοδομήματα πάντα κατέσκαψεν, (*Mœnia quorundam circumquaque diruit, & liberos omnes atque ſui iuris exceptis Corinthiis reliquit, Corinthi incolas vendidit, & agrum publicauit, mœnia verò & cætera ædificia diruit. &c.*) & poſteà ἐκήρυξε τήν τε τῶν ἄλλων ἐλευθερίαν, καὶ τὴν τῶν Κορινθίων δούλωσιν, (*Proclamari cæterorum libertatem at Corinthiorum ſeruitutem iuſſit, &c.*) καὶ ἡ μὲν Κόρινθος οὕτως ἀνάστατος γέγονε. (*Et in hunc modum reddita fuit Corinthus deſolata.*) qua de re tota paulo aliter apud Pauſaniam ſcriptum legimus, vt tamen ad euerſionem Corinthi quod attinet, idem quod alii tradat. Igitur & Corinthus vt Carthago, quaſi morte periit: quandoquidem muri ædificiáque ipſius diruta, & ager publicatus fuit: ſed & ipſi Corinthii capitis diminutionem paſſi ſunt: ſtatum enim permutarunt, quòd libertate adempta ſerui pronunciati atque diſtracti fuerint: ſicut & Byzantini ſub Seuero Imperatore, quorum is bona publicauit, vrbémque captam euerſis muris libertate ac iure ciuitatis adempto, tributariam eſſe pronunciauit: eámque & vicinum agrum Perinthiis donauit, atque attribuit. Sic enim Dio[1] de Byzantio: ἔπαυσε δὲ *1 vide Xiphilinũ in Seuero, & Zonaram lib.2. annal. in Seueri imperio & Nicephorum Gregôram hiſt. Romanæ lib. 6.* τὴν πόλιν τῆς τε ἐλευθερίας καὶ τοῦ ἀξιώματος τοῦ πολιτικοῦ, καὶ δασμοφόρον ἀποφήνας, τάς τε οὐσίας τῶν πολιτῶν δημεύσας, αὐτήν τε καὶ τὴν χώραν αὐτῆς Περινθίοις ἐχαρίσατο, καὶ αὐτῇ ἐκεῖνοι οἷα κώμῃ χρώμενοι οὐδὲν ὅτι οὐχ ὕβριζον. ταῦτα μὲν οὖν δικαίως πως ποιῆσαι ἔδοξε. τὰ δὲ δὴ τείχη τῆς πόλεως διαλύσας, ἐκείνους μὲν οὐδὲν πλέον τῆς στερήσεως τῆς δόξης, ἣν ἐκ τῆς ἐπιδείξεως αὐτῶν ἐκαρποῦντο, ἐλύπησε. (*Ciuitate abſtulit libertatem eámque priuauit ſuis dignitatibus, fecítque tributariam bonis ciuium publicatis. Vrbem, omnémque regionem quæ erat ſub eius vrbis poteſtate,* *2 lib.3. hiſt. qui eſt de imperio Seueri.* *Perinthiis conceſſit. Hi Byzantio ſunt vſi vt vico, & à nullo iniuriæ genere temperauerunt. Quæ quanquam iure facere Seuerus quodammodo videretur, tamen Byzantiis magno dolori fuit, quòd mœnia vrbis euertit, propterea quòd gloriâ priuaretur ea quam ex magnifica eorum oſtentatione conſequebantur.*) Herodianus[2] quoque in eandem ſententiam hac de re ſic ſcribit, vbi de Byzantio: ὅπερ ἑάλω ὕστερον λιμῷ πᾶσά τε ἡ πόλις κατεσκάφη, καὶ θεάτρων τε καὶ λουτρῶν παντός τε κόσμου καὶ τιμῆς ἀφαιρεθὲν τὸ Βυζάντιον κώμη δουλεύειν Περινθίοις δῶρον ἐδόθη, ὥσπερ καὶ Ἀντιόχεια Λαοδικεῦσιν. (*Quæ deinde vrbs fame capta, totáque planè diruta, ſimul theatro, thermiſque, omníque cultu & honore detracto, & in vici formam redacta, Perinthiiſque adiudicata eſt, quemadmodum Antiochia quoque Laodicenis.*) Ex quibus Dionis & Herodiani verbis planum perſpicuúmque fit, & Byzantinos capite diminutos, & Byzantium ipſam affectam infamia, ob murorum eius euerſionem: quæ ciuitatum quædam quaſi pœna eſt. Suetonius in Galba[3]: Præceſſerat de eo fama ſæuitiæ ſimul atque auaritiæ, *3 cap.12.* quòd ciuitates Hiſpaniarum Galliarúmque, quæ cunctantiùs ſibi acceſſerant, grauioribus tributis, quaſdam etiam murorum diſiectione puniſſet. Hoc pœnæ genere olim Athenienſes, vt apud Thucydidẽ[4] legimus, in Thaſios, Æginetas, Samióſque deuictos & ex- *4 lib.1.hiſto.*

pugnatos animaduertêre, itémque in Mitylenæos: vt in Theſpienſes Thebani, in Athenienſes Lacedæmonii, quemadmodum idem Thucydides[1] atque Diodorus[2] tradunt: quod exemplum Romani quoque poſtea ſecuti ſunt: Ac Titus quidem Didius Romanorum dux Termiſi magni Vaccæorũ oppidi muros æquauit ſolo, ciuiúmque cæſis ad XX. milia, quòd peruicaces ac rebelles aduerſus Romanam Remp. animos geſſiſſent, reliquos eo loci ſine muris habitare iuſſit: qua de re Appianus[3] ſic fere: *οὐακκαίων μὲν*, inquit, *ἔκτεινον εἰς δισμυρίους, Τερμισὸν δὲ μεγάλην πόλιν ἀεὶ δυσπειθῆ ῥωμαίοις γενομένην ἐξ ἐρυμνοῦ κατήγαγεν ἐς τὸ πεδίον, καὶ ἐκέλευσεν οἰκεῖν ἀτειχίστους.* (*Vaccæorum ad viginti millia trucidarunt, Termiſi autem magni eorum oppidi, eo quòd Romanis infidum ſemper fuiſſet atque rebelle, munitiones complanauit & ſolo æquauit, & ſine muris ibi reliquos habitare iuſſit.*) Mitiorem aliquanto pœnam annis ſuperioribus proximis quædam in hoc orbe Gallico ciuitates, haud ita multo poſt incendia prioris belli ciuilis oppreſſa veriùs quàm extincta, ſubiêre: quòd earũ propugnacula tantùm ac turres, pinnæque ſiue coronæ murorum diſiectæ ac dirutæ fuerunt. Sed ad veterem hiſtoriam redeo.

1 lib. 3. & li. 4. ſub finem.
2 Diodorus Siculus lib. 12. & 14.
3 in Iberica.

Brutiorum oppida, in quibus Petiliam, Coſentiam, & Pandoſiam, quòd partibus Annibalis fauiſſent, hac ſi non pœna, ignominia quidem certè Senatus Romanus olim affecit, vt iis agri ac territorii magna pars, & arma quoque adimerentur, ipſi Brutii tanquã non vltra liberi militia in poſterum arcerentur, ſed Conſulibus & Prætoribus in prouincias proficiſcentibus, comites atque aſſeclæ quaſique famuli quidam ire, atque officii publici cauſa ſequi cogerentur: id quod cùm Appianus[4] commentariis ſuis dignum putarit, his quoque inſerendum eſſe credidi: *Βρυτίων δὲ μόνων*, inquit, *οἱ μέχρι τέλους αὐτῷ προθυμότατοι ἐγεγένηντο, χώραν τε πολλὴν ἀφείλετο, καὶ ὅπλα εἴ τινα ἦν ἔτι χωρὶς ὧν Αννίβας ἀφῄρητο. ἔς τε τὸ μέλλον ἀπεῖπεν αὐτοῖς μὴ στρατεύεσθαι, ὡς οὐδ' ἐλευθέροις οὖσιν. ὑπηρέτας δὲ τοῖς τε ὑπάτοις καὶ στρατηγοῖς τοῖς ἐς τὰς τῶν ἐθνῶν ἡγεμονίας, ἀποιοῦσιν ἐς τὰς δημοσίας ὑπηρεσίας οἷα θεράποντας ἀκολουθεῖν.* (*Brutiis verò ſolis, qui ad extremum vſque cõſtanter Annibalis partibus fauerãt, agrum permultum abſtulit, & arma ſi quæ ſupererant ab iis quæ Annibal abſtulerat. Militia eis quoque, tanquam non vltra liberis interdixit. Iuſsitque Conſules atque Prætores in prouincias proficiſcentes quaſi famuli quidam, publici officij cauſa velut miniſtri proſequerentur.*) Ex quibus intelligitur, haud ineptum eſſe quod in veteribus gloſſis legimus Bruttiani, *οἱ δουλικὰς τάξεις χρεωστοῦντες.* Antiochiæ iura ciuitatis adempta, eámque Laodiceæ à Theodoſio ſuppoſitam atque attributam fuiſſe, ob id quòd ſeditione propter indictionem nouorum tributorum concitata, ſtatuas vxoris eius in foro poſitas populus Antiochenus deieciſſet, præter[5] Theodoritum Zonaras[6] memorat, cuius hæc verba ſunt: *τοῖς ἀντιοχεῦσι δὲ φόρων ἐπιταχθέντων νέων, κινηθεὶς ὁ δῆμος εἰς ἀγανάκτησιν διὰ τὸ καινὸν τῆς εἰσπράξεως, εἰκόνας τῆς προτέρας γαμετῆς τοῦ βασιλέως Θεοδοσίου ἐν τῇ ἀγορᾷ τῆς πόλεως αὐτῶν ἱσταμένας κατέσπασε, καὶ ἔσυρεν ἐν ταῖς δημοσίαις ὁδοῖς, διόπερ ὀργισθεὶς ἐκεῖνος, τά τε τῆς πόλεως ἀφείλε-*

4 in Annibalica ad fi.
5 lib. 5. eccleſiaſt. hiſtor. c. 19. & 20.
6 tomo 3. in Valentiniano & Theodoſio.



*-το δίκαια, καὶ τῇ ἐκ γειτόνων Λαοδικείᾳ ταύτην ὑπέταξε, καὶ τοὺς αὐτῆς πολίτας ἠπείλει διαθήσειν κακῶς.* (*Cùm Antiochenis, noua tributa indicta eſſent, cõcitatus ad ſeditionem populus, propter exactionis nouitatem, ſtatuas prioris, Theodoſii Imperatoris vxoris, deiecit, & in vicos publicos detraxit, quam ob rem iratus ille, iura vrbis abſtulit, & Laodiceæ quæ vicina erat eam ſubiecit, comminatus ſe ciues malè tractaturum.*) Ex quibus (opinor) exponi debet illud Herodiani quod paulo antè retulimus, Byzantium in ſeruitutem Perinthiis dono datam, ſicut Antiochiam Laodicenis. Sed & Cyzicenos, qui ſeditione facta Romanos ciues verberatos interfecerant, itémque Tyrios & Sidonios, qui ſeditionem commouerant, in ſeruitutem ab Auguſto redactos, Samiis libertatem datam, Cyzicenis reſtitutam, iterúmque ereptam Dio[1] auctor eſt. Atque ita quidem à Romanis in totas ciuitates quę ſecus quidpiam admiſerant, animaduerſum legimus exemplo veterum Græcorum: apud quos Thebani quondam capite mulctatis Platæenſibus, eorúmque vxoribus in ſeruitutem ex Lacedęmoniorum decreto redactis, Platæam totam ad ipſa vſque fundamenta diruêre, agro dein publicato & in decennium conducto, vt Thucydides[2] tradit. Præterea Himeram vrbem Annibal *εἰς ἔδαφος κατέσκαψεν*, hoc eſt (*funditùs euertit,*) vt eſt apud[3] Diodorum Siculum.

1 lib. 54. & 57. hiſtor.
2 lib. 3. hiſto.
3 lib. 13.

Cæterùm vt Byzantium, ſic aliæ quoque ciuitates, ac multo quidem magis illæ, quarum ciues non ſunt capite diminuti, cùm non ædificia, ſed mœnia tantùm euerſa fuerint, non poſſunt quaſi morte videri deletæ, quarum & genius, & corpus quaſi quoddam permanſerit, diminutione quidem aliqua prioris formæ, non tamen interuerſione ſubſecuta. Corinthi autem & Carthaginis, aliarúmque proſtratarum & æquatarum ſolo ciuitatum veluti mortuarũ, nullus iam genius, nullum etiam corpus eſt: ſed quidquid ſupereſt, merum cadauer intelligitur: & verò pereleganter (niſi fallor) ita dicitur à Seruio Sulpitio[4] in conſolatoria quadam ad Ciceronem epiſtola, cuius verbis ea quæ ſuperiùs expoſuimus mirificè illuſtrantur. Quę res mihi non mediocrem, inquit, conſolationem attulit, volo tibi commemorare: ſi fortè eadem res tibi minuere dolorem poſſit. Ex Aſia rediens cùm ab Aegina Megaram verſus nauigarem, cœpi regiones circumcirca proſpicere, poſt me erat Aegina, antè Megara, dextra Piræeus, ſiniſtra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos iacent: cœpi egomet mecum cogitare: Hem nos homunculi indignamur ſi quis noſtrûm interiit aut occiſus eſt, quorum vita breuior eſſe debet: cùm vno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant? víſne tu te Serui cohibere, & meminiſſe hominem te eſſe natum? Crede mihi cogitatione ea non mediocriter ſum confirmatus. Inter oppidorum cadauera nominat Sulpitius Aeginam, Megaram, Piræeũ, & Corinthum: de cuius deuaſtatione, complanatione, atque adeo morte modò egimus. Mycenas quoque Cleonas, & Ilium Mercurius apud Lucianum[5] ditiſſimas & florentiſſimas olim vrbes fuiſſe

4 epiſt. 5. li. 4. familiarium Ciceronis epiſtol.
5 in dialogo qui Charon inſcribitur.

ait, quæ nunc ſunt mortuæ, hoc eſt euerſæ: Μυκήνας δὲ καὶ Κλεωνὰς αἰσχυνόμαι δεῖξαί σοι, καὶ μάλιστα τὸ Ἴλιον· ἀποπνίξεις γὰρ οἶδ' ὅτι τὸν Ὅμηρον κατελθὼν ἐπὶ τῇ μεγαληγορίᾳ τῶν ἐπῶν· πλὴν ἀλλὰ πάλαι μὲν ἦσαν εὐδαίμονες, νῦν δὲ τεθνήκασι καὶ αὐταί. (*Pudet me Mycenas tibi & Cleonas, ſed omnium maximè Ilium monſtrare. Indignationem enim tanquam alter grandiloquentia Homerus, ſat ſcio mouebis. Cæterũ & ipſæ olim beatæ erant, nunc verò mortuæ ſunt.*) Sed vrbis etiam ſepultæ ruinas Tacitus [1], de Cremona loquens, & de Hieroſolymis [2], famoſæ vrbis ſupremum diem in annalibus dixit. Atque hactenus quidem de infamia, de violenta quaſi morte, capitíſque deminutione, ac pœnis ciuitatum ſcripſimus. De naturali earum fato, ſequenti capite agetur.

1 *lib. 19. annal.*
2 *lib. 21. annal ſub initium.*

---

*De naturali ciuitatum interitu ex variis cauſis. Ciuitates mori, naſci, viuere, reuiuiſcere, ægrotare, matréſque habere, ita vt homines dicuntur. De natalitiis Romæ veteris & nouæ feſtis diebus. De ciuitatum fato, genio, & cuſtodibus angelis.*

## CAP. IX.

CVm fortuna, vt Seneca ſcribit [3] aduerſus imperia, idem habeat iuris quod aduerſus imperantes, aduerſus vrbes idem poſſit quod aduerſus homines, nihil priuatim, nihil publicè ſtabile ſit, tam hominum quàm vrbium fata voluantur: vt homines ſingulos, ita ciuitates quoque infamia notari pœnæ cauſa, capite minui, hoc eſt permutationem ſtatus pati, & internecioni ſiue interitui violento ſubiacere, variis adductis exemplis docuimus. Reſtat vt ad hominum ſimilitudinem, ciuitates quoque ſuo fato, & naturaliter mori demonſtremus. Ac Annæi quidem Senecæ temporibus Lugdunenſem coloniam ita exuſtam fuiſſe, vt eam incendium non quomodo multas ciuitates vexauerit, ſed totam abſtulerit, & vbique armis quieſcentibus cùm toto orbe terrarum diffuſa eſſet ſecuritas, Lugdunum, quod antè oſtendebatur in Gallia quæreretur: ciuitatem denique opulentam vni & huic non altiſſimo monti impoſitam tam breui temporis ſpatio arſiſſe, vt cùm nulla res magna non aliquod habeat ruinæ ſuæ ſpatium, in hac vna nox interfuerit inter vrbem maximam & nullam, ipſius Senecæ literis ad Lucilium addocemur [4]: in quibus & de aliarum vrbium naturali caſu nonnulla reperias, quæ ſtatim recitabo, ſi prius hæc eiuſdem argumenti ex Tertulliani libris deprompſero: Nulla iam Delos (inquit [5]) Rhene, Samos, & illa, ſi non mendax Plato in Atlantico, Libyam & Aſiam adæquans nunc quæritur. vbi moneo, Senecæ verbum quod antè retulimus, Quærendi ſcilicet, eſſe à Tertulliano vſurpatum: qui eadem de re alibi [6] ſic ſcribit: Legimus Hierapolin & Delon & Rhodum & Con inſulas, multis cum millibus hominum

3 *in epiſt. 92*
4 *epiſtol. 92.*
5 *in lib. de pallio.*
6 *in Apologet.*



num peſſum abiiſſe: memorat & Plato maiorem Aſia & Africa terram Atlantico mari ereptam. Sed ad Senecam noſtrum reuertamur. Huius auctoris ex eo ipſo quem antè indicauimus loco, hæc fere verba ſunt Quoties Aſiæ, inquit, quoties Achaię vrbes vno tremore ceciderunt, quot oppida in Syria, quot in Macedonia deuorata ſunt? Cyprum quoties vaſtauit hæc clades? Quoties in ſe Paphus corruit. Frequenter nobis nunciati ſunt totarum vrbium interitus, &c. & paulò pòſt. Non vides quemadmodum in Achaia clariſſimarum vrbium iam fundamenta cõſumpta ſunt, nec quicquam extet ex quo appareat illas ſaltem fuiſſe? Idem auctor ex terrę motu alibi ſcribit [1] Paphum non ſemel corruiſſe, nobilémque & huic iam tum familiarem malo Nicopolim, Aſiam verò duodecim vrbes ſimul perdidiſſe: ſed & Helicem & Burim vrbes duas mari merſas, euerſas, vaſtáque concuſſione ſuppreſſas fuiſſe: quod & ante Senecam Diodorus Siculus hiſtoriæ ſuæ monumẽtis conſignarat [2], & poſteà Marcellinus his verbis tradidit, vbi de tribus terræ motuum generibus: Aut chaſmatiæ (ait [3]) qui grandiori motu patefactis ſubitò voratrinis terrarũ partes abſorbent, vt in Atlantico mari, Europæo orbe potior inſula, & in Criſeo ſinu Helice & Bura, & in Ciminia Italię parte oppidum Succumum ad herebi profundos hiatus abacta æternis tenebris occultãtur. Hæc Marcellinus Nicomedię clade ac ruina velut ob oculos propoſita ſubiunxit. Pompeios quoque celebrem Campaniæ vrbem Regulo & Verginio Conſulibus, ad Nonas Februarij deſediſſe terræ motu: denique Herculanenſe oppidũ eandem cladem expertum fuiſſe tradit ibidem Seneca, vt Piſaurum, quò deducta fuerat ab Antonio colonia, Plutarchus [4] his verbis: Πείσαυρα μὲν Ἀντωνίου πόλις κληρουχία, ᾠκισμένη παρὰ τὸν Ἀδρίαν, χασμάτων ὑπεῤῥαγέντων κατεπόθη. (*Piſaurum oppidum quod Antonio ſorte obtigerat ſitum ad mare Adriaticum, terra dehiſcente abſorptum eſt.*) De Aſiæ duodecim vrbibus, quod apud Senecam duobus locis legimus, idem eſſe puto cum eo, quod de prouincia quadam, quæ Rhagæ ex eo caſu dicta, & ad Ecbatanam ſita eſt, luculenter Diodorus ille, quem ſupra nominaui, ſcribit [5]: vbi de Antigono, qui Eumene ſuperato atque interfecto, in media prope Ecbatana hibernauit: τοὺς δὲ στρατιώτας ἐπιδιεῖλεν, ait, εἰς ἅπασαν τὴν σατραπείαν, καὶ μάλιστα εἰς τὴν ἐπαρχίαν τὴν προσαγορευομένην Ῥάγας, ἣ ταύτην τὴν προσηγορίαν ἔσχεν ἀπὸ τῶν γενομένων περὶ αὐτὴν ἀτυχημάτων ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις. (*Milites per omnem Satrapiam diſtribuit, ſed maximè per prouinciam Ragæ dictam, quæ hoc cognomen adepta eſt, propter calamitates quibus olim afflicta fuerat.*) Sequitur, πλείστας γὰρ ἔχουσα πόλεις τῶν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις καὶ μάλιστα εὐδαιμονούσας, τηλικούτους ἔσχε σεισμούς, ὥστε καὶ τὰς πόλεις καὶ τοὺς ἐνοικοῦντας ἅπαντας ἀφανισθῆναι, καθόλου δὲ τὴν χώραν ἀλλοιωθῆναι καὶ ποταμοὺς ἀντὶ τῶν προϋπαρχόντων ἄλλους φανῆναι καὶ λίμνας. (*Cùm enim antea vrbes eorum locorum plurimas contineret, eáſque florentiſſimas terræ motibus adeo laborauit, vt & vrbes ipſæ & incolæ euaneſcerent, & regio omnis immutaretur, aliáque flumina & lacus, prioribus ſublatis conſpicerentur.*)

1 *lib. 6. natural. quæſt. in princip. & lib. 1. ca. 23.*
2 *lib. 15. biblioth.*
3 *lib. 17. rer. geſt.*
4 *in Antonij vita.*
5 *lib. 19. biblioth.*

Incredibilis propemodum, niſi quòd ab hiſtorico traditur, illa to-
tius prouinciæ momentanea immutatio fuit, vt vrbes cum incolis
omnino euaneſcerent: alia flumina, paludéſque aliæ prioribus ſub-
latis enaſcerentur. De duobus oppidis Herculaneo & Pompeiis ita
*1 in Tito.* ſcribit Dio 1, & poſt eum Zonaras, vt vi cineris ex Veſeui montis
conflagratione atque incendio effuſi, tota dicat obruta & oppreſſa
fuiſſe Imperatoris Titi temporibus: quas vrbes & alias innumeras,
*2 lib. 4. τῶν εἰς ἑαυτόν.* Antonius imperator ait 2 eſſe mortuas. Eius hæc verba ſunt, vbi de
contemnēda morte diſputat: πόσαι δὲ πόλεις ὅλαι, ἵν' οὕτως εἴπω, τεθνή-
κασιν· Ἑλίκη, καὶ Πομπήϊοι, καὶ Ἡρακλάνον, καὶ ἄλλαι ἀναρίθμητοι. (*Quan-
ta verò vrbes integræ, vt ſic dicam, obierunt, Elice Pompeÿ Herculea-
num, aliaque innumeræ.*) in quibus illa, ἵν' οὕτως εἴπω, *vt ſic dicam*, vt &
*3 l. ſi vſusfr. D. quib. modis vſusfr. amitt.* apud Modeſtinum noſtrum 3 articulus, Quaſi, quandam improprie-
tatem deſignat: cùm ait, quaſi morte intercidere vſumfructum. Nec
enim re vera moritur, quæ non vixit vrbs. Sed plerumque fit, vt
auctores veteres per quandam ſimilitudinem figuratè, aut ſi mauis
καταχρηστικώτερον, *per abuſum quendam*, ita de ciuitatibus tanquam
de hominibus loquantur: eadémque omnia ferè ciuitatibus, quæ
hominibus tribuant: id quod perſpicuè hoc toto capite demon-
*4 lib. 3. natur. hiſtor. cap. 5.* ſtrabitur. Plinius 4 ex antiquo Latio LIII. populos interiiſſe ſi-
ne veſtigiis. In Campano agro intercidiſſe Tauraniam, eſſe &
Caſilini morientis reliquias, auctor optimus tradit. Ioannes etiam
poeta quidam epigrammatarius, de Beryto exuſta ſic loquitur, vt eã
*5 lib. 5. ἀνθολογίας. c. 70.* eſſe mortuam, & cum mortuis iacere dicat, & puluerem nominet.
Eius auctoris hæc ferè verba ſunt 5:

Ἁ δ' ἐγὼ ἁ τλάμων ἄπολις πόλις, ἄμμιγα νεκροῖς
Ἐνναέταις κεῖμαι ἁ παναποτμοτάτα.
Ἥφαιστός μ' ἐδάμασσε, μετὰ κλόνον ἐννοσιγαίου,
Φεῦ, ἀπὸ τοσσατίου κάλλεος εἰμὶ κόνις.
Ἀλλὰ παραστείχοντες ἐμὰν στοναχήσατε μοῖραν,
Σπείσατε Βηρυτῷ δάκρυα καὶ φθιμένᾳ.

*Illa ego, illa infœlix vrbs quæ amplius non ſum*
*Vna cum mortuis incolis iaceo infortunatiſſima.*
*Hepheſtus me afflixit, Neptuni impetu iam quaſſatam,*
*Heu mihi, ex tanto ſplendore nihil niſi puluis ſum*
*Verum ô vos viatores meum fatum deflete*
*Fundite defunctæ Beryto lachrymas.*

Et in alio epigrammate:

Βηρυτὸς γοερὴ κεῖται ὑπὲρ δαπέδων.
*Berytus miſera in ſolo iacet.*

Vt verò mori, ſic è conuerſo naſci vrbes quæ conduntur, indéque
*6 lib. 2. de diuinatione.* natalem Romæ diem dictum eſſe conſtat. Cicero 6. Lucius quidem
Tarutius Firmanus familiaris noſter in primis Chaldaicis rationi-
bus eruditus, vrbis etiam noſtræ natalem diem repetebat ab iis Pa-
rilibus, quibus eam à Romulo conditam accepimus: Romámque
cùm eſſet in iugo Luna, natam eſſe dicebat, &c. Porrò vt ſingulorũ
natalitij dies celebrari à familiaribus & amicis conſueuerant, qua
de re



de re capite ſexto fuſè diximus: ſic & dies XI. Kal. Maias quo Roma,
& dies V. Id. Maias quo Conſtantinopolis condita fuit, magno erãt
in honore omnibus ciuibus. Itaque apud Imperatores Valentinia-
num, Theodoſium, & Arcadium 1 inter feriarum dies, natalitii vr- *1 l. oēs dies. 7. C. de ferijs*
bium maximarum Romæ atque Conſtantinopolis dies numeran-
tur: γενεθλίους ἡμέρας, (*dies natalitios*) Græci vocant: de quibus ex *2 in Pertinace.*
Capitolino 2, Mamertino 3, & Sozomeno 4 accuratè, vt ſolet, ac ele- *3 in Panegyrico Maximini.*
ganter differit Bar. Briſſonius Iuriſconſultus, & amicus ſummus
meus in ſuis diuini & humani iuris obſeruationibus 5. Sic ciuitates
vt homines dicuntur viuere ac reuiuiſcere, cùm reſtituũtur. Itaque *4 lib. 5. hiſto. eccleſi. 2. c. 17.*
apud epigrammatarium quendam poetam hoc legas 6: *5 li. 1. ad d. l. omnes. C. de ferijs.*

Τὴν πόλιν οἱ νέκυες πρότερον ζῶσαν κατέλειψαν,
Ἡμεῖς δὲ ζῶντες τὴν πόλιν ἐκφερόμεν. *6 lib. 1. ἀνθολογίας c. 90. εἰς χρόνον epigram. 2.*
*Vrbem viuentem antea defuncti deſeruerunt,*
*Nos verò viuentes vrbem efferimus.*

Dio quoque, vbi de Corintho & Carthagine ſimul exciſis, ac dein
de Iulii Cæſaris auſpicio exædificatis loquitur: καὶ αἱ μὲν, inquit, ὥσ-
περ ἅμα πρότερον καθῃρέθησαν, οὕτω καὶ τότε ἅμα ἀνεβιώσκοντο καὶ ἔμελλον
καὶ αὖθις ἀναθήσειν. (*Ita Carthago & Corinthus quæ vrbes prius vno tē-
pore deletæ fuerant, tunc ſimul quaſi reuiuiſcere cœperunt, olim claræ rur-
ſus futuræ.*) Dicuntur etiam vt ſingulorum hominum, ita ciuitatum
vrbes nonnullæ matres, quas vno verbo Iuriſconſulti quoque no-
ſtri 7 petito è Græcia, μητροπόλεις, *matres vrbium*, nominãt, hæ ſunt,
vt hodie loquimur, quælibet prouinciarum capita: propriè verò ex *7 l. 4. §. Ingreſſus. & l. 7. D. de offi. proconſ. l. 6. D. de excuſat. tut. vide Briſſoniũ li. 11. de verbo. ſignific.*
quibus aliò coloniæ deducuntur: ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, id eſt, *æquis legi-
bus, æquo iure*, vt ciues vtrobique perinde ſint liberi, quaſi matrum
filii ſolent 8. Hinc illud eſt Corcyrenſiũ ad Athenienſes apud Thu-
cydidem 9: ὡς πᾶσα ἀποικία εὖ μὲν πάσχουσα τιμᾷ τὴν μητρόπολιν, ἀδι-
κουμένη δὲ ἀλλοτριοῦται· οὐ γὰρ ἐπὶ τῷ δοῦλοι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ὅμοιοι τοῖς λειπο-
μένοις εἶναι ἐκπέμπονται. (*Coloniam omnem ita honore proſequi metropolim
ſuam ſi ſibi ab ea bene fiat: ſin verò malè ab illa ſecedere. Neque enim* *8 vide Dionyſ. Halicar. lib. 4.*
*ea re coloniæ emittuntur vt ſeruiant, iis qui relinquuntur, ſed vt ſint pa-
res.*) Planè vt parentibus liberi honorem, obſequium, & quomo- *9 lib. 1. hiſt.*
do noſtri loquuntur, naturalem reuerentiam præſtare debent 10, ita *10 toto ti. D. & C. de obſeq. à lib. præſt. & ſi quis à parent. manum. fuer.*
matribus illis vrbibus coloni: quamobrem Corcyrẽſes Corinthiis
ob eam non exhibitam inuiſos fuiſſe narrat idem Thucydides 11: ὅτι
αὐτῶν παρημέλουν ὄντες ἄποικοι· οὔτε γὰρ ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς δι-
δόντες γέρα τὰ νομιζόμενα, οὔτε Κορινθίῳ ἀνδρὶ προκαταρχόμενοι τῶν ἱε-
ρῶν, ὥσπερ αἱ ἄλλαι ἀποικίαι. (*Quod cùm eſſet Corinthiorum colonia, eos* *11 eod. lib. 1. paulò antè.*
*tamen deſpiceret. Neque enim in publicis ſolemnitatibus legitimos ho-
nores reddebant, neque in ſuis ſacris virum Corinthium præficiebant vt
cæteræ coloniæ.*) Dicuntur præterea ſingulorum hominum exemplo
νοσεῖν, id eſt *ægrotare* ciuitates: quæ ſcilicet diſtractione ciuium, ſe-
ditionibus, factionibus, & mutuis inſidiis, luxuria denique aut aua-
ritia, quaſi morbis quibuſdam infeſtantur atque laborant. Liba- *12 περὶ στάσεως in Ariſtidis orationib.*
nius 12 ad magnum Theodoſium Imperatorem: νοσοῦσι καὶ πόλεις, ὦ
βασιλεῦ. τὰ δὲ νοσήματα τούτων ταραχαί, θόρυβοι, ὀργῆς ἡττηθῆναι, τὰ τῶν

ὑπληρμένων ἁμαρτεῖν. ( *Ægrotant enim & ciuitates ipſæ ô Imperator. Morbi verò earum hi ſunt, ſeditiones, tumultus, iræ impotentes, & inde promanantia peccata.* ) Sed veteres quoque auctores Græci hoc loquendi genere vtuntur. Demoſthenes: Θετταλοῖς νοσοῦσι καὶ στασιάζουσι καὶ τεταραγμένοις. (*Theſſalis ægrotantibus, ſeditionibus turbiſque laborantibus*) dixit quodam loco [1]. & alibi [2]: αἱ δὲ πόλεις ἐνόσουν τῶν μὲν ἐν τῷ πολιτεύεσθαι καὶ πράττειν δωροδοκούντων καὶ διαφθειρομένων ἐπὶ χρήμασι, τῶν δὲ ἰδιωτῶν καὶ πολλῶν τὰ μὲν οὐ προορωμένων, τὰ δὲ τῇ καθ᾽ ἡμέραν ῥᾳστώνῃ καὶ σχολῇ δελεαζομένων. (*Vrbes autem iſtæ morbo laborabant, magiſtratibus, & iis qui Remp. adminiſtrabant, munera accipientibus, ſéque iis corrumpi ſinentibus, priuatis verò iiſque plurimis, vel hæc non prouidentibus, vel certè præſenti proſperitate & otio ineſcatis*, &, ἀπόλωλε καὶ νενόσηκεν ἡ Ἑλλάς [3] (*Perijt & ægrotauit Græcia.*) &, νόσημα ἐμπεπτωκέναι εἰς Ἑλλάδα [4]. *Morbum Græciam inuaſiſſe.* Iſocrates, πόλεις μεστὰς συμφορῶν καὶ νοσημάτων [5]. *Vrbes calamitatum & morborum plenas.* Idē [6] ipſos factionum auctores, inquit, οὐκ ἄρχοντας, ἀλλὰ νοσήματα τῶν πόλεων εἶναι. *Non rectores eſſe, ſed ciuitatum morbos.* Æſchines, νόσον τῆς πόλεως, [7] *Vrbis morbum.* Diodorus, ἐνόσουν αἱ πόλεις (ait 8) καὶ πάλιν εἰς πολιτικὰς στάσεις καὶ ταραχὰς ἐνέπιπτον. (*Ægrotabant vrbes iſtæ & in ciuiles turbas atque ſeditiones rurſum inciderant.*) Plutarchus τὴν πολιτείαν δυσκάθεκτον ἤδη καὶ νοσοῦσαν 9. *Rempub. diſſolutam & ægram.* Dio Caſſius Nicæus, περὶ τῆς τῶν στρατοπέδων στάσεως: *De exercituum ſeditione*: intelligens νόσημα, *morbum*, dixit [10] in illo loco, τὸ μὲν πρῶτον οἴκοι καὶ ἐντὸς τοῦ τείχους, κατὰ συστάσεις ἐστασιάζομεν, ἔπειτα δὲ καὶ ἐς τὰ στρατόπεδα τὸ νόσημα τοῦτο προηγάγομεν. (*Primùm domi atque intra mœnia coitionibus factis rempub. concuſſimus: deinde in exercitus quoque id mali propagauimus.*) Idem auctor alibi 11: τὴν στασιάζουσαν πόλιν: *Ciuitatem ſeditionibus laborantem*: itidem, νοσῆσαι, *ægrotare* dixit. Apud eum enim Octauius Cæſar ad Senatum ita loquitur de vrbe Roma: ὥστ᾽ εἴπερ ποτὲ καὶ αὖθις πεπρωμένον εἴη τὴν πόλιν ἡμῶν νοσῆσαι, τοῦτον αὐτὴν τὸν τρόπον εὔξασθαί τινα στασιάσαι. (*Adeo vt ſi forte poſthac aliquando in fatis eſt laboraturam vrbem noſtram, ad hunc modum vt ſeditionibus agitetur, optare quis poſſit.*) Ex Græcis denique auctoribus Dio Chryſoſtomus: τὰ νοσήματα πόλεως, *Morbos vrbis*, ἀρρωστήματα, *Ægritudines quaſdam* vocauit 12. Latinos etiam ita nonnunquam locutos reperio: vt ciuitatem ægram, ciuitatis bonum ægrotare, diſciplinam laborare dicerent. Varro 13 libr. 1. de vita populi Rom. Diſtractione ciuium elangueſcit bonum proprium ciuitatis, atque ægrotare incipit & conſeneſcit Seneca 14: Si diſciplina ciuitatis laborauit, & ſe in delitias dedit, argumentum eſt luxuriæ publicæ: orationis laſciuia, ſi modò non in vno aut in altero fuit, ſed approbata eſt & recepta. & ſtatim: Quomodo conuiuiorum, inquit, luxuria, quomodo veſtium ægræ ciuitatis indicia ſunt, ſic orationis licentia, ſi modò frequens eſt, oſtendit animos quoque, à quibus verba exeunt, procidiſſe. Claudianus denique,

*O quantum* (ait) *mutata tuo fortuna regreſſu,*

*Vt ſeſe*

1 olynth. 2.
2 περὶ στεφάνου.
3 in ora. περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ.
4 περὶ παραπρεσβείας.
5 in Panathenaico.
6 in Helenes encomio.
7 περὶ παραπρεσβείας.
8 lib. 11. biblioth.
9 in Lucullo
10 lib. 52. hiſtor. in orat. Mecenatis ad Octauiū Auguſtum.
11 lib. 53. hiſtor.
12 in oratione πρὸς Ἀλεξανδρεῖς.
13 citat Nonius Marcellus in verbo Diſtrahere.
14 epiſt. 115.
15 in libr. de bello Getico.



*Vt ſeſe pariter diffudit in omnia regni*
*Membra vigor, viuúſque redit calor vrbibus ægris.*

Mirū verò nemini debet videri, ſi ciuitas ægrotare dicatur, quippe cuius corpus ex multis partibus cōſtet: nā vt quidā ait 1: πᾶν χρῆμα ὃ ἂν ἐκ πολλῶν σύνθετον ᾖ, νοσεῖν πέφυκε κατά τι τῶν ἐν αὐτῷ μορίων. (*Res omnis ex pluribus partibus conſtans, laborare aliqua ſui parte conſueuit.*) Itaque ab ægroto humano corpore ad Reipub. corpus male affectum comparationem deducunt ſæpe Demoſthenes 2, atque Plutarchus [3], & apud Dionem Tiberius in oratione funebri de Auguſto: ἀλλ᾽ ὥσπερ τις ἀγαθὸς ἰατρὸς (inquit 4) σῶμα νενοσηκὸς παραλαβὼν καὶ ἐξιασάμενος, ἀπέδωκε πάντα ὑμῖν ὑγιᾶ ποιήσας. (*Sed boni medici exemplo, cùm corpus ægrotum acceptum ad ſanitatem reduxiſſet, omnia vobis bonæ valetudini reſtituta reddidit.*) vtque in corporibus, ſic in imperio grauiſſimum eſſe morbum, qui à capite diffunditur, Plinius ad Sempronium Rufum ſcribit [5]. Quin etiam hominum fama, cuius nullum corpus eſt vel intelligitur, ægrotare tamen dicitur, quæ in diſcrimen aliquod adducta eſt. Lucretius 6:

*Labitur interea res & vadimonia fiunt,*
*Languent officia atque ægrotat fama vacillans.*

hoc μεταφορικῶς & figuratè, vt ægra fortuna apud Senecam 7 dicitur. At verò ciuitatibus quaſdam quaſi fato calamitates impendêre, non tantùm ex eo quod de Papho, Corintho, Herculaneo, & Pompeiis ſuprà diximus, ſed ex eo etiam apparet, quod Xanthus vrbs Lyciorum in Aſia ſemel ab Harpago Cyri regis præfecto, vt Herodotus 8 ſcribit, atque iterum à Bruto obſeſſa, quaſi recurrente calamitatis fato, igne ab ipſis ciuibus admoto atque accenſo conflagrauit: ſic enim Plutarchus 9: Ξάνθιοι μὲν οὖν διὰ πολλῶν χρόνων, ὥσπερ εἱμαρμένην περίοδον διαφθορᾶς ἀποδιδόντες, τὴν τῶν προγόνων ἀνενεώσαντο τῇ τόλμῃ τύχην· καὶ γὰρ ἐκεῖνοι τὴν πόλιν, ὁμοίως ἐπὶ τῶν Περσικῶν, κατακαύσαντες, ἑαυτοὺς διέφθειραν. (*Sic ergo Xanthij cùm poſt longum temporis ſpatium, fatalem interitus ſui orbem exegiſſent, memoriam calamitatis maiorum ſuorum, temeritate ſua renouarunt. Nam & illi con ſimiliter olim, vrbem ſuam in bellis Perſarum exuſſerant, ſéque ipſos peremerant.*) Cæterùm *data ſunt ipſis quoque fata ſepulchris*, vt eſt apud Iuuenalem 10.

*Miremur periiſſe homines?* (ait quodam 11 loco Auſonius) *monumenta fatiſcunt.*
*Mors etiam ſaxis nominibúſque venit.*

Verba quidem ipſa interire Seneca 12, & renaſci Horatius 13 dixere. Quid enim mutationis periculo exceptum? Certis eunt cuncta temporibus, naſci debent, creſcere, extingui, vt inquit Seneca 14. Ergo quemadmodū humanum genus, quódque eſt, quódque erit, morte damnatum eſt: ita eodem ipſo teſte, Omnes quæ vſquam rerum potiuntur vrbes, quæque alienorum imperiorum magna ſunt & decora,

1 Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 6.
2 Olynth. 2. & aduerſus Philipp. epiſtolam.
3 in M. Catone, Camillo & Flaminio.
4 vide Dionem lib. 56. hiſtor.
5 lib. 4. epiſtol.
6 lib. 4.
7 ad finē epiſtolæ 95. lib. 14.
8 lib. 1.
9 in Bruto.
10 ſat. 12.
11 epigrām. 35.
12 epiſt. 59.
13 in lib. de art. poet.
14 lib 10. epiſtola 72.

vbi fuerint aliquando quæretur, & vario exitij genere tollentur: alias deſtruent bella, alias deſidia, páxque ad inertiam verſa conſumet, & magnis opibus exitioſa res luxus: & paulo pòſt idem auctor hæc eſſe fata publica tradit. Denique vt animas naſcentibus, ita populis fatales genios diuidi ait Symmachus[1]: cuius opinionem recitat Prudentius his verſibus[2]:

1 lib. 1 epiſt. 40.
2 li. 2. contra Symmachū.

*- - ſicut variæ naſcentibus, inquit,*
*Contingunt pueris animæ: ſic vrbibus adfert*
*Hora diésque ſuum, cùm primùm mœnia ſurgunt,*
*Aut fatum, aut genium cuius moderamine régnent.*

& poſteà:

*At ſollers orator, ait, fataliter vrbem*
*Sortitam quonam genio proprium exigat æuum:*
*Cunctis nam populis ſeu mœnibus inditur, inquit,*
*Aut fatum aut Genius noſtrarum more animarum,*
*Quæ ſub diſparili ſubeunt noua corpora ſorte.*

Quem locum & alios ex Prudentio, & Virgilio nonnullos adfert homo de literis præclarè meritus Adrianus Turnebus[3], vt doceat genios non ſolùm hominum, ſed etiam vrbium, coloniarum, locorum fuiſſe: ſed regni quoque genium Claudianus dixit illo in loco[4]:

3 lib. 13. aduerſarior. cap. 12.
4 en epiſt. ad Serenam.

*Quid non perſiceret ſcribentis voce Serenæ,*
*Vel genius regni vel pietatis amor?*

& Romæ quandam ædem Genio populi dicatam fuiſſe addocet his verbis Dio[5], vbi de ſimia loquitur: καὶ τέλος ἐπειδ᾽ ἂν πανταχόθεν ἀπηλαύνετο, ἐπί τε τοῦ ναοῦ τοῦ γενίου τοῦ δήμου ἱδρύθη, καὶ οὕτω ἑάλω, οὔτ᾽ ἐξανέστη πλὴν ὀψέποτε. (*Ac tandem, cùm vndique exigeretur, in æde Genij populi conſedit, ac neque capta eſt, & tardè omnino auolauit.*) Alexandriæ quoque Genij templum fuiſſe colligimus ex Ammiani Marcellini ſcriptis[6], in quibus etiam Genij publici commeminit[7]: quod autem Genios exagitat Prudentius contra Symmachum, rectè, vt opinor, & piè facit: imprudenter & inſcitè, ne dicam impiè, faceret, ſi humanarum rerum adminiſtrationem aliquam à Deo optimo maximo ſpiritibus & angelis cæleſtibus conceſſam eſſe pernegaret. Nam & ſingulis hominibus, & ciuitatibus, & populis quoque ac gentibus, diuina officia, vt Tertullianus ait, immortales videlicet ac beatos angelos tanquam cuſtodes attributos, atque addictos profitebitur, qui ſacras delibarit literas[8]. Equidem ita ſentio.

5 lib. 50. hiſt.
6 lib. 22. rer. geſtar.
7 lib. 20. & 25.
8 Daniel. 10. Eccleſiaſtæ ca. 6. Pſ. 34. Matth. cap. 18. Act. apoſtol. cap. 12. Epiſt. Pauli ad Hebr. c. 1. ad finem.

---

*Non vtilitas, ſed vilitas legendum apud Vlpianum, Curtium, Vopiſcum & Boëtium, vilitas ſui. Qui ex philoſophis veteribus ſibi mortem conſciuerint. Non prior, ſed propior legendum apud Proculum, Paulum, Senecam, & Tacitum.*

## CAP. X.





VT hominum, ita ciuitatum quoque fatum aliquod eſſe docuimus: nunc verba etiam ſuo quodam quaſi fato laborare, premi ac perimi demōſtrabimus. Nec vili hoc (vt ſperamus) eruditi quidem & aliquo in literis iudicio præditi viri æſtimabūt, quod Vilitatis vocabulum velut abiectum & nullius nominis, de ſede ſua plerunque ab Vtilitatis vocabulo extrudi deturbaríque docebimus, dum hoc à vi quadam nominis ipſius propria & naturali ſuum quaſi commodum ex alieno incommodo captare cogitur. Vlpianus[1], poſtquam docuit filiofam. iniuriam paſſo ſi præſens pater agere nolit, vel quia differt, vel quia remittit atque donat iniuriam, magis eſſe vt filio actio non detur: cum hac tamen exceptione, niſi patris perſona vilis & abiecta ſit, filij honeſta: exceptionis huius rationem apponit his verbis: Neque enim debet pater viliſſimus, filij ſui contumeliam ad ſuam vtilitatem metiri: ſic enim in pleriſque omnibus excuſis legitur. Quid eſt quod ait ad ſuam vtilitatem? aut quæ vtilitas patris in actione remittenda, iniuriáve filij condonanda verſatur? At quanto planior eſt Pandectarum Florentinarum lectio, quam Accurſius ipſe videtur agnouiſſe, Ad ſuam vilitaté metiri? vt Iuriſconſultus dicat iniquum fore, ſi honeſto filio illata contumelia ex vili patris conditione atque abiecta æſtimetur. Sic apud Q. Curtium[2], vbi Nabarzanes hæc loquens inducitur: Quid ruimus, belluarum ritu, in perniciem non neceſſariam? Fortium virorum eſt magis mortem contemnere, quàm odiſſe vitam, ſæpe tædio laboris ad vtilitatem ſui compelluntur ignaui, at virtus nihil inexpertum omittit: itaque vltimum omnium mors eſt, ad quam non pigre ire ſatis eſt. Pro Ad vtilitatem, legendum dico Ad vilitatem ſui, hoc eſt ad vitæ contemptum, & ad mortem oppetendam, vt & apud Senecam[3] in illo loco. Sed in nullo deprehendes vilitatem ſui, ne negligentiam quidem. Tacitis nanque & brutis, quamuis in cætera torpeant, ad viuendum ſolertia eſt, & alibi[4]: Nec hæc vilitas ſui eſt aut dementia, pro vno capite tot milia excipere ferrū, ac multis mortibus vnam animam redimere, nonnunquam ſenis & inualidi. Sic vilitatem animarum dixit Plinius[5]. Enimuerò plerique veterum vel ob conſcientiam criminis, vel tædio vitæ, vel dolore, i d eſt valetudinis aduerſæ impatientia, vel iactatione, vt quidam philoſophi, mortem ſibi conſciſcebant: vt noſter Vlpianus[6] ait: quem, cùm philoſophos nominauit, de Empedocle potiſſimum locutum arbitror: de cuius iactatione idem Horatius[7] his verſibus:

1 l. ſed ſi vnius. §. ait prætor D. de iniur.
2 lib. 5.
3 epiſt. 122. ad finem.
4 lib. 1. de clementia cap. 3.
5 lib. 36. cap. 15.
6 l. ſi quis filio. §. eius qui deportatur. D. de iniuſto rupto & irr. fac. teſta.
7 in lib. de arte poetica.
8 panegy. in conſulat. Mālij Theodori.

*Deus immortalis haberi*
*Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam*
*Inſiluit.* & Claudianus, vbi ſic cecinit[8].
*Alter in Ætnæas caſurus ſponte fauillas,*
*Diſpergit reuocátque Deum rurſúſque receptis*
*Nectit amicitiis quicquid diſcordia ſoluit.*

Empedoclem imitatus philoſophus quidam Proteus, caníſque nominatus imperante Marco, ſe Olympiæ in ignem coniecit, quantū

ex his Philoſtrati 1 verbis deprehendi poteſt: vbi de Herode ſophiſta loquitur. ἀλλ᾽ ὅπως γε καὶ πρὸς τὰς λοιδορείας ἔρρωτο, δηλώσει καὶ τὰ πρὸς τὸν κύνα Πρωτέα λεχθέντα ποτὲ ὑπ᾽ αὐτοῦ ἀθήνησιν. ἦν μὲν γὰρ τῶν οὕτω θαρραλέως φιλοσοφούντων ὁ Πρωτεὺς ὥστε, ὡς ἐς πῦρ ἑαυτὸν ἐν ὀλυμπίᾳ ῥῖψαι. (*Sed & quomodo ad conuitia obfirmatus animo eſſet, vel ea quæ aliquando in canem Proteum adſtantibus Athenienſibus dixit, ſatis indicant. Erat autem hic Proteus ex iis qui Philoſophiam illam audacem & impauidam conſectantur, adeo vt & in Olympia, ſeſe in mediũ ignem præcipitem daret.*) Idémque de hoc ipſo Proteo ſcribit Gellius 2, qui Peregrinum Parianium philoſophum ioculare iſtud Protei cognomen, vt & alterum Cynici habuiſſe innuit. Huius vt & Empedoclis Tertullianus etiam commeminit 3, & Ammianus Marcellinus [4] his verbis, vbi de Simonide quodam, Immobilis cõflagrauit, Peregrinum illum imitatus Protea cognomine philoſophum clarum, qui cùm mundo digredi ſtatuiſſet, Olympiæ quinquennali certamine ſub Græciæ conſpectu totius aſcenſo rogo, quem ipſe conſtruxit, flammis abſumptus eſt. Hactenus de Empedocle & Proteo.

Sed & apud Indos vnum agreſte & horridum genus eſſe, quos ſapientes vocant, apud quos occupare fati diem pulchrum ſit, & viuos ſe cremari iubeant, inquinaríque putent ignem, niſi qui ſpirantes recipiat. Curtius [5] docet poſt Ciceronem [6]: cuius hæc verba ſunt: Quæ Barbaria, India vaſtior aut agreſtior? In ea tamen gente primùm hi qui ſapientes habentur, &c. cúmque ad flammam ſe applicuerint, ſine gemitu aduruntur. De iis Lucanus 7 ita:

*Quique ſuas ſtruxêre pyras, viuique calentes*
*Conſcendere rogos: prò quanta eſt gloria genti*
*Inieciſſe manum fatis, vitámque repletos*
*Quod ſupereſt donaſſe Deis.*

Ex his Indiæ philoſophis Zarmarus quidam fuit, cuius Dio 8 meminit: ex his Calanus, quem Diodorus [9], Cicero 10, Plutarchus [11] nominatim appellant. Ac de iis quidem philoſophis qui ſe olim in ignem coniecerint, Alciatum quoque deprehendi cùm iam ſuperiora exſcripſiſſem, aliquo loco [12] ipſum eadem fere tradidiſſe: quæ nos adductis variorum auctorum teſtimoniis, quoniam & confirmauimus & illuſtriora reddidimus, idcirco non putauimus cuiquã hîc illa relegenti minus iucunda fore. Ex Lactantio 13 autem Empedoclem & Cleanthem inſuper didicimus, itémque Chryſippum, Zenonem, Democritum, & Catonem philoſophos ſibi manus ipſos intuliſſe. De Catone quidem [14] Hirtius ſiue Oppius, Plutarchus 15, Dio [16], Seneca [17] & Gellius [18], id ipſum literis mandarunt. Ab Euphrate itidem philoſopho Adriani principis temporibus hauſtum venenum ex Dionis hiſtoria paulò antè [19] retulimus. De Diodoro (quod mirum eſt) Epicureo philoſopho narrat 20 Seneca gulam ſibi præcidiſſe. Nec tamen hos omnes iactatione potius, quàm impatientia doloris aut tædio vitæ (quod de Lucio quodam Domitio Maſſilienſi Plinius 21 ſcribit) vim ſibi attuliſſe affirmauerim.

Sane

1 *lib. 2. de vita ſophiſtarũ in Herode.*
2 *lib* 12. *ca.* 11.
3 *in lib. ad martyres.*
4 *lib.* 29.
5 *lib.* 8.
6 *lib.* 5. *Tuſcul. quæſt.*
7 *li.* 3. *de bello ciuili.*
8 *lib.* 54. *hiſtor.*
9 *vide Diodor. Siculum lib.* 17.
10 *li.* 1. *de diuinatione & lib.* 2. *Tuſculan.*
11 *in Alexandro.*
12 *lib.* 4. *parergôn c.* 4.
13 *lib.* 3. *Inſt. c.* 18.
14 *de bello Africano.*
15 *in Catone Vticenſi.*
16 *lib.* 43. *hiſtor.*
17 *epiſt.* 24. *&* 71.
18 *lib.* 13. *ca.* 18.
19 *cap.* 4.
20 *de vita beata ca.* 19.
21 *lib.* 7. *natural. hiſtor. cap.* 53.



Sane tædium hoc vitæ non odium, ſed faſtidium eſſe in quod prolabimur, ipſa impellente philoſophia ſcribit 1 Seneca, quo verbo Suetonius quoque vtitur in Tiberio 2, cùm ait: Satis conſtat Cn. Lentulum augurem, cui cenſus maximus fuerit, metu & angore ad faſtidium vitæ ab eo accitum, & vt ne quo niſi ipſo hærede moreretur. Verumtamen rectè, vt videtur, ac ſapienter apud Curtium Nabarzanes fortium virorum eſſe ait, magis mortem contemnere, quàm odiſſe vitam, & ad mortem non pigrè ire ſatis eſſe: Emonendi enim ac firmandi ſumus (vt ſcribit idem ille quem in teſtimoniũ lubenter cito Seneca 3) & ne nimis amemus vitam, & ne nimis oderimus, etiam cùm ratio ſuadet finire: ſed non temerè cum procurſu capiendus eſt impetus: vir fortis ac ſapiens non fugere debet è vita, ſed exire. Nam impetu quodam & inſtinctu procurrere ad mortem, commune cum multis ait Plinius 4: deliberare verò & cauſas eius expendere, vtque ſuaſerit ratio, vitæ mortíſque conſiliũ ſuſcipere vel ponere, ingentis eſt animi. Lenta animi firmitas, inquit 5 Seneca, eſt rarior: nec poteſt niſi à ſapiente præſtari, &c. & ſtatim: Quid ergo? non multos ſpectaui abrumpentes vitam? Imò verò vidi, ſed plus momenti apud me habent, qui ad mortem veniunt ſine odio vitæ, & admittunt illam, non attrahunt. Longius euagaremur, ſi hoc diuerticulum vellemus inſiſtere: Præſtat, vt à rebus ad verba reuertamur.

Flauius Vopiſcus 6, vbi de Imperatoris Aureliani matre loquitur, habuiſſe ait nonnihilum diuinationis: adeo vt aliquando marito ſuo iurgans ingeſſerit, cùm eius & ſtultitiam increparet & vtilitatem, En Imperatoris patrem. Pro Vtilitatem hîc quoque reſtituẽdum eſſe Vilitatem profiteor. Exprobrabat igitur Aureliani mater viro ſuo vilitatem: erat enim Aurelianus modicis ortus parentibus, vt idem Vopiſcus paulo antè dixit. Denique apud Boetium 7 in illo loco: Quid igitur noſtræne artes ita meruerunt, an illos accuſatores iuſtos fecit præmiſſa damnatio? Itáne nihil fortunam puduit, ſi minus accuſatæ innocentiæ, at accuſantium vtilitatis? Vbi cùm vetus codex meus habeat vilitas, contendo legendum vilitatis: ídque ex verbis quæ præcedunt colligo. Quibus autem deferentibus (ait) perculſi ſumus? quorum Baſilius vnus olim regio miniſterio depulſus in delationem noſtri nominis, alieni æris neceſſitate compulſus eſt. Opilionem verò atque Gaudentium, cùm ob innumeras multiplicéſque (ſic enim eſt in veteri meo manuſcripto, non vt in vulgatis, ob iniurias atque multiplices) fraudes ire in exilium regia cenſura decreuiſſet, &c. quæ omnia, vt opinor, vilitatem delatorum de quibus expoſtulat Boetius, ſatis arguunt, & Vilitatis nomen in priſtinam eius loci poſſeſſionem reſtituunt. Sic quoque apud auctores, quem locum Prioris vocabulum iure quodam antiquitatis occupauit, in eum Propioris nomen reponi debet. Apud Proculum 8 Iuriſconſultum, ita legitur in Pandectarum Florentinarum autographo. Flumen iſtud in quo inſulam contra frontem agri tui eam natam eſſe ſcripſiſti, ita vt non excederet longitudi-

1 *epiſt.* 24.
2 *cap.* 49.
3 *epiſt.* 24. *ad finem. vide & epiſt.* 26. *ad fin.*
4 *lib.* 1. *epiſt. in ea cuius initiũ, Diu iam.*
5 *epiſt.* 30. *vide & epiſt.* 55. *ibi, Illum lauda & imitare quem non piget mori cum iuuet viuere.*
6 *in Aureliano.*
7 *lib.* 1. *de cõſolat. philoſophiæ.*
8 *l. inſula* 56. *ſub initiũ in verſic. Proculus reſpondit. D. de adquirend. rer. dom.*

nem agri tui, ſi alluuionis ius habet, & inſula initio prior fundo tuo fuit, quàm eius qui trans flumen habebat, tota tua facta eſt. Rectius multo alij codices, & Enatam pro eam natam: & Propior, nō prior habent: vt in excuſis quoque Florentinis hodie legitur, & ex ſuperioribus atque inferioribus verbis legendum eſſe deprehenditur. Apud Senecam [1] ita hodiéque ſcriptum eſt. Quid ergo? nō ibo per priorum veſtigia? Ego verò vtar via veteri, ſed ſi priorem planiorémque inuenero hanc muniam: vbi Priorem reiiciendum eſſe Eraſmus vidit, & alicubi apertiorem legi ait, ipſe verò vel potiorē vel proniorem mauult. Ego Propiorem ratione ad veritatem ductus nunc primùm reſtituo: quæ ipſa patebat quidem omnibus, vt Senecæ verbum vſurpem, nondum erat occupata. Apud Tacitum [2] quoque pro Agrippinæ ſobrina prior, Agrippinæ ſobrina propior pridem Cuiacius (quem honoris cauſa, vt eius de me déque re literaria meritum eſt, appello) reponendum eſſe animaduertit [3]. Ego etiam apud Paulum [4], vbi ſcriptum eſt ſobrinum ſobrinam ſobrina natum, cōsve qui priore gradu ſint: & ſi ſcio illud Priore defendi poſſe, attamen ſi quis Propiore adſcribat, non inuitus id legero, & Bonum factum pronunciauero.

1 *epi. 33. ad finem.*
2 *lib. 12. annal. ad finē.*
3 *ad tit. de gradib. cognat. Inſti.*
4 *l. 4. D. de teſt.*

---

*De litera R. eámque expungendam plurimis locis, qui apud Plinium & Apuleium, apud Senecam, apud Marcellinum & Cæſarem caſtigantur. Itémque apud Ciceronem: vbi non Carnis, ſed Canis legendum demonſtratur, & Canis nomen ad conuicia traductum à veteribus. Horatij locus de cane, canina cœna, & mutato vino explicatur.*

## CAP. IX.

FOrmæ literis Latinis; quæ veterrimis Græcorum, ſed nobis quoque paucæ, ait Tacitus [5], primùm fuêre, deinde additæ ſunt. Appium Claudium apud Romanos vſum R literæ inueniſſe, vt pro Valeſiis Valeriis eſſet, & pro Fuſiis Furiis, ex Pomponio [6] noſtro didicimus: itaque vt Valeſij & Fuſij in Valerios Furióſque venerunt, ita arbos, labos, vapos etiam, & clamos, ac laſes ætatis fuerunt, vt Quintilianus [7] ſcribit. Cæterum fuit Appius Claudius, niſi fallor, is qui cognomento Craſſus dicebatur, & Conſulatum cum Furio Camillo geſſit, anno ab vrbe condita CCCCV. Id vt ita exiſtimem facit, quod L. Papirium Craſſum, qui primus Papiſius vocari eſt deſitus, Dictatorem cum L. Papirio Curſore magiſtro equitum factum fuiſſe, annis poſt Romam conditam CCCCXV. & quadriennio poſt Conſulem cum C. Duillio in quadam Ciceronis ad Pætum epiſtola [8] legimus. Hæc litera in linguam Romanam à Conſule Claudio inuecta longè meliore conditione fuit, quàm tres illæ reliquis ab Imperatore Claudio adiectæ: quæ vſui imperitante eo, pòſt obliteratæ in ære publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo etiam Cornelij Taciti tempore aſpiciebantur, vt ipſe Tacitus [1] auctor eſt. Nam ex quo tempore in vſum venit R litera, tantùm abeſt vt ſuorum vocabulorum poſſeſſionem amiſerit, vt in aliena etiam non ſemel aut facta librariorum ſtilis ſuis armatorum manu per vim irruerit, aut certè per horum ſocordiam & inertiam in ea clanculùm irrepſerit. Sed odioſè nimis & malitioſè fecit vt cenſeo: quamobrem noſtro tanquam prætorio aliquo interdicto, quod vi aut clam factum eſt reſtituetur. Apud Plinium [2] ita libri Aldini quos emendatiores puto, ſcriptum habent. Lanæ & per ſe coactam (ſic enim cum Cuiacio [3] legimus non coactæ) veſtem faciunt, & ſi addatur acetum etiam ferro reſiſtunt, imò etiam ignibus nouiſſimo ſui purgamento: quippe ahenis polientium extractæ in tormenti vſum veniunt, Galliarum vt arbitror inuento: certè Gallicis hodie nominibus diſcernitur. Alii libri vetuſtiores Venetiis item excuſi, multo deterius, ahenis coquentium extractæ indumentis vſuueniunt. Propius ad veritatem accedit Aldina lectio, & tamen mendoſa eſt in vocabulo, Tormenti: nam neque de ſupplicii quæſtioníſve vllo genere, neque de aliqua machina bellica ſenſit, opinor, Plinius. Deme literulam, & ſtatim apparebit vera lectio, Tomenti: quæ Sigiſmundo etiam Gelenio viro doctiſſimo probatur [4]: & verò mihi venerat in mentem ac perplacuerat, prius quàm de ipſius ad Plinium annotationibus admonerer: meritò ſanè: ſequitur enim apud Plinium: Certè Gallicis hodie nominibus diſcernitur, nec facilè dixerim qua id ætate cœperit, antiquis enim torus è ſtramento erat, qualiter nunc etiam in caſtris gauſape. Bene autem ait Plinius, lanas in tomenti vſum venire, id eſt tomenti loco eſſe. Cæterùm aliud lana eſt, aliud tomentum: & lanæ appellatione tomentum non contineri noſter Vlpianus [5] ait. Tomentum verò duplex fuit: aut Lingonicum aut Circenſe. Martialis [6] in tomento Lingonico:

5 *lib. 11. annal.*
6 *l. 2. §. iuris ciuilis ſcientiam verſic. Inde Appius D. de orig. iur.*
7 *lib. 1. Inſtitut. orator. cap. 4.*
8 *lib. 9. epiſt. Familiar. in 21.*

1 *lib. 11. annal. meminit & Sueton. Tranquillus in Claudio c. 41.*
2 *lib. 8. natu. hiſtor. c. 48.*
3 *lib. 5. obſer. cap. 11.*
4 *vide in annotationibus Gelenij in Plinium.*
5 *l. ſi cui lana. §. lanæ. D. de lega. 3*
6 *lib. 14. epigram.*

*Oppreſſæ nimium vicina eſt faſcia plumæ.*
*Vellera Lingonicis accipe raſa ſagis.*

& in tomento Circenſi:

*Tomentum conciſa palus Circenſe vocatur,*
*Hæc pro Lingonico ſtramina pauper emit.*

Circenſis etiam tomenti Seneca [7] meminit quodam loco. Nihilo miſerior ero, inquit, ſi lapſa ceruix mea in manipulo fœni acquieſcet, ſi ſuper Circenſe tomentum per ſuturas veteris lintei effluens incubabo. In culcitras indi & inculcari ſolitum tomentum, quod ſtramenti loco eſſet ex Varrone [8] & Suetonio [9] (vt & grammaticis innotuit) probari poteſt: in eo itaque non immorabor diutius. Alterum potius locum proponam, in quo vitium idem eodem modo tollendum eſt. Apuleius [10] ita ſcribit: Capillus ipſe, quem iſti aperto mendacio ad lenocinium decoris promiſſum dixere, vides quàm non ſit amœnus ac delicatus, honore implexus atque impeditus, ſtuppeo tormento aſſimilis & inæqualiter hirtus; & globoſus, & congeſtus, prorſus inenodabilis diutina incuria non modò comendi, ſed ſaltem expediendi & diſcriminandi. Hîc etiā pro Tormento

7 *lib. de vita beata ca. 25.*
8 *libr. 4. de lingua Latina.*
9 *in Tiberio cap. 54.*
10 *in apologia pro ſe ipſo prima.*

tomentum ſtuppeum exaudio. Sed quoniam huic literæ quodammodo bellum indiximus, ex aliis aliquot ſedibus quas iniuſtè occupauerat, extrudamus. Apud Senecam 1 ſic legitur. Beneficium eſt arentibus ſiti & vix ſpiritum per ſiccas fauces ducentibus monſtrare frontem. At quid opus eſt fronte ſitientibus? aut quis omnium homo (dum tamen ſiccus ſit) nõ ſibi fontem potius, quàm frontem exhiberi cupiat, & apud Senecam recognoſcat? Apud Ammianum Marcellinum in vocabulo Turbæ ter peccatum reperi: deleta enim R litera, quæ tot ac tantas turbas excitat, Tubæ nomen ſuis locis reſtituendum eſſe autumo: idque verbis ipſis inſpectis atque perpenſis, illico patebit. Verba hæc ſunt 2. Ardẽtius multo quàm anteà pugnabatur, hinc inde concinentibus turbis. Legendum Tubis, cùm ratio ſuadet, tum alterius loci ſimilitudo cõprobat: vbi ſic legitur[3]: omnes centurias & manipulos & cohortes in concionem vocauit, concinentibus tubis: hoc autem eſt, quod alicubi Suetonius concinentibus ſignis dixit 4. Item quo loco ita ſcribitur apud eundem Marcellinum[5]: Reparatur lucis exordio prælium incitamento turbarum, Repono Tubarum: nam & alibi[6]: Denſis itaque ordinibus (inquit) tum tubarum incitamentis, latera oppidi cuncta adortus alacris miles, &c. Denique vbi ſic eſt[7]: Signóque erecto, quod ſolet ad pugnam hortari, turbarum minacium accedente clangore. Turbas equidem auerſor penitus, idémque Tubas libenter audio: qui ſcio Tubarum clangorem ſæpe apud Marcellinum, & æneatorum clangorem legi: Tubarum, inquit[8], perciti clangore caſtrenſium diſcedebant: &[9], Iámque clangore Martio ſonantibus tubis ſtrepebant vtrinque partes, & 10 æneatorum clangore ductante vrbem, vt mox caſuram terribili corona cinxerunt. Sed apud Cæſarem quoque in Manutianis libris annis LXIV. eundem errorem ſe inſinuaſſe mirum, & verum eſt: qui tamen error (me iudice) non ipſi Manutio viro doctiſſimo, ſed operis eius librariis tribui debet. Nam quo loco 11 Hirtius de victis & fugatis Bellouacis & interfecto Corbeo loquitur: Cùm aduentare (inquit) Romanos exiſtimarent, concilio repente cantu turbarum cõuocato conclamant, vt legati obſidéſque ad Cæſarem mittantur. Ex veteri meo codice manuſcripto reſtituẽdum (id quod in quibuſdam impreſſis legitur) Cantu tubarum, aſſeuero. Adeò autem ea mihi ſuſpecta eſt litera qua de agimus, vt ex vno Ciceronis in Piſonem loco tollendam aliquando ſenſerim, atque adhuc eximendam eſſe affirmare auſim. Verba Ciceronis[12] hæc ferè ſunt: Ego iſtius pecudis ac putidæ carnis conſilio ſcilicet aut præſidio niti volebam. Hìc autem etſi non ignoro putidam carnem ſic poſſe accipi, quemadmodum eiectum cadauer, quod verbum ſtatim ſubiicitur: attamen vt canem potiùs quàm carnem à Cicerone nominatam exiſtimem, haud leuibus argumentis atque rationibus adducor: quas ideò lubet proponere, vti ne incautum aliquem viri optimè de literis meriti & amici mei, (qui coniecturam hanc ſibi neutiquam probari ſcripto teſtatus eſt) auctoritas forſitan moueat, & in contrariam ſententiæ noſtræ opinionem facilè

1 *lib. 3. de beneſic. cap. 8.*
2 *lib. 20.*
3 *lib. 21.*
4 *in Tiberio cap. 37.*
5 *lib. 21.*
6 *lib. 20.*
7 *lib. 27.*
8 *lib. 19.*
9 *lib. 24.*
10 *lib. 19.*
11 *lib. 8. commẽtar. Cæſaris de bello Gallico.*
12 *ex oratione in Piſonẽ*



cilè traducat. Primùm igitur malo Canis, quàm carnis: quòd carnẽ alio eius orationis loco non nominat Cicero, Canem appellat: cùm ait paulo pòſt, His tu Clodiane canis inſignibus Conſulatum declarari putas? Canis nanque nomen in fœminino etiam genere frequenter apud Plautum[1], Horatium[2], Perſium 3, Claudianum 4, Senecam 5, alióſque auctores bonos legere meminimus. Id autem in conuiuio & maledicto ponebatur apud veteres: Terentius Chermetem & Gnathonem ſic loquentes facit inter ſe, quodam loco 6:

*CH. Diminuam ego caput tuum hodie, niſi abis.*
*Gn. ain verò canis?*
*Siccine agis?*

Horatius in maledicum quendam poetam:

*Quid immerenteis* (inquit) *hoſpites vexas canis*
*Ignauus aduerſum lupos?*
*Quin huc inaneis ſi potes vertis minas,*
*Et me remorſurum petis?*

Demetrium Cynicum Veſpaſianus in itinere obuium ſibi poſt dominationem, ac neque aſſurgere neque ſalutare ſe dignantem, oblatrantem etiam neſcio quid, ſatis canem habuit appellare, vt Suetonius refert 8. Sed & Menæchmus Soſides apud Plautum, ita mulierem alloquitur 9:

*Non tu ſcis mulier, Hecobam quapropter canem*
*Græci eſſe prædicabant? Mu. non equidem ſcio.*
*Me. Quia idem faciebat Hecoba quod tu nunc facis,*
*Omnia mala ingerebat, quẽnque aſpexerat,*
*Itaque adeò iure cœpta appellari canis.*

Hoc Plautus: qui & alibi Olympionem villicum, & Stalinonem ſenem ita inuicem loquentes inducit 10:

*St. Quid iſtuc eſt qui cum litigas Olympio?*
*Ol. Cum eadem qua tu ſemper. St. cum vxorène hem mea?*
*Ol. Quam tu mihi vxorem? quaſi venator tu quidem es,*
*Dies atque noctes cum cane ætatem exigis.*

Beatus Paulus ad Philippenſes 11: βλέπετε τοὺς κύνας, inquit, βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας, βλέπετε τὴν κατατομήν, (*Cauete canes, cauete malos operarios, cauete conciſionem*) Hieronymus in prooemio catalogi ſcriptorum eccleſiaſticorum 12: Diſcant ergo Celſus, Porphyrius, Iulianus, rabidi aduerſus Chriſtum canes, diſcant eorum ſectatores, qui putant eccleſiam nullos philoſophos & eloquentes, nullos habuiſſe doctores, quanti & quales viri eam fundauerint, extruxerint & ornauerint, & deſinant fidem noſtram ruſticæ tantùm ſimplicitatis arguere, ſuámque potius imperitiam agnoſcant: & alibi 13: huiuſcemodi oratores contra Apoſtolos pertonant, imò tam rabidi canes contra Chriſti latrant diſcipulos. & compluribus in locis, quos referre piget, hoc vocabulum eodem ſenſu apud Hieronymum accipitur 14. Id Horatius licet ad contumeliam, alia tamen ſignificatione pertraxiſſe videtur in illo loco 15:

Auidienus
*Cui canis ex vero ductum cognomen adhæret,*

1 *Capteiueis act. 3. ſc. 1. & in Pœnulo. act. 5. ſce. 4.*
2 *Ode 5. Epodon. & epiſtol 2. lib. 2. & ſat. 8. lib. 1. ſerm.*
3 *ſatyra 1. & 5.*
4 *li. 3. de laudib. Stilicon.*
5 *lib. 1. de ira ad Nouatũ cap. 1.*
6 *Eunuchi act. 4. ſc. 7.*
7 *in lib. Epodon ode 6.*
8 *in Veſpaſiano cap. 13.*
9 *in Menechmis act. 5. ſc. 1. vide & ſcen. 5.*
10 *Caſina act. 2. ſc. 5.*
11 *cap. 3.*
12 *ad finem.*
13 *aduerſus Vigilantiũ.*
14 *Apologia aduerſus Ruffinũ initio lib. 2. & per totũ lib. & lib. 3. aduerſ. Pelagi. & in epiſto. ad Pãmach. & Marcell.*
15 *ſat. 2. li. 2.*

*Quinquenneis oleas eſt, & ſyluestria corna.*

Tum verò non ſatis apta mihi videtur illa pecudis & carnis coniunctio apud Ciceronem: Pecudis autem & canis, quæ viro illi erudito diſplicet, copulatio, arridet mihi, qui pecudum nomine oues, capras, boues, equos, mulos, aſinos, & ſues, non etiam canes ac multo minus beſtias, vtputa leones, vrſos atque pantheras contineri, de Iuris auctoribus [1] didicerim: & prætereà meminerim apud Xenophontem [2] legere: τὸ δὲ κεκινῆσθαι ὑπὸ τῶν βρωμάτων καὶ τῆς πόσεως, πάνυ αὐτοῖς κυνικὸν καὶ θηριῶδες δοκεῖ εἶναι, (id eſt, *Cibo & vino tentari & commoueri valde ipſis caninum & belluinum eſſe videtur.*) Denique Catullus, mœcham quandam & canem & putidam vocat his elegantiſſimis & feſtiuiſſimis hendecaſyllabis:

1 l. 2. §. 1. & l. quemadmodum. §. hac actione ex hoc legis capite D. ad leg. Aquil.
2 lib. 5. de Inſtit. Cyri.
3 al. mimicè

*Quæ ſit quæritis? illa quam videtis*
*Turpe incedere [3], myrmicè ac moleſtè*
*Ridentem catuli ore Gallicani,*
*Circumſiſtite eam & reflagitate,*
*Mœcha putida redde codicillos,*
*Redde putida mœcha codicillos:*
*Non aſſis facis ô lutum, lupanar,*
*Aut ſi perditius pote eſt quid eſſe:*
*Sed non eſt tamen hoc ſatis putandum.*
*Quod ſi non aliud pote eſt, ruborem*
*Ferreo canis exprimamus ore:*
*Conclamate iterum altiore voce,*
*Mœcha putida redde codicillos, &c.*

Putidam vocat Catullus, quòd haberet os fœtidum & dentes putridos: Canem vel propter oris impudentiam, vel propter vomitus & eructationes, quæ omnia Cicero quoque Piſoni exprobrat: præstereà mœcham Catullus lutum, Piſonem Cicero cœnum, Piſonis vitia lutulenta nominat. Igitur vt mœcham à Catullo canem, ſic etiam à Cicerone non carnem, ſed canem potius Piſonem vocatũ fuiſſe probabiliter veréque dicimus: atque ita caninã literam R,

*Irritata canis quod, homo quàm, planiu' dicit,* vt eſt apud Lucilium, de medio tollendam eſſe iudicamus, quòd ea nomen paternum petulanter adeò atque impiè inuaſerit, vt ipſum pene patrem confoderet. Auidieno autem canis cognomen conuenire apud Horatium præter omnium etiam recentiorum interpretum opinionem intelligimus, quòd de parco & ſordido nedum tenui victu Auidienus vteretur, & prandium abſtemium, in quo nihil vini potatur, plerumque ſumeret: quod, quoniam canis vino caret, caninum dicebatur, vt A. Gellius refert [4]: qua ratione caninam à Plauto [5] cœnam eſſe nominatam cenſeo: quamobrem ſubiicit poeta:

*Ac niſi mutatum parcit defundere vinum.*

Vbi mutatum vinum exponimus (vt hoc quoque quod ab iiſdem interpretibus omiſſum eſt, auctarij cuiuſdam vice apponatur) vel aqua nimia dilutum & prope perditum, iuxta Græcorum illud prouerbium, ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ: (*Vinum perdidiſti aquam infun-*

4 ca. vlt. li. 13. noct. Att.
5 in Caſina act. 5. ſce. vlt.



*dens.*) cuius Athenæus meminit, vel ita vt vappam ſignificet, quódque vt Græci ἐκτροπίαν, ita nos materna lingua (*vin tourné*) vinum verſum dicimus: quippe cuius ſapor deperierit, quódve acuerit: huius etenim vt qualitas omnino diuerſa, ſic eadem prope cum vino ὁσία [1] eſt, ſi Iuriſconſulto credimus [2]: adeò vt Surrentinum vinum Tiberius Cæſar generoſum, acetum C. Cæſar qui ſucceſſit illi, nobilem vappam vocaret, auctore Plinio [3]. Sanè Auidienum veteris aceti non parcum, idem poeta paulò pòſt nominat, ad mutatum potius & acidum vinum aſpiciens, vt arbitror, quàm ad illud quod ab initio acetum fuit, quódque ἔμβαμμα, *intinctus*, Vlpiano [3] & ὄξος σκευαστὸν, *acetum factitium*, Conſtantino Harmenopulo [4] dicitur, quale eſt τὸ ὄξος ἐσκευασμένον διὰ τῶν σκιλλῶν, ὃ δὴ καλοῦσι συνήθως ἅπαντες ἤδη σκιλλιτικὸν, (*acetum ex ſquillis paratum, quod etiamnum vulgo ſquillinum vocare ſolent*) vt Galenus [5] tradit.

1 l. in venditionibus. 9. in fi. D. de cõtrah. empt. & vendit.
2 li. 14. c. 6.
3 d. l. in venditionib. §. vlt. D. de cõtrah. empt. & l. ſi quis vinum. 9. §. ſi acetum. D. de tritico vino & oleo leg.
4 lib. 3. epit. tit. 3.
5 volum. 4. ἐν τῷ τῷ ἐπιληπτικῷ παιδὶ ὑποθήκη.

---

*Ex filijſam. contractu vel delicto, quatenus filius ipſe vel paterſam. viuo & retento in poteſtate mortuóve, aut emancipato ante póſtve litem conteſtatam, aut ſententia terminatam filio: itémque ante, póſtve filij dãnationem teneatur. Explicata l. 3. §. ex futura D. de peculio. & l. 3. §. ſi filioſa. D. rer. amot. & de tranſlatione iudicij à filio in patrem exponitur, & emendatur l. Tam ex contractibus. 57. D. de iudicijs.*

## CAP. XII.

ADmodum prudenter, meo quidem iudicio, conſtituerat Iuſtinianus [6] ne διὰ σημείων per ſiglorum ſiue ſinglarum captiones, malitias, obſcuritates, & compendioſa ænigmata, ſed δι᾽ ὅλου, *integrè*, & per literarum conſequentiam libri legum exſcriberentur: librarium qui ſecus faceret pœna falſi teneri, & librorum vtpote domino inutilium æſtimationem in duplum ei reddere ſanxerat: cogitans futurum eſſe, vt ſi more quiſque ſuo per compendia dictionum eos exſcriberet, alius verò ex animi ſententia interpretaretur, quæ in iis legendis obſcura reperiſſet, à multis nec admodũ accuratis, nec intelligentibus librariis multa magnáque, ac horrenda etiam errorum monſtra in pulcherrimum optimorum librorũ latifundium inueherentur: id quod & olim euenerat, & poſteà quoque neglecto Iuſtiniani præcepto accidit. Ea monſtra nos non igne aut ferro, ſed aſſiduo & indefeſſo animi labore, literaria denique armata vi perſequimur, atque adeò vnum ingens de medio nunc iam tollemus, fugabimus quidem certè: quo faciliùs autem id exequamur, hac via & ratione adoriri placet.

6 l. 1. ad fin. l. 2. §. eãdem verò pœnã. C. de vet. iu. enucl. conſtitutione Latina & Græca Pãdectis Florentinis præpoſita.

Si quis cum filiofam. contraxerit, duos habere debitores filium in ſolidum, & patrem duntaxat de peculio Vlpianus ait [7]. Sed & ex cauſa delicti, quoties nemo filiumfa. defendit, in eum iudicium dari Iulianus docet [8]: vtrunque his verbis quæ proponemus extulit Caius [9]. Filiusfam. ex omnibus cauſis tanquam paterfam. obligatur,

7 l. ſi quis cũ filiofa. 45. D. de peculio.
8 l. quoties enim. 33. D. de noxal. act.
9 l. filiusfa. D. de oblig. & action.

& ob id agi cum eo, tanquam cum patrefam. poteſt: & Vlpianus[1]
Tam ex contractibus, inquit[1], quàm ex delictis in filiumfa. com-
petit actio. In patrem verò actio datur de peculio ex omnibus filii
fam. contractibus, adeò vt etſi filius fideiuſſor vel quaſi interuen-
tor acceptus ſit, vel compromiſerit, de peculio patrem obliget[2].
Sed & ſi filiusfa. minor contraxerit, & captus ſit qui ipſe in ſolidũ
ex contractu conuentus reſtitutionis auxilium rectè poſtulat, pater
tamen eius de peculio tenebitur, neque beneficio reſtitutionis in
integrum adiuuatur[3]. Itémque ſi eius obligationis nomine, ex qua
in patrem agi non potuit de peculio, filiusfa. in ſolidum condemna
tus fuerit, actione iudicati pater de peculio tenebitur: quia ſicut ſti
pulatione, ita iudicio quoque cum filio contrahitur, nec origo iu-
dicij, ſed ipſa iudicati velut obligatio ſpectatur: ídque Papinianus
apud Vlpianum docet[4]. Idémque putat, ſi quaſi defenſor condem-
natus fuerit, vt ſcilicet iudicati actio aduerſus patrem de peculio
detur. Planè ſi cum impubere filiofa. contractum ſit, eatenus in pa-
trem actio de peculio datur, quatenus impuberis peculium locu-
pletius effectum fuerit[5]: cuius diuerſitatis rationem nullam proba-
bilem Bartolus, vt opinor, adfert. Ego hanc eſſe cenſeo, quòd ipſe
quoque filius hoc caſu in ſolidum conueniri non poſſet, ſed quate-
nus impubes locupletior factus eſſet, quatenus etiam in impuberẽ
patremfa. dandam eſſe actionem Imperator Antoninus Pius reſcri
pſit[6]. Sed & ſi delictum verſetur in contractibus filiifa. actio de pe
culio in patrem competit[7]. Plus eſt quod dico, ex pœnalibus cauſis
(ex quibus non ſolet in patrem de peculio actio dari, vt Vlpianus
definit[8], & nos ſuo loco[9] explicauimus) in quantum locupletior
effectus eſt pater in id quod ad patrem peruenit, actio de peculio cõ
petit. Igitur ex furtiua cauſa præter quàm quòd à filiofa. qui fur-
tum admiſit condici poſſe conſtat[10], in patrem quoque dominúm
ve, in quantum locupletior factus eſt, ex furto facto actionem dan
dam verius eſt, vt ſcribit Vlpianus[11]: cuius verba ſic accipe, non vt
ex furto agatur condictitia aduerſus patrem aut dominum de pe-
culio quatenus locupletior eſt ob peculium ſerui vel filiifa. nam ita
ſimpliciter de peculio ex pœnali cauſa teneretur, quod fieri non ſo
lere diximus, ſed potius vt ex furtiua cauſa, quæ pœnalis eſt, in id
duntaxat teneatur pater aut dominus actione condictitia, quate-
nus peculium ex furto alióve quo delicto ſimili (vt puta ex rebus a-
motis, quarum paulò poſt Vlpianus idem commeminit) locuple-
tius effectũ eſt: & hoc Iulianus quoque ſenſit, cùm apud Paulum re
ſpondit[12] ex perſona filiæ quæ res amouit, dandam condictionem
in peculium. Itémque Mela & Fulcinius apud eundem Paulum[13],
ſi filiafa. res amouerit, vel in ipſam ob res amotas dari actionem in
ſolidum ſcilicet, & rerum amotarum quia diſplicuit eam furti obli
gari: vel de peculio dandam actionem aduerſus patrem. De peculio
autem, id eſt quatenus ex ea pœnali cauſa ad patrem peruenerit, nõ
quatenus peculij totius feret æſtimatio: ſic.n. Papinianus ipſe expo
nit[14]. Viua quoque (inquit) filia quod ad patrẽ ex rebus amotis per
uenit,

*10 l. tam ex cõtractibus. 57. D. de iudiciis.*
*2 l. 3. §. ſed ſi filius. D. de peculio. l. 1. § 1. C. Ne filius pro patre.*
*3 l. §. ſed vtrũ. verſ. ſed an hoc. D. de minoribus.*
*4 d. l. 3. §. Idẽ ſcribit. D. de peculio.*
*5 l. 1. §. ſi cum impubero. D de peculio.*
*6 l. pupillus. D. de auctor. tutor.*
*7 l. ex cõtractibus. D. de obli. & act.*
*8 l. ex pœnalibus. 58. D. de reg. iur.*
*9 in commentario ad tit. D. de reg. iu.*
*10 l. 3. §. ex furtiua. D. de peculio. l. ex cauſa, D. de condict. furt.*
*11 l. 3. §. ex furtiua. D. de peculio.*
*12 l. pen. D. de cõdic. fur.*
*13 l. 3. §. ſi filiof. D. Rer. amotarum.*
*14 l. viua. 5. D. Rer. am.*



uenit, vtili iudicio petendũ eſt: & ſanè quẽadmodũ ex cauſa furtiua
ſoli filiofa. vel eius hæredi cõdici poteſt, auctore Iuriſcõſulto[1], non
etiam patri, vt ſcilicet pater non de ſolida re præſtanda vel eius ve-
ra æſtimatione, ſed de eo quo auctũ eſt peculium obligetur: ita & ex
rebus amotis vt arbitror, nec vlla diuerſitatis ratio adferri poteſt.
Quamobrẽ illa Vlpiani verba[2], Et eſt verius in quantum locuple-
tior dominus factus eſt, ex furto facto actionem de peculio dandã,
nõ ita vt in omnibus etiam Florentinis excuſis diſtinguntur legẽda
ſunt: ſed potius poſt verbum, Ex furto facto, ſicilicus adponatur, íd-
que ad ea quæ præcedunt non quæ ſequuntur referatur: nã & alio
loco[3] Vlpianus noſter libro 41. ad Sabinum: Si ſeruus vel Filiusfam.
furtum cõmiſerit, condicendum eſt domino id quod ad eum per-
uenit. & Imperatores eum cuius ſeruus aliena bona vi rapuit, ſi cõ-
uentus noxali iudicio ſeruum noxæ dedere maluerit, nihilominus
in id quoque teneri quod ex bonis raptis ad eũ peruenerit ſtatuũt[4].
Hoc ita, ſi actio aduerſus ſeruũ filiúmve inſtituta nõ fuerit. At ſi cõ
demnato filio (qui iudicatum facere debet cùm teneat condemna-
tio, ſed non poteſt, quia forſitan caſtrenſe peculiũ aliúdve quid in
bonis nõ habet) regreſſum habeat actor ad patrẽ, quid fiet? aut qua
tenus patrem cõueniri poſſe dicemus? Vlpianus eodem libro 41. ad
Sabinum ait[5], patrem quoque poſt condẽnationẽ filij duntaxat de
peculio poſſe conueniri: quod ſic accipio, vt quamuis ſi ex pœnali
cauſa primùm aduerſus patrẽ actum fuiſſet, non in amplius ex deli-
cto filij condemnatus foret quàm ad eum perueniſſet, vt iam docui
mus: attamen quia primum cum filio iudicium cõſtitutum, eóque
iudicio filius condemnatus eſt (qua ratione cum filio quaſi contra-
ctum intelligitur) iudicati quoque actione patrẽ de in rẽ verſo, ſed
& ſi nihil verſum ſit, neque locupletior ex filii delicto pater effectus
ſit, de peculio teneri exiſtimem ex Papiniani[6] ſentẽtia, cuius paulò
antè mẽtionem fecimus. Atque hæc quidẽ locum habẽt cùm filius
aut viuo filiofam. pater ex contractu vel delicto ipſius filij cõueni-
tur. Sin autem filius ex poteſtate patris exeat, ex contractibus quidẽ
actio in filiũ datur, cauſa cognita, in id quod facere poteſt[7], præter
quàm ſi patremfam. ſe eſſe cùm contraheret mentitus fuerit, dolo
etenim fecit[8]: ex delictis verò, in ſolidũ adhuc conuenietur filius[9].
Pater verò quatenus tenebitur ex cõtractibus aut delictis filij, qui
vel deceſſerit, vel per emãcipationẽ aut alias de poteſtate patris ex-
ierit, vidẽdũ eſt: & conſtat perinde patrẽ teneri, vt ſi filius viuus vel
in poteſtate ipſius eſſet: niſi quod actio de peculio, quæ perpetua
fuiſſet, tẽporaria eſſe incipit, & vſque ad annum vtilẽ producitur,
quo elapſo euaneſcit ex edicto[10]. Quòd ſi poſt litẽ cœptã & cũ filio
cõteſtatã deceſſerit filius, transferetur quidẽ iudiciũ in patrẽ: ita ta
men, vt in tantũ condẽnetur in quantum viuo filio & in poteſtate
retento eum teneri diximus: ſed intra annũ duntaxat. Idémque dici
debet, ſi finito ac terminato iudicio filius deceſſerit: nã ſi quidẽ ex
delicto cõdẽnatus fuerit filius, & ante quã iudicatum faceret quod
debebat mortuus fuerit, iudicati actionem aduerſus patrem de
in rem verſo & de peculio intra annum dari, qua in ſolidum

*1 l. ex cauſa D. de cond. furt.*
*2 d. §. ex furtiua.*
*3 l. ſi ſeruus 4. D. de condic. fur.*
*4 l. 4. C. de noxal. actio.*
*5 l. & ſi non denmatus. 35. D. de noxal. actio.*
*6 vide l. 3. §. Idem ſcribit. D. de peculio. & quæ ſcripſimus in commentario de regulis iuris ad l. 10. eius tit.*
*7 l. 3. §. ſed vtrum verſic. proinde. D. de minorib. l. 2. D. quod cum eo. l. ſi dubitet. §. ſi filiusfa. D de fideiuſſor. l. tutorẽ qui tutelã verſic. & ſecundũ D. de adminiſt.*
*8 l. 4. §. interdum. & l. eum qui D. quod cum eo. l. qui cum ſe patrem D. de re iudica.*
*9 d. §. Interdum.*
*10 l. 1. D. Quando de peculio actio annalis eſt. l. tutorem qui tutelam. 38. §. vlt. D. de admin. & peric. tut.*

& perpetuo aduerſus filium ſi viueret experiri actor potuiſſet, nemo negauerit. Sed & ex contractu, mortuo filio poſt litis conteſtationem, transferri iudicium in patrem dũtaxat de peculio, & quod in rem eius verſum eſt, Vlpianus eodem libro 41. ad Sabinum ait[1], cuius verba ad actionem ex contractu, non ex delicto pertinere alibi oſtendimus [2], & ex eo ſatis apparet, quod de in rem verſo & de peculio actionem transferri dicat in patrem: quem ex pœnalibus cauſis de peculio non teneri conſtat, ſed in id tantùm quod ad eum peruenit. At quod lite conteſtata, tum deinde mortuo filio, iudiciũ de peculio in patrem transferri dicit, transferendi non dandi verbo vtitur, ideo quia iam cœptum eſſet iudicium aduerſus filium. De peculio autem conuenitur pater mortuo filio vtiliter & rectè, ſi intra annum vtilem à morte filii iudicio pulſatur. Si lis non modò cœpta, ſed finita eſſet cum filio, poſt eius mortem non transferri actio vetus in patrem ſed noua, iudicati ſcilicet de peculio in eum dari diceretur. Nam & in hac ſpecie, Si videlicet quaſi procurator alicuius filiusfa. iudicium acceperit, mortuo eo in eum quem defendit tranſire ſiue transferri actionem veterem quæ cœpta & inſtituta eſt, vel ea finita & ſequuta condẽnatione filiifa. procuratoris, actionem iudicati aduerſus eum quem ipſe defenderit, dari Vlpianus noſter tradiderat [3] iis verbis, quæ vt librariorum aut notariorum potius latiſſima culpa (dum celerius quàm diligentius ſcribunt) in omnibus etiam Florentinis libris deprauata paſſim leguntur, atque vt ea corrigi reſtituíque oportere iudico, lubens proponam. Vulgata excuſorum librorum lectio ſic habet: Mortuo eo in eum quem defendit iudicii tranſlatio datur. Quam lectionem (etſi paulo aſperior ea eſt) non omnino aſpernandam putarem, quippe cùm alibi quoque ſic Vlpianus idem de operarum iudicio [4] tranſlationem hę redi extraneo non eſſe dandam, & de injuriarum actione [5] ſi pater eius, cui contumelia illata eſt, lite conteſtata cœperit abeſſe, vel etiã negligere exequutionem pater vilis, cauſa cognita tranſlationẽ filio competere ſcripſerit: niſi me Pandectæ Florentinæ (quæ vt vetuſtate, ſic etiam auctoritate aliis omnibus antiſtant) ad veram & germanam lectionem veluti manu ducerent. Nam etſi hoc modo, In eum quem defendit tranſactio vel iudicati datur, atque adeo perperam ſcriptum habent, cùm neque quò pertineat, nec quò referendum ſit Tranſactionis vocabulum, nec quemadmodum de eo ſatis commodè tranſigi queat vllus viderit: attamen ſi quiſquam hominum politiorum hæc verba Transfertur actio (quæ pro illo Tranſactio apud Vlpianum reſtituimus) legerit, non dubitamus quin Iuriſconſulti mentem, ſed verba etiam ipſa nos aſſecutos eſſe fateatur, & pro ſanato tam deſperato loco (qui quo melius habere videbatur hoc magis laborabat) Vlpianum ipſum aliquam nobis gratiam debere ſentiat. Equidem etſi nulla in re Suffenus videri velim, attamen cùm cogito quanto ſit plenior, quantóque elegantior lectio quam reſtituimus (vt pote cùm duos litis videlicet conteſtatæ & ſententiæ prolatæ caſus complectatur, quorum priori duntaxat vetus

*1 l. tam ex contractibus 57. D. de iudic.*
*2 ad l. ex pœnalibus. D. de reg. iur.*
*3 l. tã ex contractibus. in fin. 57. D. de iudic.*
*4 l. ſi operarum. 29. D. de oper. liber*
*5 l. ſed ſi vnius. §. ſed et ſi pater. D. de iniur.*



tus lectio accommodari poteſt, Florentina neutri congruit) & quia ſua quæque delectant, de hac quidem opera noſtra cùm mihi gaudeo, tum præſtantiſſimo Iuriſconſulto gratulor. Illi autem ſcriptori librario qui pro Transfertur, ne verbum iam ſemel exaratum denuo poneret, ac tãquam integrum facile perciperetur, dimidiatum & mutilum hoc modo Trãſ. adhibito puncto ſcripſerat, malè alios precari ſinam.

*Tranſlatio litis à domino in procuratorem à procuratore in dominum vt fiat. Præſentia domini quam vim habeat. Procuratori vel aduerſus eũ quando actio iudicati competat vel non. Vtiles actiones directis præferri. De tranſlatione iudicij à tutore in pupillum à domino in manumiſſum ſtatuliberum, eúmque qui ad libertatem proclamauit, & de actione iudicati. Exponuntur l. ordinata. D. de libera. cauſa. l. Prætor. D. de noxal. action. & confirmatur emendatio l. Tam ex contractibus. D. de iudic.*

## CAP. XIII.

SEd de tranſlatione iudicii quæ diximus, vt omnino intelligantur, ſciendum eſt, aut iudicis, aut partium, id eſt litigatorum intuitu tranſlatum iudicium dici: & ab vno quidem iudice in alium transferri cum Vlpiano [1] pronunciamus, ſi iudici nouo res rurſum iudicanda committatur, quo de genere hîc loqui non inſtituimus. Ad illud autem alterum quæ pertinere videbuntur, omnia ſi poterimus è noſtris, id eſt Iuriſconſultorum libris proferemus. Atque hoc quidem imprimis admonebimus, non modò ex parte actoris translationem litis in procuratorem fieri poſſe [2], quo caſu ſtipulatio iudicatum ſolui à reo facta, domino qui ſatis accepit committitur: ſed etiam reum qui proprio nomine iudicium accepit, ſi velit procuratorem dare in quem actor transferat iudicium, audiri debere: ita vt ſolemniter pro eo iudicatum ſolui ſatiſdatione caueat [3]: nihil enim arbitrantur intereſſe Imperatores [4] vtrum ab initio, an cœpta iam lite negotium ad perſonam procuratoris tranſitum fecerit. Rurſùm illud tenendum eſt, dominum ſiue actorem ſiue reum, quomodo ante litis conteſtationem mutandi procuratoris vel accipiendi iudicii liberam poteſtatem habet, ſic à procuratore in ſe iudicium transferre poſſe poſt litem conteſtatam ſed cauſa cognita [5]: non temere igitur, ſed cum cauſæ cognitione id permittitur, propterea quòd litis conteſtatione cum procuratore facta, ipſe procurator propemodũ dominus litis efficitur [6]: adeo vt Seuerus & Antoninus Impp. non videri ſibi rationem habere ſententiam eius reſcripſerint [7], qui cùm cognouiſſet inter petitorẽ & procuratorem, non procuratorem ſed ipſam dominam litis condemnauit, cuius perſona in iudicio non fuit: poſſéque vt re integra denuo de cauſa cognoſci: Debuit enim iudex in perſona procuratoris non etiam domini ſiue mandatoris ſententiã concipere, quo-

*1 l. pen. §. vl. D. de vacat. & excuſat. mun.*
*2 l. in cauſæ. §. ſi ex parte D. de procu.*
*3 l. qui proprio. 46. D. de procurat.*
*4 l. nihil arbitramur. C. eod.*
*5 l. ante litem l. poſt litẽ & ſeqq. l. in cauſæ. D. de procuratoribus.*
*6 l. procurat. l. nulla. C. eo. tit.*
*7 l. 1. C. de ſenten. & interlocut. om. iudic.*

niam lite conteſtata ille rem ſuo iam quodãmodo nomine exequitur, vt de dolo eius excipi poſt litem conteſtatam poſſit 1, ipſéque alium procuratorem rectè det, quòd ante litem cõteſtationem inutiliter faceret [2]. At quemadmodum lite conteſtata, iudicium à procuratore transferri niſi cauſa cognita non poteſt, ita interdum accidit (quod forſitan aliquis miretur) vt ſi lite conteſtata poſtulet dominus, cuius nomine defenſor ſine mandato alius extitit litem ſuo nomine ſuſcipere, non aliter ipſe dominus audiatur (vt Modeſtinus ait [3]) niſi cauſa cognita: cùm ſcilicet ante litem conteſtatam in præſentia fuerit dominus: domini enim defenſori adſidentis præſentia vim talem habet vt mandato comparetur, & defenſor, cui dominus adfuit, non iam pro defenſore, ſed pro vero procuratore habeatur: quòd nec Accurſio nec Bartolo ſuboluit, verbis tamen Iuriſconſulti omnino congruit: ſed rationi quoque ac iuri conſentaneum eſſe dixerit, qui & in vero procuratore, præſentiam domini vt & eius ad aduerſarium literas huius eſſe poteſtatis didicerit (quod Modeſtinus idem addocet [4]) vt & ſi poſtea mutata voluntate procuratorem eſſe noluerit, tamen iudicium quo procurator expertus eſt ratum eſſe debeat. Cæterùm translationem iudicii vt à procuratore in dominum etiam poſt litis conteſtationem, cauſa ſcilicet cognita, ita & in alium procuratorem fieri iure poſſe nemo negauerit. De aſſertore profectò non dubitatur ſi poſt ſuſceptum liberale iudicium cauſam deſeruerit, in alium aſſertorem omne iudicium transferri: nam hoc ita placuiſſe Paulus 5 refert. Translatione autem iudicii à procuratore in dominum actorem facta, ſtipulatio quoque iudicatum ſolui à reo facta committitur, & à procuratore qui ſatis accepit, in dominum transfertur [6]. Iudicio autem à defenſore (qui, cùm dominus abeſſet, ipſe iudicatum ſolui cautionem expoſuerat) in dominum reum poſtea translato, non committitur ſtipulatio iudicatum ſolui [7]. Illud omittendum non eſt, quod ex Iuliani quodam reſponſo [8] colligitur, quando ſi abſentis defenſor ſatiſdederit, & ante quam iudicium ipſe acciperet, ſoluendo reus eſſe deſierit, fruſtra defenſor iudicium recuſaturus eſt: qui cùm ſatiſdederit domini loco habetur, & fideiuſſoribus obligabitur ad quos actor ire poteſt: ex eo ſequi, vt non facilè à defenſore, qui iudicatum ſolui cauerit, niſi cauſa cognita translatio accepti iudicii permittenda ſit: quod actoris nonnunquam, vt ſuperiore caſu, interſit cum defenſore potius, qui rectè cauerit, quàm cum domino qui ſoluendo non eſt experiri. Sed & à procuratore, qui mandato domini iudicium ſuſceperit (niſi cauſa cognita) litem cœptam necdũ finitam transferri nõ poſſe verius eſt: & manente iudicio, vt Paulus ait [9], ſine iuſta cauſa nõ debet cum domino procurator agere, vt transferatur iudicium in dominum: nondum enim perfecit mandatum. Hæc viuo defenſore vel procuratore locum habent, ſed & procuratore mortuo iudiciũ in mandatorem ſiue dominum plerunque transferri verũ eſt, quod ipſe procurator acceperat: vt ex ipſo quod interpretamur Vlpiani reſponſo docuimus 10. Quòd ſi dominus litem in ſe nõ tranſtulerit,

procu-

1 *l. ſi procurator. §. 1. D. de doli except.*
2 *l. quod qua l. neque tuto res. §. vlt.* C. *de procurat.*
3 *l. is cuius nomine 64.* D. *de procurat.*
4 *l. ſi procuratorem 65.* D. *de procu.*
5 *lib. 5. ſent. tit. 1. §. vlt.*
6 *l. in cauſæ §. ſed ſi procurator. D. de procurat.*
7 *l. 1. §. vlt.* D. *Quib. mo. pig. vel hypoth. ſol. l. ſi ante. §. vlt.* D. *iudicat. ſolui.*
8 *l. Titius.* D. *de procu.*
9 *l. ſi mandato. § ſed ſi mandato* D. *Mandati.*
10 *d. l. tã ex contractib.*



procurator aut condemnatus fuerit aut vicerit, actio iudicati domino & in dominum hæredi & in hæredem, non cognitori vel in cognitorem, non procuratori vel in procuratorem datur: ſic accipio quod Paulus lib. 1. ſententiarum [1] tradit. Ideóque ſi in procuratorem detur, eam recte recuſabit: niſi in rem ſuam non alienam procurator factus ſit, & niſi ſe liti alienæ ex ſua voluntate, id eſt ſine mandato procuratorem vel defenſorem potius obtulerit: quæ omnia Paulus & Vlpianus tradunt [2]. Adde ex eiuſdem Vlpiani ſcriptis [3] tertiam exceptionem, niſi cum procuratorio nomine condemnatus eſſet, hæres ex aſſe domino litis extiterit. Sanè ſi actor malit dominum potius conuenire, quàm eum qui in rem ſuam procurator eſt, dicendum eſt ei licere 4. Idem actor filiofam. qui quaſi defenſor condemnatus fuit, omiſſo, iudicati actionem de peculio aduerſus patremfa. recte inſtituere poterit, vt noſter Vlpianus docet [5]. Sed & procuratore poſt condemnationem defuncto, dari actionem iudicati placere aduerſus dominum quem defenderit, & hoc Vlpianum ſenſiſſe [6] iamiam oſtendimus. Atque hæc quidem de procuratore ſiue defenſore condemnato ſic habent.

Quid verò ſentiendum, ſi procurator controuerſiam vſque ad exitum iudicij perduxerit & vicerit? Reſpondet Iuriſconſultus, actionem iudicati non procuratori, ſed domino indulgeri: quamobrem ſi agat iudicati, vel etiam ex ſtipulatu iudicatum ſolui procurator, nõ in rem ſuam datus, neque ad eandem rem procurator factus exceptione repelli debet 7. Sanè procuratore in rem ſuam dato, præferendum non eſſe dominum procuratori in litem mouendam, vel pecuniam ſuſcipiendam, dato ſcilicet à procuratore qui in rem ſuã factus eſt, Vlpianus ait [8]: hac addita ratione: Qui enim ſuo nomine vtiles actiones habet, rite eas intendit: ex quo ſequitur, vt ſi ipſe velit vtilibus actionibus experiri, repellatur dominus qui vel actione tranſlata in procuratorem in rem ſuam factum, vel actione iudicati aduerſus eum qui priore iudicio victus eſt, directa experiri velit. Nec nouum eſt, vtiles actiones præferri directis: nam & quo caſu à domino in procuratorem iudicium transfertur, ſi deinde procurator ſatis acceperit, licet procuratori committatur ſtipulatio iudicatum ſolui, tamen domino dandam vtilem actionem directa penitus tollenda Vlpianus ait 9. Atque hæc de tranſlatione iudicij à domino in procuratorem, à procuratore vel defenſore in dominum, ſatis ſupérque dicta ſint.

Procuratori autem in eo ſimilis eſt tutor, quòd ſiue condẽnauit, ſiue ipſe condemnatus eſt, iudicati actio nec ei nec aduerſus eum, ſed vel pupillo vel in pupillum datur [10], ſiue tutore auctore pupillus, ſiue ipſe tutor infantis præſertim vel abſentis iudicium dictauerit aut ſuſceperit: nec cogẽdus eſt tutor cauere, vt defenſores ſolẽt [11]. Cùm enim in ea conditione ſint tutor & curator, ait Vlpianus 12, vt non debeant videri ſe liti obtuliſſe, idcirco debet in eos denegari iudicati actio: nam etſi tunc propriè ac verè non videntur ſe liti obtuliſſe, cùm ad accipiendum iudicium auctores eſſe non

1 *tit. 2. de cognitor.*
2 *l. 4. in princi.* D. *de re iudica. facit. l. eum. qui.* D. *de minorib. l. ſi procurator meus. in fine l. Plautius ait.* D. *de procurat.*
3 *l. ſi quis cũ procuratorio. 31. in princ.* D. *de procur.*
6 *l. ſi actor. 29.* D. *de procuratoribus.*
5 *l. 3. §. Idem ſcribit. in fi.* D. *de peculio.*
6 *d. l. tam ex contractib. in fi.* D. *de indic.*
7 *l. ſi procurator. 28.* D. *de procurator. facit l. hoc iure.* D. *de ſolutio.*
8 *l. procuratore in rẽ. 55.* D. *de procurat.*
9 *l. in cauſæ. §. vlt.* D. *de procurat.*
10 *l. 2.* D. *de adminiſtr. tut.*
11 *l. 1. §. 1.* D. *de adminiſt. tut.*
12 *l. 4. §. tutor.* D. *de re iudicata.*

potuerunt, propter infantiam vel abſentiam pupilli aut adulti minoris, vt Imperator Pius reſcripſit [1]: attamen curatoribus condemnatis actionem iudicati vtilem aduerſus adultam dari Antoninus Caracalla reſcripſit [2], multis exinde, id eſt poſt Pium reſcriptis declaratum tutore condemnato ſemper in pupillum dandam actionẽ iudicati idem Vlpianus auctor eſt [3]: ſemper autem, id eſt ſine diſtinctione, ſiue auctore tutore pupillus iudicium acceperit, ſiue ipſe tutor pupillum defenderit, & ſiue pupillus infans vel abſens ſiue maior infante vel præſens eſſet, niſi abſtentus ſit hæreditate pupillus poſtquàm tutor eius rei quæ petebatur iudicatus fuerit, id eſt poſt condemnationem tutoris: quo caſu in tutorem non datur iudicati actio, non magis quàm ſi pupillus adoleuerit, aut matrem obierit: quæ omnia noſter Vlpianus tradit [4]. Quòd ſi non pupillus, ſed tutor qui ipſe iudicium ſuſceperat deceſſerit, vel tutela excuſatus aut aliàs remotus abierit, transferetur id iudicium in pupillum, vel iudicati actio dabitur, vt mortuo procuratore in dominum transferri vel iudicati dari oſtendimus. Sed quòd iudicati actionem ipſi pupillo dari diximus, ſi tutor condemnauerit & vicerit, tunc etiam locum habet, cùm ſecundum actorem decreto prætoris interpoſito relictum à tutore ſententia dicta fuerit: nam iudicati actionem ad pupillum non minus transferri, quàm ſi tutor obtinuiſſet, ex Papiniani definitione [5] conſtat: in qua trãsferendi verbum latiùs & pinguiùs paulò accipitur de actione quæ competit quidẽ, ſed eius nomine nondum cœpta lis & conteſtata eſt, cùm ea propriè transferri dicatur, quæ in iudicium deducta fuerit, vt ex iis quæ hactenus de tranſlatione iudicij tractauimus apparet. Quibus addatur id duntaxat, quod vno verbo expeditum erit: A domino quoque in ſeruũ hæredem & liberum eſſe iuſſum, itémque in ſtatuliberum, quíve ad libertatem proclamauerit, iudicij tranſlationem fieri. Ad prius membrum hæc Vlpiani verba [6] pertinent: Si eum hominem quem à Titio petieram, pro quo ſatis de lite acceperam, Titius liberum hæredémque reliquerit, ſi quidem re vera ipſius fuit, dicendum eſt iudicium in eum transferri, & ſi non patiatur id fieri, committi ſtipulationem. Ad poſterius verò quod Vlpianus idem ait [7]: Si ad libertatem proclamauerit is, cuius nomine noxale iudicium ſuſceptum eſt, ſuſtineri debere id iudicium quoad de ſtatu eius iudicetur: & ſi quidem ſeruus fuerit pronuntiatus (ait) noxale iudicium exercebitur, ſi liber inutile videbitur. Cùm autem eſt inutile iudicium noxale aduerſus dominum, tunc Prætor decernere debet, vt iudicium illud quod cœptum eſt in eum transferatur, ſecundum quem, cùm ad libertatem proclamaſſet, ſententia dicta eſt: finito autem iudicio noxali, & facta aduerſus dominum damnatione antequàm ſeruus ad libertatem proclamaret, qui poſteà liber eſſe pronunciatus eſt, actio iudicati non in dominum qui nec poſſidet, nec dolo poſſidere deſiit, ſed aduerſus eum qui ereptus eſt in libertatem competit: & hoc nimirum ſenſiſſe Vlpianum [8] exiſtimo, vbi ait: Si cũ poſſeſſore hominis furti agi noxali cœperit, deinde is cuius

*1 d.l.2.*
*2 l.1.C. Quãdo ex facto tutor.*
*3 d.l.2.*
*4 l.vlt. D. Si quis cautionib. facit l.5. in princi. D. quãdo ex facto tutor.*
*5 l. tutor 6. D. quãdo ex facto tutor.*
*6 l. ſi eum hominẽ 34. D. de fideiuſſ.*
*7 l. penult. in princi. D. de noxa. actio.*
*8 l. ordinatæ §. vlt. D. de liberali cauſa.*



ius nomine agebatur in libertatem proclamauerit, ſuſtinendum iudicium vt ſi liber iudicatus ſit, in ipſum transferatur iudicium, & ſi damnatio facta ſit, iudicati actionem potius in eum dandam. Ergo vt mortuo procuratore diximus, vel cœptum iudicium in dominũ transferri, vel priore iudicio finito cum procuratore, hoc deinde mortuo dari actionem iudicati aduerſus dominum [1]: ſic & in ſpecie propoſita Iuriſconſultus ait, noxale iudicium cum domino, id eſt poſſeſſore cœptum transferri ad eum qui liber effectus ſit, vel ſi finitum fuerit prius iudicium antequàm ſeruus proclamaret, poſt ſententiam pro libertate dictam aduerſus liberum pronunciatum iudicati actionem dari. Cuius quæſtionis tractandæ à Iuriſconſulto ſeruatus ordo, interpretationem & emendationem ad Vlpianum noſtram magis magíſque aſtruit atque confirmat. Cæterùm quod proclamatione ad libertatem ſuſpendi iudicium noxale diximus, & euentum liberalis cauſæ expectari, vt ſi pro libertate pronuntiatum fuerit, iudicium transferatur, vel iudicati detur in liberum, & noxale nullum ſit: ſin contra libertatem, vtile ſit, & exerceatur noxale iudicium, quæri poteſt an locum habeat in ſtatulibero, cuius nomine noxale iudicium dominus ſuſceperat. Et ſuſtinendum equidem noxale iudicium, vt priore caſu adhibito Iuriſconſulti teſtimonio probatum fuit, iſto non putem: nam ſiue rei iudicatæ tempore adhuc in ſuſpenſo ſit ſtatuta libertas, ex Sabini & Caſſij ſententia, quam & Caius ſequitur [2], hæredem (à quo ſcilicet fideicommiſſaria libertas defuncti teſtamento relicta eſt) aut alium quemuis dominum, qui ſtatutam, id eſt ſub conditione libertatem debet, tradendo ſeruum liberari, quia toto ſuo iure cederet verum eſt: ſiue ante peractum ac terminatum noxale iudicium conditio libertatis expleta vel ipſa per fideicommiſſum relicta libertas præſtita fuerit, auctore Caio [3] tranſlationem iudicij fieri in ſtatuliberum, id eſt in quondam ſtatuliberum in eum qui ſtatuliber fuerat, poſteà liber euaſit, aſſero: ídque vt per ſe clarum ſic ei regulæ [4] conſequens eſt, quæ dictat Noxam, id eſt noxalem actionem caput ſequi: ſiue ſtatim poſt peractum noxale iudicium, & poſtquàm ad ſententiam actor peruenerit, ante deditionem tamen aut oblatam litis æſtimationem, & antequàm actor qui vicit noxali iudicio actionem iudicati [5] aduerſus dominum exercet, conditio ſtatutæ libertatis impleta ſit, arbitrio iudicis abſoluendum quondam dominum, rectéque ipſum recuſare actionem iudicati, quæ aduerſus liberum effectum potius competit, arbitror atque affirmo. Ac de iudiciorum tranſlatione, déque iis quæ ad eam pertinent quæſtionibus ita vt ſcripſi ſentio. Scripſi autem ex mente Iuriſconſultorum quod potui, omiſſis & poſthabitis interpretum ſiue Doctorũ neniis: quippe qui aut omnino nihil in hac iuris parte viderint, aut ſi quidquam, omnino male idipſum tradiderint.

*1 d.l. tam ex cõtractibus.*
*2 l. prætor decernere. D. de noxal. actio.*
*3 d.l. prætor D. de noxa. actio.*
*4 l. noxalis. 7. l. qui ex pluribus 20. D. de noxa. actio. l. 1. C. eod.*
*5 l. ſi quis à multis. §. 1. D. de noxa. act.*

---

*Improbata Florentinarum Pandect. lectio in l.2. in princi. D. Si quis*

*cautio. Duo apud Senecam loci, apud Varronem, Tacitum, Paulum Iuriſc. Lampridium, Sidonium, Claudianum, Dionem, ſinguli caſtigantur à librariis compendio ſcribentibus deprauati. Explicatur Pollionis locus: de acclamationibus & carmine comitiorum.*

## CAP. XIIII.

IN quodam Vlpiani reſponſo[1] mendum vnum haud leue in Pandectis ex illicita & improba per compendium ſcribendi ratione ortum, paulo antè indicauimus. Nũc alterũ proponemus. Vlpianus idem libro LXXIV. ad edictũ ait[2]: Nõ exigimus reum iudicio ſiſti, ſi negotium propter quod iudicio ſiſti promiſit, fuerit tranſactum: ſed hoc ita, ſi non prius id negotium tranſactum ſit, quàm ſiſti oporteret. Cæterùm ſi poſteà tranſactum eſt, exceptio doli opponi debet, &c. quæ ſequuntur. Quid illud eſt? Sed hoc ita, ſi non prius id negotium tranſactum ſit. Imo verò tunc potiſſimum non exigimus reum iudicio ſiſti, ſi antequàm ſiſtẽdus ſit, de negotio tranſactum fuerit. Nam qua ratione dicimus[3] in ius vocatum dimittendum eſſe, ſi dum in ius venitur de re tranſactum fuerit, ac multo magis ſi ante vocationem in ius tranſactio facta ſit: eadem ratione ſi ante diem ſtipulatione iudicio ſiſtendi cauſa comprehenſum, ſi antequàm committatur eiuſmodi ſtipulatio tranſactum fuerit, tunc potius, quàm ſi poſt commiſſam ſtipulationem tranſactio fieret, exigi à reo non debere vt iudicio ſe ſiſtat, Iuriſcõſultum reſpondere oportuit. Et verò ita reſpondiſſe optimum Iuris auctorem indicat contraria quæ ſubiicitur ſpecies his verbis: Cæterùm ſi poſteà. quibus oſtenditur, poſt commiſſam ſtipulationem ſi tranſactum ſit, agenti ex ſtipulatu ad pœnã, ob id quod reus ad diem iudicio ſtatus non ſit, exceptionem opponi vel doli, vel etiam tranſacti negotij: quaſi qui de re tranſegerit, de pœna quoque tranſegiſſe intelligatur. Tranſactum autem accipimus, vt eodem libro idem auctor ſcribit[4], non ſolùm ſi Aquiliana ſtipulatio fuerit ſubiecta, ſed etſi pactum conuentum fuerit factum. At cùm in manuſcriptis libris Modo, & Non, eadem ſcribendi ratione in auguſtũ contrahi plerunque videamus, ita ſcilicet mõ, & nõ: facile potuit vnum alterius vice legenti (aut potius negligenti ac dormiẽti) Græculo librario Pandectarum Florentinarum ſcriptori obrepere. Placet igitur, vt quemadmodum in excuſis quibuſdam legitur: Sed hoc ita, ſi modo prius, &c. ita legamus. Facilem & procliuem eſſe librarij ſcriptoris lapſum ex vnius non literulæ, ſed virgulæ aut apicis omiſſione quis non videt? Atqui crebrum & frequens non in eo tãtùm genere, ſed in eo ipſo verbo librariorum peccatum, propoſitis aliquot locis, demonſtrare poſſum. Seneca in epiſtolis ad Lucilium, vbi de moribus hominum luxu perditorum conqueritur, eos ait Saturnalia Claudij temporibus Decembri menſe celebrare, genióque indulgere tunc potiſſimum ſolitos: perinde quaſi toto anni ſpatio voluptati operam non darent, qui tamen aliud nihil vnquam curabant.

*1 l. tã ex contractibus. D de iudiciis.*
*2 l. 2. in princ. D. Si quis cautionibus.*
*3 l. neque impuberes. §. vlt. D. de in ius voc.*
*4 l. 2. D. de tranſact.*



rabant. Igitur ita quandam[1] epiſtolam inchoat: December eſt menſis, quo maximè ciuitas deſudat: ius luxuriæ publicè datum eſt, ingenti apparatu ſonant omnia: tanquam quicquam inter Saturnalia non interſit, & dies rerum agendarum: vbi pro Non interſit, reſtituendum Modo interſit: ea quæ ſtatim ſubiiciuntur apertè probãt: Adeò, inquit, nihil intereſt vt non videatur mihi erraſſe qui dixit olim menſem Decembrẽ fuiſſe, nũc annum: & quòd Saturni mẽſem toto anno celebratũ ab Imperatore Claudio idem Seneca in Apocolocyntoſi[2] ſcribit. Eodem in verbo apud ipſum quem modò nominaui Senecam, à librario peccatum fuiſſe circa cuiuſdam epiſtolæ[3] initium deprehendimus: vbi, Expecto epiſtolas tuas (inquit) quibus mihi indices circũitus Siciliæ totius, quid tibi noui oſtenderit, & omnia de ipſa Charybdi certiora. Nam Scyllam ſaxum eſſe, & quidem non terribile nauigantibus optimè ſcio. Charybdis an reſpondeat fabulis perſcribi mihi deſidero. Nam pro Non terribile, omnino legendum eſt Modo terribile: qua voce id ſignificat Seneca ſuis etiam temporibus Scyllam reſpondiſſe fabulis, & periculoſiſſimum fuiſſe nauigantibus: inde illud credo iactatum eſt, Incidit in Scyllam. Sanè Plinius[4] in freto Siculo eſſe ſcopulum Scyllã, item Charybdim mare vorticoſum ambo clara ſæuitia teſtatur: & alibi Seneca ipſe ad Lucilium[5]: Nec me Charybdis & Scylla, & fabuloſum iſtud fretum deterrere potuiſſet. Tranſnataſſem iſta, non ſolùm traieciſſem, dummodo te complecti poſſem. Itaque ratio caſtigationis eius manifeſta eſt. Sed ex illo contractè, breuitérque, ac veluti per notas ſcribendi more, in aliis etiam vocabulis inſignia & verò innumera coaluiſſe menda conſtat: ex quibus hæc pauca in medium exempli gratia proferam, vt eadem opera tum ſtudioſos lectores, tum optimos ac vetuſtiſſimos auctores adiuuem. Eſt apud Varronem[6] ita ſcriptum: Quom oratio natura tripartita eſſet, vt ſuperioribus libris oſtẽdi, cuius prima pars quemadmodum vocabula rebus eſſent impoſita, ſecunda quo pacto de his declinata in diſcrimina ierunt, tertia vt ea inter ſe ratione coniuncta ſententiam efferant: prima parte expoſita, de ſecunda incipiam hinc, &c. De hac quidem lectione (quam vetuſtam eſſe non diffiteor) complures viri eruditiſſimi, qui ad Varronem ſuas vel notas vel commentarios annis ſuperioribus ediderunt, nihil immutare auſi ſunt, aut potius nihil immutandum eſſe cenſuerunt. Ego autem, qui ex ipſo Varrone didici naturam ad vocabula imponenda homini ducẽ fuiſſe[7], verbi autem vnius cuiuſque duas naturas eſſe. A qua re & in qua re vocabulum ſit impoſitum[8], & (vt idem alibi loquitur) verborum naturas duas eſſe, etymologiã & analogiam, natura quadruplicẽ eſſe formã, ad quã verba in declinando accommodari debeant[9]: facilè adducor, id quod antè poſuimus orationem natura tripartitã eſſe, vt credam nec in ſuperioribus aut inferioribus libris oſtendiſſe Varronem: neque verò id ſenſiſſe in hoc loco de quo agimus: quid igitur? Naturæne verbum vt ſpurium & ſubdititiũ foras extrudemus?

*1 epiſt. 18. lib. 2.*
*2 in ludo de morte Claudij Cæſaris.*
*3 epiſt. 80. lib. 11.*
*4 lib. 3. natur. hiſt. cap. 8. meminit Seneca epiſt. 14. lib. 2.*
*5 epiſtol. 45. lib. 6.*
*6 lib. 7. de lingua Latina ſtatim in ipſo initio.*
*7 lib. 5. de lingua Latina ſub initium.*
*8 lib. 4. de lingua Latina ſub initium.*
*9 lib. 8. de lingua Latina.*

Placet, ſed ita vt ipſius vice alterum ei ex compendiaria ſcripturæ ratione vicinum atque affine ſubſtituamus hoc modo: Quom oratio noſtra tripartita eſſet, &c. nam his literis nra ſcriptores librarij crebro vtuntur, cùm & Natura, & Noſtra, breuiter deſignare volunt. Et ita ſentio: preſertim quod Varronis orationem, id eſt ipſum de lingua Latina opus tripertitum fuiſſe, idem auctor ad finem libri præcedentis teſtatur, his fere verbis: Quocirca quoniam omnis operis de lingua Latina tres feci partes, prima quemadmodum vocabula impoſita eſſent rebus, ſecunda quemadmodum ea in caſus declinantur, tertia quemadmodum coniungerentur: prima parte perpetrata, vt ſecundam ordiri poſſimus huic libro faciam finem. Quæ propemodum omnia verba in ſeptimi qui ſequitur libri principio, ita vt paulo antè deſcripſimus, more ſuo repetit Varro. Cui qualem opellam nauauimus, talem Tacito atque Lampridio hiſtoriæ Romanæ ſcriptoribus grauiſſimis daturi ſumus. Nam cùm illius de Agricolæ mortui hæredibus agentis hæc ferè ſint quæ apponam [1]. Satis conſtabat, lecto teſtimonio Agricolæ, quo cohæredẽ optimæ vxori & piiſſimæ filiæ Domitianum ſcripſit, lætatum eum velut honore iudicióque: tam cæca & corrupta mens aſſiduis adulationibus erat, vt neſciret à bono patre non ſcribi hæredem niſi malum principem. Illud Teſtimonio eſſe librarij cuiuſdam, cùm Tacitus Teſtamento ſcripſiſſet facilè aſſentietur, qui ad ſententiam auctoris optimi propius animum aduerterit, non ignorans vtrumque verbum Teſtamento ſcilicet ac Teſtimonio, in paucas literas temone adpoſito ita Teſtõ, contrahi ſolere. Sanè apud Paulum Iuriſconſ. eodem prorſus errore in vulgatis libris legitur alicubi [2]. Denique ſi quis optandi gratia ad exhibendum egiſſet, & poſt litẽ conteſtatam alterius teſtimonio optio data ſit, ad exhibendum agere poteſt. Reiiciendum enim illud Teſtimonio, & reponendum Teſtamento ex Florentinis, id eſt omnium optimis ac vetuſtiſſimis libris, nemo qui rectè ſentiat negauerit. Ælius verò Lampridius vbi de acclamationibus à Senatu in Alexandri Seueri gratiam factis loquitur, Acclamatum eſt inquit [3], Quomodo Auguſtus ſic & Antoninus: tunc Imperator: Video P.C. quid vos moueat ad hoc nobis addendum: Auguſtus primus, primus eſt huius auctor imperij, & in eius omnes velut quadam adoptione aut iure hæreditario ſuccedimus: Antonini ipſi Auguſti dicti ſunt, &c. Legendum, Et in eius nomen. Etenim agebatur hoc à Senatu, Seuerus vt Antoninorum nomen ſuſciperet, quod Commodo Imperatori hæreditarium fuiſſe paulò pòſt dicitur: quia Commodus Antoninus M. Antonini philoſophi filius fuit. Sed & in nomẽ adoptione ſuccedi nemo neſcit, adeo vt priſtinum plerunque non retineatur integrum, ſed inflectatur: νενόμισαι γὰρ, inquit Dio [4], ἄν τις εἰσποιηθῇ τὴν μὲν ἄλλων αὐτὸν πρόσρησιν ἀπὸ τοῦ εἰσποιησαμένου λαμβάνειν, ἓν δέ τι τῶν προτέρων ὀνομάτων σχηματισθὲν πως τηρεῖν. (*Inſtitutum enim eſt, vt qui adoptatur ab adoptante appellationem accipiat, vnum tamen eorum nominum quæ prius geſſit aliter paulo formatum ſeruet.*) & Appianus [5]: ἔθος γάρ τι ῥωμαίοις

*1 ex libro de vita Iulij Agricolæ.*

*2 l. de eod. 12. § 1. verſic. Item ſi ei. D. ad exhibend.*

*3 in Alexãdro Seuero.*

*4 lib. 46. hiſtor. vbi de adoptione Octauij.*

*5 lib. 3. vbi eadem de re.*



ῥωμαίοις τοὺς θετοὺς τὰ τῶν θεμένων ὀνόματα ἐπιλαμβάνειν: quamobrem adoptatus in nomen & familiam Iulii Cæſaris Octauius, cœpit Caius Iulius Cæſar Octauianus poſtea vocari, vt apud Dionem [1] relatum eſt. Ac per adoptionem quidem familiæ adoptantis aliquem inſeri, ſic vt in nomen eius aſciſcatur, præterquàm quòd è Senecæ [2] ac Suetonii [3] quibuſdam locis colligi poteſt, iis quæ ſubſcribam teſtimoniis apertè comprobatur. Apud Vopiſcum [4] etenim Vlpius Crinitus ad Valerianum ita de Aureliano à ſe adoptando locutus fertur: Iube igitur vt lege agatur, ſitque Aurelianus hæres ſacrorum nominis & bonorum totiúſque iuris Vlpio Crinito, &c. Plinius [5] quoque ad Traianum: Iuſtís ne cauſis S.P.Q.R. optimi tibi cognomen adiecit? &c. Adoptauit te optimus princeps in ſuũ Senatus in optimi nomẽ, &c. Meritò tibi ergo poſt cæteras appellationes hæc eſt addita vt maior: vbi cæteras appellationes (vt obiter dicam) Imperatoris Auguſti Cæſaris Principis Felicis Pii Patris patriæ, aliáſque conſimiles intelligo, quæ nomina fauſta Suetonius [6] vocat, vbi de Caligula: Denſiſſimo, inquit, & lætiſſimo obuiorum agmine inceſſit ſuper fauſta nomina ſidus, & pullum & pupum & alumnum appellantium. Poſtremo principes Romanos in nomen adoptari ſolitos, his quos ſubiiciam verſibus Claudianus [7] docet:

*Hîc illi manſêre viri quos mutua virtus*
*Legit, & in nomen Romanis rebus adoptans,*
*Iudicio pulchram ſeriem non ſanguine duxit.*

Ex quibus apparet optima de cauſa, pro Omnes apud Lampridium à nobis Nomen reponi: caſtigato errore, qui ex iſto compendio literarum oẽz ortus fuerat: qualem extare apud Trebellium Pollionem [8], ſimilique modo tollendum haud leui ratione nixus aliquando credidi. Nam vbi de cenſura Valeriano à Senatu delata loquitur, Omnes vna voce dixerunt, interrupto more dicendæ ſententiæ, Valeriani vita cenſura eſt, &c. hunc cenſorem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus, &c. Primus genere, nobilis ſanguine, emẽdatus vita, doctrina clarus, moribus ſingularis, exemplum antiquitatis. Sequitur deinde: Quæ cùm eſſent ſæpius dicta, addiderunt Omnes, atque ita diſceſſum eſt. Legẽdum etenim videbatur Omen: vbi omen intelligebam, carmen illud quod Græcorum exemplo (qui ἀγαθῇ τύχῃ, *bonâ fortunâ*, & populi decretis, & conuẽtionibus præponebant publicis) veteres Romani quia valere omina conſebant, idcirco omnibus rebus agendis, vt eſt apud [9] Ciceronem: Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatúmque eſſet præfabantur: Quæ verba & in Rege rogando ab interrege, & in vocando in licio, & in ſalutatione patris patriæ, & in adoptione Imperatoris, & in votis ſuſcipiendis, & in precatione conſulari ad Conſulem renunciandum vſurpabantur: vt ex [10] Cicerone, [11] Liuio, [12] Suetonio, [13] Dione, [14] veteribúſque inſcriptionibus palam fit. Renunciabatur etenim Con-

*1 in ſupra d. loco.*

*2 cap. 15. de breuitate vitæ.*

*3 in Claudio c. 39. in Galba cap. 17.*

*4 in Aureliano.*

*5 in panegyrico Traiani*

*6 in Caligula cap. 13. vide Senecam lib. 1. de clementia cap. 14. Capitolinum in Vero. Spartianũ in Iuliano. Triũphaliũ etiam nominũ Lampridius in Commodo meminit.*

*7 panegyr. in 6. Honorij conſul.*

*8 in Valeriano ſub initiũ*

*9 lib. 1. de diuinatione vide Donatum quoque in Terentiũ Phormione act. 1. ſce. 2. ad illa verba: Quod erit mihi bonũ atque commodum.*

*10 pro Muræna ſtatim in ipſo initio*

*11 li. 1. & 40*

*12 in Auguſto cap. 58. & Caligula ca. 15.*

*13 vide Xiphilinum in Nerua.*

*14 vide in libro inſcriptionum vrbis Romæ, & in inſcriptione Narbonenſi in qua votum Numini Auguſti ſuſceptum à plebe Narbonenſium proponitur hac præfatione, Quod bonum fauſtum felixque ſit Imp. Cæſari Diui filio Auguſto P.P. &c.*

ſul in comitiis: quorum carmen vt precationem ſolemnem, ſic illa etiam quæ retulimus aut ſimilia verba continebat:ídque Plinius & Liuius docent. Ille [1] ad Traianum, Vidit te P.R.in illa, inquit, vetere poteſtatis ſuæ ſede,perpeſſus es longum illud carmen comitiorum nec iam irridendam moram : Conſúlque ſic factus es, vt vnus ex nobis quos facis Conſules, &c.tu comitiis noſtris præſidere, tu nobis ſanctiſſimum illud carmen præire dignatus es, tuo iudicio Conſules facti,tua voce renunciati ſumus: vt idem honoribus noſtris ſuffragator in curia, in campo declarator exiſteres. &, Nam quod precatus es vt illa ipſa ordinatio Comitiorum bene ac feliciter eueniret nobis,Reipubl.tibi,nonne tale eſt(ſic emendo vbi vulgo legitur,nobis reip.nonne tibi tale eſt)vt nos hunc ordinem votorum cõuertere debeamus,Deos denique obſecrare, vt omnia quæ facis,quæque facies proſperè cedant tibi, Reipub.nobis, vel ſi breuius ſit optandum,vt vni tibi,in quo & reſpub.& nos ſumus. Liuius [2]:Conſules in roſtra aſcenderunt, & concione aduocata, cùm ſolemne carmen precationis, quod præfari prius quàm populum alloquantur magiſtratus ſolent,peregiſſet:Conſul ita cœpit,&c. Vetuſtæ ominis illius, quod publicè priuatímve aliquid aggreſſuri præfabantur,formulæ veſtigium indicante,ac velut in rem præſentem deducente Plinio apud Suetonium [3] deprehendimus:vbi,Et in auſpicando(inquit)opere Iſthmi magna frequentia clarè, vt ſibi ac populo Romano bene res verteret optauit, diſſimulata Senatus mẽtione:nam vtrobique optandi verbum eandem vim habet : ſic Bonum ſit apud Vergilium,Hoc bene ſit apud Perſium,ex antiquo illo more quo ſecũdum aliquid & proſperum ominabantur, iámque ab aliis animaduerſum fuit. Præterea coniecturam illam adiuuabant hæc ex oratione Opilii Macrini ad Senatum verba,quæ Capitolinus [4] literis conſignauit: Diadumenum filium meum vobis notum,& imperio miles donauit,& nomine Antoninum videlicet appellans,vt cohoneſtaretur prius nomine,ſic etiam regni honore: quod vos P. C.bono fauſtóque omine approbetis petimus,ne vobis deſit Antoninorum nomen,quod maximè diligitis.

1 Plinius in panegyr. Traiani.
2 lib.38.
3 Nerone c. 37.
4 in Opilio Macrino.

Quæ omnia vt vera ſint,nihilomagis tamen de veteri lectione apud Pollionem immutandum quicquam eſſe nunc cẽſeo. Etenim ſolemne hoc quoque verbum Omnes, in acclamationibus peragendis & finiendis fuiſſe reperio : quo,ea quæ in votis & acclamationibus pronunciata eſſent,vno ſenatorum omnium conſenſu eſſe approbata teſtarentur. Itaque poſt acclamationes in Senatu Tacito Imperatori factas, habitáque oratione à Metio Falconio Nicomacho ſenatore conſulari (qua Tacitum ipſum vehementer commotũ & totum ſenatorium ordinem concuſſum fuiſſe Flauius Vopiſcus [5] ſcribit)ſtatim acclamatum fuiſſe,Omnes omnes, idem Vopiſcus auctor eſt. Coacto etiam in æde Concordiæ Senatu, cùm Ælio Scorpiano referente de imperio Aurelii Valerii eſſet acclamatũ,& poſthæc Manlius Statianus qui primæ ſententiæ tunc erat, in Probi laudes excurriſſet,ſuámque orationem his fere verbis clauſiſſet.Decerno igitur P.C.votis omnium concinentibus nomen Cæſareum,nomen

5 in Tacito.



men Auguſtum, addo proconſulare imperium, patris patriæ reuerentiam,pontificatum maximum,ius tertiæ relationis, tribunitiam poteſtatem:poſt hæc acclamatum eſſe.Omnes omnes, idem Vopiſcus [1] tradit.Nam qui Omnes dicebant, hoc intelligebant, Omnes idem rogamus, omnes conſentimus: nam & cùm in Maximi atque Balbini gratiam vt principes fierent Vectius Sabinus in Senatu ſententiam dixiſſet,poſt hæc acclamatum fuiſſe vno conſenſu,Capitolinus [2] expreſſit:Æquum eſt,iuſtum eſt:ſententiæ Sabini omnes conſentimus: ac deinde populo ad roſtra conuocato, cùm orationem de ſenatus ſententia,& de ſua electione habuiſſent,populum Rom. cum militibus,qui forte conuenerant, acclamaſſe Gordianum Cæſarem omnes rogamus:ſic poſt Commodi mortem acclamauit ſenatus,vt eſt apud [3] Lampridium,Præroga præroga, Omnes cenſemus vnco trahendũ.& de Imp.Claudio,vt eſt apud Trebellium Pollionem [4]: Claudi dux fortiſſime habeas virtutibus tuis deuotioni tuæ: Claudio ſtatuam omnes dicamus,Claudium Conſulem omnes cupimus. Atque ex hac acclamationum formula illud Plinii [5] forſitã exponi debet,vnus ſolúſque cenſebat(inquit)quod ſequerentur omnes,& omnes improbarent,imprimis ipſe qui cẽſuerat:adeò nulla magis omnibus diſplicent, quàm quæ ſic fiunt tanquam omnib. placeant.Ergo in Pollione,Omnes retineo, id ipſum in Lampridio vocabulum reiicio, & Nomen inſero: quod compendii cauſa ſcriptor ita oẽn deſignarat,vt antè diximus.

1 in vita Probi Imp.
2 in Maximo & Balbino.
3 in Commodo.
4 in Claudio
5 in panegyrico Traiani

Apud Sidonium [6] quoque Apollinarem, in illius ad Gelaſium carminis loco,in quo vulgò legitur:

*Seuerianus iſta rhetor altius*
*Afer vaférque,domnulus politius*
*Scholaſticúſque,ſub rotundioribus*
*Petrus camœnis dictitaſſet acrius*
*Epularis vſquequaque,nec ſtilus*
*Verum vetaret,vt ſtupenda pangeret.*

mendũ quod ipſa & verſus & ſenſus ratio in Epularis nomine ſubeſſe indicat,auctoritate veteris mei libri,qui habet Epl'aris, ita caſtigandũ eſt vt legatur Epiſtolaris. Imprudens,miniméque intelligens librarius lineam virgulámve illam,quæ ſummis literis appingenda fuit,omiſerat:eóque modo adulterinum germani loco nomẽ ſubſtituerat. Denique apud Claudianum [7] eodem librariorum errore,in impreſſis codicibus hodie legitur:

6 epiſt. peſt. lib.9.
7 lib.1.in Eutropium.

*paruis exercita furtis.*
*Quæ vaſtare penum neglectáque ſueuerat arce*
*Clauſtra remoliri:non vberiore rapina*
*Peccet in orbe manus.*

At ex veteri meo manuſcripto reſtituendum

*nunc vberiore rapina* *Peccat in orbe manus.*

ſequitur enim, *quidquid ſe Tigris ab Hemo*
*Diuidit,hoc certa proponit merce locandum*
*Inſtitor Imperij caupo famoſus honorum.*

Cùm itaque articulus Non, prima vocabuli litera temone adpoſito deſignetur, ita ñ. cui notæ ſiue ſinglæ ſi literulam addideris hoc modo ñc, Nunc efficies: ac rurſum ſi c detraxeris aut etiam omiſeris, abnutiuum illum articulum nō iſtum temporis quem indicauimus exprimas: inde accidit, vt per imprudentiam librariorum vocabuli vnius loco alterum omnino diuerſum irreperet. Quo in genere pernicioſè illos iam pridem vt in Latinis, ita in Græcis quoque libris exſcribendis erraſſe video. Adferam exemplum ex multis vnū, quod teſtimonij loco ſit. Apud Chryſoſtomum Dionem[1], vbi mentem viſui comparat, ſic ſcriptum legimus: καὶ γὰρ οὖν ἔχει τὶ (ſic enim lego non τῷ) παραπλήσιον ὁ νοῦς τῇ ὄψει, καὶ ὡς ἐκείνη διεφθαρμένη μὲν οὐδὲν, οὐδὲ τὰ πλησιαίτατα ὁρᾷ· ὑγιὴς δὲ οὖσα μέχρις ὄνου τε καὶ ἀστέρων ἐξικνεῖται. ταὐτὸ δὴ τοῦτο ἡ μὲν τοῦ φρονίμου διάνοια, καὶ πάντας ἀνθρώπους ἱκανὴ γίνεται διοικεῖν, ἡ δὲ τοῦ ἄφρονος οὐδὲ ἓν σῶμα τὸ ἐκείνου δύναται φυλάττειν οὐδὲ ἕνα οἶκον. (*Namque mens quiddam viſui ſimile habet: & quēadmodum hic corruptus ne propinquiſſima quidem videt, ſanus verò vſque ad cœlum & aſtra pertingit, eodem modo & prudentis animus omnes homines poteſt gubernare, at inſipientis ne ſuum quidem ipſius corpus, poteſt cuſtodire neque vnicam domum.*) Si ſic legas vt vulgo in Aldinis (alia enim, vt arbitror, non extant) exemplaribus legitur, μέχρις ὄνου τε καὶ ἀστέρων, & verbis Latinis Græca reddas, nempe tale quiddam elicies: Sanorum oculorum aciem ad aſinum & aſtra pertingere atque penetrare: quo quid frigidius, aut etiam ineptius dici poteſt? nec enim aſino cum aſtrorum potius concentu atque harmonia, quàm cum lyræ ſono quidquam eſt negotij. At quanto illud melius & ad ſententiam oratoris clariſſimi aptius, ſi pro ὄνου οὔνου vel ὄντου, id eſt οὐρανοῦ reponatur: vt & aſtris cœlum domicilium videlicet ſuum reſtituas, & ab ipſorum conſortio aſinum, id eſt vile, abiectum, & fuſtuario addictum atque aſſuetum animal diuellas: quē ignarus aliquis librarius adeo temere atque immeritò ſyderibus adiunxit, vt aſtrologi & philoſophi veteres, optima ratione taurum, leonem, cæteráque generoſorum (in quibus aliquid ſimile virtutis ineſt) animalium ſigna cœlo donauêre.

[1] *in oratione de regno & tyrannide.*

---

*Exponuntur l. veſtis. 23. l. Inter veſtem. 35. l. ornamentorum. 39. D. de auro & arg. lega. & defenſa Florentina lectio in d. l. veſtis. §. muliebria. Veſtimentorum quæ virilia, muliebria, vel communia dicantur. Pallia, togæ, tunicæ. Muliebrium veſtium vſus viris indecorus. Cœnatoriæ veſtes. Triclinaria veſtimenta. Mitræ ſint ne veſtimentorum an ornamentorum numero. Conciliatur l. Quamuis. 26. in fine cum §. muliebria. d. l. veſtis. 23.*

## CAP. XV.

REgula iuris[a] docet, teſtatorum voluntates pleniùs & pinguiùs interpretari oportere: quamobrem ad mentem potius atque ſententiam teſtatorum, qui plerunque abuſiuè loquuntur,



aſpicimus, quàm ad propriam vocabulorum ſignificationem deſcendimus[1]: adeò vt quamuis ſi ſtipulatus fuero de te veſtem tuā quæcunque muliebris eſt dare ſpondes? & ſolitus eſſes muliebri quadam veſte vti, nihilominus eam quaſi muliebrem deberes: propterea quòd nō tam quid ſenſerit promiſſor, quàm id quod in re ſit, æſtimari debeat: magíſque ad mentem ſtipulatoris, quæ cum ſignificatione vſúque communi congruit, quàm ad mentem promittentis, quæ à verborum proprietate vſúque communi aliena & remota eſt, referre debeamus interpretationem eius quod actum eſſe dicitur. Attamen ſi teſtator veſtem muliebrem legauit, qui ipſe ſolitus fuerit vti quadam veſte, quæ etiam mulieribus conueniens, aut quæ ipſa muliebris eſt, eam dicimus legatam intelligi, non quæ re vera aut muliebris aut virilis ſit, ſed de qua ſenſerit teſtator: non videri autem de ea ſenſiſſe, qua ipſe quaſi virili vtebatur: & ideo muliebris veſtis legato non cedere, ſed virilis: quæ inter contractus & vltimas voluntates differentia, duobus Pandectarum capitibus ex libro 4. Pomponij ad Q. Mutium deſumptis continetur[2], vt in commentario de diuerſis regulis iuris antiqui demonſtrauimus[3]: vbi etiam hac de re tota pleniùs atque ſubtiliùs diſputare ac diſſerere certum eſt, ſi denuo liber ille formis excudetur: quod vel ad emendanda & caſtiganda operarum plurima, eáque grauiſſima errata, vel ad illuſtrandos adhuc aliquot eius tituli obſcuros ac difficiles locos percupimus. Sed quod ait Pomponius[4], Si & ipſe ſolitus fuerit vti quadam veſte, quæ etiam mulieribus conueniens eſt, ſic explico: vt cùm veſtimentorum quædam ſint virilia, quæ ipſius patrisfa. cauſa parata ſunt, quibus legatis ea tantummodo deberi, quæ ad vſum virilem ſaluo pudore attinent, Paulus[5] ait: quædam muliebria, quibus legatis omnia quæ ad vſum muliebrem ſpectant deberi auctor idem eſt[6], ea nimirum intelligens, quæ matrisfamil. cauſa comparata ſunt, quibus vir non facilè vti poteſt ſine vituperatione, vt Vlpianus loquitur[7]: vel, vt legimus apud Varronem[8], quæ habere mulier ex inſtituto debet, quæ de eo genere ſunt quo indutu mulieres vt vterentur eſt inſtitutum: Nonnulla communia, quibus idem Iuriſconſultus promiſcuè mulierem cum viro ſine reprehenſione vti definit[9]: prætérque ea, quædam familiarica, quædam puerilia percenſeat: de communibus accipi verba illa Pomponij iudicem. Inter quæ penulam palliúmque Vlpianus enumerat, non omnem penulam, non quodlibet pallium, ſed illud ſcilicet, quod eiuſmodi ſit vt eo vterque ſine reprehenſione, ſaluóque pudore vti poſſit. Rectè verò Domitius Vlpianus iuris peritiſſimus, Iuris profeſſor ſplendidiſſimi Papiniani diſcipulus, Alexandri Imperatoris familiaris & ſocius, auctore Lampridio, imò etiam tutor, penulas in communibus numerat: nam de iis ita conſtitutum fuiſſe ab Imperatore illo tradit Lampridius, vt oſtenderet vtrique ſexui conuenire. Penulis intra vrbem (inquit[10]) frigoris cauſa vt ſenes vterentur permiſit, cùm id veſtimenti genus ſemper itinerarium aut pluuiæ fuiſſet. Matronas tamen intra vrbem penulis vti vetuit, in

[a] *l. in teſtamentis. 12. D. de diuer. reg. iur.*

[1] *l. nō aliter. in princ. & §. 1. D. de legat. 3.*

[2] *l. inter veſtē. 35. D. de auro & arg. legat. & l. ſi mihi & Titio. 110. §. vlt. D. de verb. oblig.*

[3] *ad l. quoties idē ſermo. 67. D. de reg. iur.*

[4] *d. l. inter veſtem.*

[5] *lib. 3. ſentē. tit. 6. de leg.*

[6] *dicto ti. 6.*

[7] *l. veſtis. §. muliebria. D. de auro & arg. leg.*

[8] *lib. 9. de lingua Latina.*

[9] *d. l. veſtis. §. cōmunia.*

[10] *in Alexandro Seuero.*

itinere permiſit. Sanè & in virilibus & in muliebribus palliola ſiue pallia ponuntur à Iuriſconſulto [1]: cuius verba ex Pandectis Florentinis hæc ferè ſunt, vbi de muliebribus loquitur: Veluti ſtolæ, pallia, tunicæ, capitia, Zonæ, mitræ. Scio in vulgatis libris palliorum loco pallas legi, quod etſi non improbo, qui pallam honeſtæ mulieris eſſe veſtimentum, hoc eſt tunicæ pallium ex Plauto [2], Martiale [3], Nonio [4], auctoribus locupletiſſimis addidici: attamen Pandectarũ Florentinarum auctoritati cùm eiuſdem Martialis accedat teſtimonium ex illo loco [5], ex quo viris & mulieribus conuenire pallium oſtenditur:

*Ad cœnam venies, ſed ſic diuiſa recumbes,*
*Vt non tangantur pallia noſtra tuis.*

non puto fas cuiquam eſſe, Florentina lectione repudiata, quæ vetus eſt, amplecti nouam.

Vt pallio & tunica, ſic toga non ſolùm viri, ſed & fœminæ olim vtebantur, ſi Nonio, quem ſupra nominaui antiquiſſimo Grammatico credimus, qui fuiſſe id commune veſtimentum & diurnum & nocturnum, & muliebre & virile memorat [6]. Aſconius quoque antiquiſſimus & ipſe Grammaticus ad illa Ciceronis verba ex oratione 3. contra Verrem: Eripies igitur pupillæ togam prætextam. Togam prætextam commune fuiſſe virorum & mulierum veſtimentum his verbis docet: Toga communis habitus fuit & marium & fœminarum, ſed prætexta honeſtorum, toga viliorum: quod etiam circa mulieres ſeruabatur. At cùm tunicas vt pallia tam in virilibus quàm in muliebribus veſtimentis Vlpianus ponat, Pallia verò etiã ex communibus eſſe Iuriſconſulto ipſo auctore dixerimus: meritò quiſpiam quærat, vtrum tunicæ quoque ipſæ in communibus numerari debeant. Equidem non puto quaſlibet tunicas communes fuiſſe, ſed vt ſubſtrictas & breues tunicas citra humerum deſinentes (erat enim id veſtimentum ſine manicis, auctore Nonio [7], quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας, *Humerales tunicas*) quibus viri Romani vti cœperunt, cùm initio ſine tunicis toga ſola, vt ſcribit Gellius [8], amicirentur, negare nolim, in promiſcuo vſu mulieribus etiã fuiſſe: ita equidem talares ſiue longas, itémque chiridotas, id eſt manicatas, ſiue (vt Plautinum [9] vocabulum vſurpem) manuleatas, prolixas videlicet vltra brachia, & vſque in primores manus ac prope in digitos tunicas (quibus vti virum Romæ atque omni in Latio indecorum fuit, auctore Gellio [10], & vt Auguſtinus ait [11], flagitiũ) non in communibus veſtimentis numeratas, ſed in muliebribus fuiſſe crediderim. Et ſanè Quintilianus viriles tunicas à muliebribus & militaribus ſeparat hoc modo: Cui laticlaui ius (inquit [12]) non erit, ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paulùm, poſterioribus ad medios poplites vſque perueniant: nam infra, mulierum eſt, ſupra centurionum. Adde quod P. Africanus Pauli filius P. Sulpitio Gallo homini delicato inter pleraque alia quæ obiectabat, id quoq. probro dedit, quod tunicis vteretur manus totas operientibus. Verba Scipionis apud Gellium [13] extant hæc fere: Nã qui quotidie

1 *d. l. veſtis. & l. 7 ilia. §. 1. eod. tit.*
2 *Menæchmis act. 3. ſc. 2. & act. 4. ſcen. 2.*
3 *lib. 11. epigram. ad vxorem.*
4 *in lib. de genere veſtimentorũ. in verbo, Palla.*
5 *lib. 11.*
6 *in verbo Toga. in lib. de genere veſtimentorũ.*
7 *in lib. de genere veſtimẽtorum. in verb. Tunica.*
8 *cap. 3. li. 7.*
9 *in Pſeudolo act. 2. ſc. vlt.*
10 *ca. 3. li. 7.*
11 *in 3. de doctrina Chriſtiana.*
12 *ca. vlt. li. 11. Inſtitut. orator.*
13 *in ſupradicto loco.*



quotidie vnguentatus aduerſum ſpeculum ornetur, cuius ſupercilia raduntur, qui barba vulſa, fœminibúſque ſubuulſis ambulet, qui in conuiuiis adoleſcẽtulus cum amatore, cum chiridota tunica inferior accubuerit, qui non modò vinoſus, ſed viroſus quoque ſit, eúmne quiſquam dubitet, quin idem fecerit quod Cinædi ſolent? Delicatos autem cinædos, & parum viros fuiſſe habitos à veteribus, qui veſtimentis muliebribus induerentur, apparet etiam ex eo, quod apud Quintilianum [1] in hæc verba eum quem modò dixi ſermonem Scipionis referentia ſcriptum legimus: Nam ſi eſt ſignum adulteræ lauari cum viris, erit & conuiuere cum adoleſcentibus, deinde etiam familiariter alicuius amicitia vti, vt fortaſſe corpus vulſum, fractum inceſſum, veſtem muliebrem dixerit, mollis & parum viri ſigna, ſi cui (cùm ſignum id propriè ſit, quod ex eo de quo quæritur natum ſub oculos venit) vt ſanguis è cæde, ita illa ex impudicitia fluere videantur. & alibi [2], Vt monilibus (inquit) & margaritis ac veſte longa, quæ ſunt ornamenta fœminarum, deformentur viri. Huc quoque pertinet quod Menæchmus Soſides & Peniculus apud Plautum [3] inter ſe colloquuntur:

*Pe. Satin ſanus es? occiſa eſt hæc res. non ego*
*Te indutum palla exire vidi iſtinc foras?*
*Me. Væ capiti tuo. omnes cinædos cenſes nunc, quia tu es?*
*Tun' me indutum fuiſſe pallam prædicas?*

Batalos eoſdem Clemens Alexandrinus nominat [4]: Turpiſſimum profecto fuit exiſtimatum, non apud Romanos tantùm, ſed & in Græcia, & apud alias quoque licet barbaras nationes antiquitùs, ſi homines muliebre veſtimentum aſſumerent. Quocirca, Lycij cùm iis luctus inciderat, muliebrem veſtem induebant, vt deformitate cultus commoniti, maturiùs ſtultum proiicere mœrorem vellent: ídque Valerius Maximus [5], & Plutarchus [6] memoriæ prodiderunt. Nec moueor illis Iulij Pollucis [7] verbis: ὅτι οἱ βάρβαροι καὶ ταῖς θηλυπρεπεστέραις τῶν ἐσθήτων ἔχαιρον. (*Quod & barbari etiam muliebribus veſtibus delectarentur*) nam ex præcedentibus apparet, hæc eum dubitanter protuliſſe illis additis: εἰ μὴ ἄρα. (*Si non vtique*) & Diogenes Laërtius ex iure non ſcripto id eſſe docet, alicubi [8], ne homines in forum hoc eſt in conſpectum aliorum, nudi aut veſtibus muliebribus amicti prodeant. Romæ quidem certè, ſi vir muliebribus iſtis veſtibus, manicatis videlicet ac talaribus tunicis, velis non togis amiciretur, eum pro delicato, impuro & impudico haberi ſolitum, etſi ex iis quæ diximus apparet ſatis, attamen Ciceronis teſtimonium certiſſimum atque locupletiſſimum, ſi ad illuſtrandũ Gellij locum attulero, rem gratam ſtudioſis, vt puto, facturus ſum. Is igitur præterquàm quòd Verri ſoleas, pallium purpureum, tunicámque talarem obiicit, hæc omnia ſcilicet muliebria: ipſe inquam Cicero ita in Catilinariorum greges inuehitur [9]. Poſtremum autem genus eſt, non ſolùm numero, verùm etiam genere ipſo atque vita proprium Catilinæ, de eius delectu, imo verò de complexu

1 *lib. 5. Inſtitut. orator. cap. 9.*
2 *cap. 1. lib. 11.*
3 *Menæchmis act. 3. ſce. 2.*
4 *li. 3. pædagogi. cap. 3. ad finem.* μᾶλλον δὲ ἐπ' ἄνδρας, βατάλους δὲ καὶ γυναῖκας καλεῖν τούτους χρή.
5 *lib. 2. ca. 1.*
6 ἐν τῷ παραμυθητικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον.
7 *lib. 7.* ὀνομαστικῶν. *c. 2*
8 *lib. 3. de vitis Philoſophorum in Platone.*
9 *orat. 2. in Catilinam.*

cius ac ſinu:quos pexo capillo nitidos aut imberbeis aut bene barbatos videtis,manicatis & talaribus tunicis, velis amictos non togis:quorum omnis induſtria vitæ,& vigilandi labor in antelucanis cœnis expromitur:in his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri,omnes impuri,impudicíque verſantur. Hæc Cicero. Sed & apud Tacitum [1] Tiberius literis ad Senatum compoſitis (quibus immenſum & pudendum luxum Romanorum, in cœnis præſertim,vtenſilibus & menſis reprehendit)promiſcuas viris & fœminis veſtes nominatim notat.Saluianus [2] itidem Maſſilienſis Epiſcopus,vbi de Romanorum in ſemetipſis fœminas profitentium moribus conqueritur:Quis credere(ait)aut audire etiam poſſit, conuertiſſe in muliebrem tolerantiam viros non vſum ſuum tantùm atque naturam,ſed etiam vultum, inceſſum, habitum, & totum quicquid penitus aut in ſexu eſt,aut in vſu viri?& paulo pòſt:Cùm enim muliebrem habitum viri ſumerent,& magis muliebrem gradum fingerent, cùm indicia quædam ſibi monſtruoſæ impuritatis innecterent, & fœmineis tegminum illigamentis capita velarent, atque hoc publicè in ciuitate Romana vrbe illic ſumma & celeberrima:quid aliud quàm Romani imperij dedecus erat, vt in medio Reip. ſinu execrandiſſimum nefas palàm liceret admitti? Inter cœnandum profecto cùm ad hilaritatem relaxatur animus, & prope in laſciuiam ſoluitur,de illa ſiue morum concinnitatem ac temperantiam,ſeu ruſticam ſeueritatem atque triſtitiam nominare malis:aliquid,ſi non multum,remittere Romani præſertim ſub Imperatoribus,(penes quos extincto iàm,&,vt ita loquar,ſepulto veteri cenſorio munere, ſola dignitas permanſerat) paulatim aſſueuêre: adeò vt nonnunquam veſtimentis muliebribus vterentur. Et hoc eſt quod ſequitur apud Pomponium: Nam & Quintus Mutius ait(ſic enim legendum eſſe non Quintus Titius,ipſa capitis inſcriptio arguit) ſcire ſe quendam Senatorem muliebribus cœnatoriis vti ſolitum. Cœnatoriæ veſtes, quas & syntheſes à veteribus nominatas accepimus,erant mollicinæ,hoc eſt delicatiores & pretioſiores reliquis: & vt Apuleius loquitur [3], lautiuſculæ, pellucidæ, ſcilicet ex lino tenui,vel ſerico atque purpureæ. Ad has illud Plinij [4] refero. Metellus Scipio triclinaria Babylonica ſeſtertiûm octingentis milibus veniſſe, iam tunc poſuit in Capitonis criminibus.Itémque illud, vbi de purpura [5]. Huic (rubram Tarentinam intelligit)ſucceſſit dibapha Tyria,quæin libras denariis mille non poterat emi. Hac Lentulus Spinter Ædilis curulis primus in prætexta vſus improbabatur,qua purpura quis non iam,inquit,Triclinaria facit?Triclinaria nanque veſtimenta,cœnatorias veſtes interpretor apud Plinium,vt apud Aufidium: cuius verba Labeo [2] lib. 2.poſteriorum à Iauoleno Epitomatorum retulit. Nec tamen de ſtragula veſte,quæ tricliniis iniiciebatur.ſi quis exponet,valde repugnabo:cuius Liuius [7], Clemens Alexandrinus [8], & Apuleius [9] meminêre,cùm apud Senecam [10] quoque ſcriptum legerim, id quod ſubiiciam: Pone in inſtrumentis ſplendentibus, & delicato apparatu

*1 lib.3.annal.*
*2. lib.7. de vero indicio & prouidentia Dei.*
*3 lib.7.de aſino aureo.*
*4 cap.48.li.8.*
*5 ca.36.li.9.*
*6 l.apud Aufidiũ.20.D. de optio.lega.*
*7 lib. 9.decad. 4.*
*8 lib. 2 pædagogi. cap. 3. & 9.*
*9 lib. 2. de aſino aureo.*
*10 ca.25.de vita beata.*



ratu nihilo me feliciorem credam, quod mihi molle erit amiculũ, quod purpura conuiuis meis ſubſternetur: nam de toralibus haud equidem arbitror accipi poſſe, cùm ea propriè ſtragulorum non ſint:nec in veſte,ſed in ſupellectile numerẽtur,vt Paulus [1] docet,triclinaria verò veſtimenta vocentur apud Aufidium [2].Sed vtut ſit,ad mollitiem profectò & luxum plerunque homines in cœnis veſte muliebri vtebantur:quos ad exemplum Africani (cuius verba ſuperiùs expreſſi)Seneca quoque inſectatur ad Luciliũ ſcribens:Non videntur tibi contra naturam(inquit [3])viuere,qui commutant cum fœminis veſtem.Non viuunt contra naturam,qui expectant vt pueritia ſplendeat tempore alieno?Ex his fuit ſenator ille, de quo Mutius apud Pomponium,vt modò diximus. Ex his Cornelius Fronto,qui Adriano Imperatore celeberrimus cauſarum patronus fuit. Hic enim,vt apud Dionem [4] legimus,à cœna noctéque iam intempeſta & ſilenti,Turbonem præfectum prætorio tanquam iudicaturum muliebri cœnatoria indutus,atque amictus, & amico ſuo adfuturus adiit:καὶ μαθὼν παρά τινος ᾧ συνηγορήσειν ὑπέσχετο(inquit)δικάζειν αὐτὸν, ἔν τε τῇ στολῇ τῇ δειπνίτιδι ὥσπερ εἶχεν ἐς τὸ δικαστήριον αὐτοῦ ἐσῆλθε, καὶ ἠσπάσατο ἔτι γε τῷ ἑωθινῷ προσρήματι τῷ χαῖρε, ἀλλὰ τὸ ἑσπερινῷ τῷ ὑγίαινε χρησάμενος. (*Hic cùm intellexiſſet à quodam cui patrocinium pollicitus erat,principem ius reddere,veſte cœnatoria indutus vt erat, in ius venit,eúmque ſalutauit,non verbo Salue,quæ matutina eſt ſalutatio,ſed Vale,quæ veſpertina eſt vſus.*) nã στολὴν δειπνίτιδα tametſi veſtem cœnatoriã nõ male quis interpretetur,déque cœnatoria virili accipiat,cùm veſtis quælibet ſæpe à Græcis [5] appelletur στολή:attamẽ muliebrẽ cœnatoriã exponere,quòd eo verbo Pomponius vtitur, malo:& rectè(vt arbitror)cùm ſint muliebria veſtimenta ſtolæ:ideóq. Caius Caligula Cæſar Liuiã Auguſtã proauiã Vlyſſem ſtolatum identidem appellarit,vt eſt relatũ à Suetonio [6]:quaſi non mulierem illam eſſe,ſed potius fœminea veſte amictum hominem vafrum atque ignobilem argueret. Sanè in muliebribus veſtimentis etiam ſtolas Vlpianus [7] connumerat: in quibus & mitras, quod aliqua difficultate non caret, cùm idem Iuris auctor mitras ornamentorum eſſe doceat eodem libro [8]:Separentur autem & diuerſa ſint adeò à veſtimentis ornamenta,vt horum appellatione veſtem muliebrem non contineri, nec errorem hæredis ius mutaſſe Paulus reſponderit [9]:hoc ſcilicet ſignificans,ſi ornamenta Sempronio veſtis muliebris Titio legata fuerit,mortuo teſtatore hæredem in Titij necem non poſſe quidquam,quod veſtis numero ſit Sempronio,cui ornamenta legata fuerint,præſtare: cùm veſtem ornamentorum appellatione contineri ius non ſinat.Denique mitras& anademata,quamuis corpus tegant,tamen ornamentorum non veſtis eſſe:vt chorus apud Euripidem [10] ſubindicat his verbis,

ἐγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις
μίτραισιν ἐρρυθμιζόμαν.(*Ego verò cincinnos meos redimiculis & mitris compoſui*)ita noſter Paulus apertè profitetur alio loco [11]:in quo ſic illa duo Iuriſconſultus coniunxit,vt Lucretius [12] illo verſu,

*1 l.3.l.5.D. de ſupell. lega.*
*2 d.l.Apud Aufidiũ. D. de trit. vino & oleo leg.*
*3 epiſt.123. lib.22. qui locus ex illo Gellij valdè illuſtratur.*
*4 vide Xiphilinum in Adriano.*
*5 Plutarc.in Antonio. Dio lib.39. 41.& 43. vbi περὶ στολῆς τῆς ὑπνικῆς & alibi ſæpe.*
*6 in Caio Calig.cap.23.*
*7 d.l.veſtis. §. muliebria D. de auro & arg.leg.*
*8 l.argumento. §. ornamentorũ.D. de auro & arg.lega.*
*9 l.ornamentorum.39. eod.tit.*
*10 Hecuba.*
*11 l. quamuis in fi.eod.tit.*
*12. lib. 4. de rer.nat.*

*Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ.*

Cùm verò Græcis ea ſint anademata, quæ redimicula dicunt Latini, propterea Virgilius poëtarum Latinorum princeps rectè quodam loco [1] mitris redimicula, vt Lucretius & Paulus anademata coniunxit his ferè verbis:

*Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.*

1 lib. 9. Aeneid.

Sunt autem vt redimicula, ſic mitræ præſertim verſicolores ornamenta capitis. Itaque Plinius de Polygnoto Thaſio, Primus (inquit [2]) mulieres lucida veſte pinxit, capita earum mitris verſicoloribus operuit, plurimúmque picturæ primus contulit. Igitur anademata, ſiue redimicula & mitræ, cùm ornamenta ſint, veſtis numero haberi, aut legato veſtis muliebris cedere non poſſunt. Et hoc plerunque ita ſe habet, vt ornamentorum potius, quàm veſtis eſſe cenſeantur mitræ: propterea quòd his vti mulieres venuſtatis & ornatus cauſa primùm cœperunt: verumtamen cùm adſtringendis mulierum capillis haud parum aptæ ſint, vnde illud poetæ [3]:

2 lib. 35. natural. hiſtor. cap. 9.

*Inque orbem tereti mitra redeunte capillos*
*Strinxerat,*

3 Claudiani lib. 2. in Eutropium.

atque adeo mitræ veſtis quoque vſum præbeant: ſi magis tegendi quàm ornandi capitis cauſa comparatæ fuerint, muliebribus veſtimentis annumerabimus cum Vlpiano [4]. Sed huius rei probatio incumbet ei, qui mitras tegendi capitis gratia paratas à teſtatore, & veſtium legatarum nomine mitras quoque comprehendiſſe dixerit. In dubio, mitras ornamentorum eſſe pronunciabimus. Eadémque ratione dicemus ex diuerſo, quamuis quædam ex veſte magis ornatus gratia quàm quo corpus tegant comparentur, tamen quòd eo nomine ſint reperta, potius habenda eſſe veſtis numero quàm ornamentorum, vt Paulus rectè tradit [5], quod ſtatim explicabitur.

4 d. l. veſtis. §. muliebria D. de auro & arg. legat.

5 l. quamuis in princip. D. de auro & arg. leg.

---

*Exponitur l. quamuis. 26. D. de auro & arg. lega. De pellucidis veſtibus ſiue lineis, ſiue ſericis, & bombycinis variorum auctorum prolata teſtimonia. Emendatus* Lampridij *locus. Côæ, itémque Tarentinæ veſtes, & Tarentina purpura apud Horatium & Pollucem. Marcellini & Tertulliani caſtigantur & exponuntur loci duo, de veſtium & gemmarum pondere. De fibulis, & quæ veſtium aut ornamentorum numero cedant. Expoſita l. Argumento. 25. D. de auro & arg. leg. Ralla veſtis, quæ & vitrea & pellucida.*

## CAP. XVI.

QVod Paulus ait [6] quædam ex veſte magis ornatus quàm corporis tegendi gratia comparari, quæ tamen quòd eo nomine reperta ſint, veſtis non ornamentorum numero haberi conueniat, non ſatis cognitum cuilibet eſſe arbitror. Exemplum

6 l. quãuis. D. de auro & arg. leg.



plum quidem interpres Accurſius non adfert: quem tamen vt poteterem, excuſatione dignum iudico: quòd nulla res conſummata ſit dum incipit, ſed & in omni alio negotio lõgè ſemper à perfecto fuêre principia. Ego de pertenuibus, vtputa lineis, ſericis, & bombycinis proponere ſoleo, quæ veſtimentorum eſſe Vlpianus ait [1], & tamen ita ſunt plerunque pellucida, vt corpus magis nudent quàm tegant: λεπτὰ χλανίδια, *tenues lænulæ* nominantur à Dione [2], apud quem ea Quintus Ruffus Calenus in oratione ad Senatum Ciceroni exprobrat ſic fere: τίς μὲν γὰρ οὐχ ὁρᾷ σου τὰ λεπτὰ ταῦτα χλανίδια; τίς δ᾽ οὐκ ὀσφραίνεται τῶν πολιῶν σου τῶν κατεκτενισμένων; (*Quis enim non videt tenues illas tuas lænulas? Quis non canorum tuorum pectinibus comtorum odorem percipit?*) Ac de lineis quidem veſtibus Senecæ grauiſſimi auctoris verba illa [3] intelligo. Quid ſi contigiſſet illi videre has noſtri temporis telas, in quibus veſtis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, ſed nullum pudori eſt: vt & illa ſunt Hieronymi aduerſus Iouinianum [4]. Nunc lineis & ſericis veſtibus & Attrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis. Rubẽt buccæ, nitet cutis, &c. & illa denique Flauii Vopiſci [5]: Iam quid lineas petitas Aegypto loquar? quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles? Linearum appellatione carbaſeas & byſſinas telas comprehendi puto, quarum & Virgilius [6], & Apuleius [7] mentionem faciunt. De ſericis autem & bombycinis, præter Lucanum, qui de ornatu & cultu Cleopatræ ita cecinit [8]:

1 d. l. veſtis. 25. in princ. eod. tit.

2 lib. 46. hiſtor.

3 ex epiſt. 91.

4 lib. 2.

5 in Carini Imp. vita.

*Candida Sidonio perlucent pectora filo,*
*Quod Nilotis acus compreſſum pectine Serum*
*Soluit, & extenſo laxauit ſtamina velo.*

6 in 11. Aeneid.

7 lib. 8. & 11 de aſino aureo.

8 lib. 10. de bello pharſal.

Lampridius meminit [9], apud quem Antoninus Heliogabalus primus Romanorum holoſerica veſte vſus fertur, cùm iam ſubſerica in vſu eſſent. Et paulò pòſt de eodem Heliogabalo ſic ſcribit: Cuius placuiſſet commentum ei dabat maximum præmium, ita vt ſericã veſtem donaret, quæ tunc & in raritate videbatur, & in honore. Idẽ auctor de Alexãdro [10]: Veſtes ſericas ipſe raras (ſic enim legerim potius quàm gratas, vbi vulgo ſcriptum eſt ratas) habuit, holoſericas nunquam induit, ſubſericam nunquam donauit. Sanè Tiberii temporibus T. Statilio Siſenna Tauro & L. Scribonio Libone Coſs. factum Senatuſcõſultum fuiſſe, decretúmque, ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent, ne veſtis ſerica viros fœdaret, auctor eſt Tacitus [11], & item Dio [12] his verbis: ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε μὲν ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι, ἀπεῖπε δὲ καὶ χρυσῷ σκεύει μηδένα πλὴν πρὸς τὰ ἱερὰ νομίζειν. (*Tiberius edixit ne quis vir ſerica veſte vteretur, neque aurea vaſa niſi ad rem ſacram haberet.*) Caius Caligula in publico & ſericis & triũphalibus ornamẽtis eſt vſus: ἔν τε τῇ σηρικῇ (ait Dio [13]) καὶ ἐν τῇ νικητηρίᾳ σκευῇ ὡς πλήθει ἐδημοσίευεν. (*Aliquando ſerico veſtitu aut triumphali ornatu inter populum verſabatur.*) Longo poſt Tiberium temporis interuallo, veſtium ſericarum cruore conchylii ex omni texturæ parte infectarum, id eſt purpurearũ vſu tam fœminis

9 in Antonino Heliogabalo.

10 in Alexandro Seuero.

11 lib. 11. an.

12 lib. 57. vide Xiphilinum etiã in Tiberio.

13 lib. 58. hiſtor.

quàm viris, at his non illis holouerarum ſiue holoſericarum veſtiũ vſu, Theodoſii Imperatoris conſtitutio [1] interdixit. De ſubſericis nihil nominatim cauit: verumtamen ſericas profectò veſtes in fœminis etiam (nedum in viris, quibus patrum decreto fuerant prohibitæ) iure meritóque improbaſſe ac reprehendiſſe videtur B. Hieronymus [2], quo loco de inſtitutione puellæ ſic præcipit: Spernat bombycum telas, Serum vellera, & aurũ in fila lenteſcens. Talia veſtimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur. & in Marcellæ viduæ epitaphio [3]: Illæ enim ſolent purpuriſſo & ceruſſa ora depingere, ſericis nitere veſtibus, ſplendere gemmis, aurũ portare ceruicibus, &c. noſtra vidua talibus vſa eſt veſtibus, quibus arceret frigus non membra nudaret, aurum vſque ad anuli ſignaculum repudians. & alibi [4]: Paraſitus in contumeliis gloriatur, ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate veſtium nudæ impudicis oculis ingeruntur. Quinetiam ſericas fœminarum veſtes aliquot ante Hieronymum ſeculis inſectatus fuerat ille quem initio nominaui Seneca, vbi ſic ſcribit [5]: Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt quo defendi aut corpus, aut denique pudor poſſit. Quibus ſumptis, mulier parum liquido nudam ſe non eſſe iurabit. Hæc ingenti ſumma ab ignotis etiam ad commercium gentibus accerſuntur, vt matronæ noſtræ ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo, quàm in publico oſtendant: vbi gentium ignotarũ appellatione Seras, Sidonios, Tyrios, Ægyptios deſignari conſtat ex iis quæ modò expoſuimus, & quorum Iulius Pollux [6] mentionem habet: qui Aegyptio lino, Indicum, quod byſſum dicitur, & ſericũ nema connectit. De quibus omnibus accipi poteſt quod idem Seneca ſcribit illo & alio loco [7] ſic ferè: Non faciem coloribus ac lenociniis polluiſti, nunquam tibi placuit veſtis, quæ amplius nudaret quàm cõponeret. Improbat ſuperioribus verbis Seneca tenues ac pellucidas (ſic enim ipſe alibi [8] nominat) ſiue ſericas, ſiue lineas in fœminis veſtes: de quibus & Clemens Alexandrinus in eandem omnino ſententiam ſcribit [9] ὀλίγον ἐνδοτέον αὐταῖς μαλακωτέροις χρῆσθαι τοῖς ὑφάσμασι· μόνον τὰς μεμωρημένας λεπτουργίας, καὶ τὰς ἐν ταῖς ὑφαῖς περιέργους πλοκὰς ἐκ ποδῶν μεθιστάντας· νῆμα χρυσοῦ, καὶ σῆρας ἰνδικοὺς, καὶ τοὺς περιέργους βόμβυκας χαίρειν ἐῶντας, &c. τὰ γὰρ περιττὰ ταῦτα καὶ διαφανῆ, ἔλεγχός ἐστι διανοίας οὐκ ἐῤῥωμένης, ὀλίγῳ παραπετάσματι τὴν αἰσχύνην τοῦ σώματος προαγωγεύοντα· οὐ γὰρ ἔτι σκέπη ἡ ἁβροδίαιτός ἐστιν ἐσθὴς, τὸ σχῆμα τῆς γυμνότητος κρύπτειν μὴ δυναμένη· προσπίπτουσα γὰρ ἡ τοιαύτη ἐσθὴς τῷ σώματι, προστυποῦται αὐτῷ ὑγρότερον καὶ προσαναπλάττεται, σαρκικῶς ἐμφῦσα τῷ σχήματι· καὶ τὸν τύπον ἐκματτεται τῆς γυναικὸς, ὡς οὐχ ὁρῶντι τὴν ὅλην τοῦ σώματος εἶναι φανερὸν διάθεσιν. (*Quod ſi ſe eis aliquantulum accommodare oporteat, veſtibus quidem paulò mollioribus eis vti concedendum eſt, dummodo nimis ſubtiliter per ſummam ſtultitiam laborata opera, curioſæque in texturis plicaturæ, longiſſimè amandentur: auri fila & Indicos ſeres, & operoſos bombyces valere iubentibus, &c. Superflua enim hæc & pellucida, mentem minimè conſtantem arguunt, quæ exiguo expanſo velo, tanquam quodam lenocinio, corporis pro-*

*1* *l. pen. C. de veſtib. holoueris lib. 11.*
*2 ad Lætam de inſtitutione filiæ.*
*3 ad Principiam virginem.*
*4 in lib. aduerſus Heluidium.*
*5 lib. 7. de benef. cap. 9.*
*6 lib. 7. ὀνομαστικῶν. ca. 17.*
*7 in lib. de conſolatione ad Albinã cap. 16.*
*8 7. declamat. lib. 4.*
*9 lib. 2. pædagog. cap. 10.*



*ris probrum illiciunt. Non enim amplius tegumentum eſt, mollis & delicata veſtis quæ nudam figuram occulere non poteſt. Eiuſmodi enim veſtis in corpus incidens, mollius ipſi corpori imprimitur & applicatur, figuræ carnis inſtar adherens, & mulieris typum ita exprimit, vt vel non videnti manifeſta ſit tota corporis conſtitutio.*) & Plinius his verbis, vbi de bombycibus: Telas araneorum modo texunt (inquit [1]) ad veſtem luxúmque fœminarum, quæ bombycina appellatur. Prima eas redordiri rurſúſque texere inuenit in Ceo mulier Pamphila Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis, vt denudet fœminas veſtis. & vbi de bombyce Coa. Nec puduit (inquit) has veſtes vſurpare etiam viros, leuitatem propter æſtiuam. In tantum à lorica gerenda diſceſſère mores, vt oneri ſint etiam veſtes. Aſſyria tamen bõbyce adhuc cedimus. Hæc Plinius. & in eandem ſententiam alicubi Claudianus:

*miniméque viriles* (inquit [2])
*Munditiæ compti* (vetus codex meus habet culti) *vultus onerique vel ipſa Serica.* Seneca profectò in maribus, quo loco ſui temporis hominum luxuriam notat [3], vt παρατίλσεις, quas Clemens quodam loco [4] vocat, id eſt *euulſos pilos*, ita veſtium pellucidarum vſum reprehendit. Quod vides iſtos (inquit) ſequi, qui aut vellunt barbam, aut interuellunt, qui labra preſſiùs tondent & abradunt, ſeruata & ſubmiſſa cætera parte: qui lacernas coloris improbi ſumunt, qui perlucentem togam: qui nolunt facere quicquam, quod hominum oculis tranſilire liceat. Qui locus cum vno illo A. Gellij & altero Ciceronis, quos ſuperiore proximo capite indicaui, compoſitus atque comparatus maximam lucem accipiet, ac viciſſim dabit: ſi addas quod Portius Latro in Catilinam ſcribit in hæc verba: Sunt quos in foro quotidie in oculis ciuium calamiſtratos, ac veſtibus collucentes paſſim obuolitare cernimus. Et quod Clemens Alexandrinus, tanquam eos quos iam attulimus Senecæ locos exponens, tradit in pædagogi libris [5]: πρὸς δὲ τὸ μαλθακώτερον ἀποκλίναντες, γυναικίζονται· κουρὰς μὲν ἀγεννεῖς καὶ πορνικὰς ἀποκειρόμενοι· χλανίσι δὲ διαφάνεσι περιπεπεμμένοι, καὶ μαστίχην τρώγοντες, ὄζοντες μύρου. (*Ad mollitiem autem declinantes, planè effœminantur: illiberali quidem tonſu atque meretricio ſe tondentes: ſubtilibus autem & pellucidis veſtibus induti & Maſtichen rodentes, & vnguenta olentes.*) Tenues ac pellucidas huiuſmodi veſtes in Co & Ceo inſulis texi ſolitas ex Plinio antè diximus. Itaque Coás ne an Ceas purpureas veſtes apud Horatium exaudire oporteat, qui ambigunt, fruſtra ſeſe, vt opinor cruciant: tu de vulgata lectione nihil immutaueris, quæ ſic habet [6],

*Nec Coæ referunt iam tibi purpuræ,*
*Nec clari lapides tempora:* & alio loco [7],
*Altera nil obſtat Cois tibi pene videre eſt,*
*Vt nudam* nam & apud Tibullum [8]:
*Illa gerat veſtes tenues quas fœmina Coa*
*Texuit, auratas diſpoſuitque vias.*

*1 cap. 22. & 11.*
*2 lib. 2. in Eutropium.*
*3 epiſtola 115.*
*4 lib. 2. pædagogi cap. 10.*
*5 lib. 3. pædagog. cap. 3. ſub initiũ. & toto fere cap. 3. πρὸς τοὺς καλλωπιζομένους τῶν ἀνδρῶν.*
*6 ode 13. lib. 4. carmin.*
*7 lib. 1. ſermon. ecloga 2.*
*8 elegia 3. lib. 1.*

Cæterùm ne putes perlucidas veſtes, & vela veriùs quàm togas (vt Cicero loquitur) ex barbaris tantùm & longinquis regionibus aduehi ſolitas: Tarenti quoque in Italia non longè à Calabria & Appulia pertenues, & pellucidæ veſtes ex lana ianthino ſiue violaceo ſucco tincta, vel purpuræ rubræ Tarentinæ [1] colore ſaturata (quibus Tarentini ad luxum & voluptatem vterentur) confici ſolebãt: quæ Tarentinæ dicebantur, vt Iulius Pollux ad Commodum Imp. ſcribit [2], καὶ μὴν τό γε Ταραντινίδιον διαφανές ἐστιν ἔνδυμα ὠνομασμένον ἀπὸ τῆς Ταραντίνων χρήσεως καὶ τρυφῆς. (*Tarentinium porrò, indumentum eſt pellucidum, ſic dictum quòd eo Tarentini ad luxum vtantur.*) De quibus nimirum illa Horatii [3] carmina intelligenda ſunt:

1 huius purpuræ Plin. meminit ca. 39. lib. 9.
2 lib. 7. ὀνομαστικῶν ca. 17. meminit Galenus in lib. περὶ τοῦ προγινώσκειν.
3 epiſt. 1. li. 2.

*Tanto cum ſtrepitu ludi ſpectantur & artes,*
*Diuitiæque peregrinæ: quibus oblitus actor*
*Cum ſtetit in ſcena concurrit dextera lanæ*
*Dixit adhuc aliquid? nil ſane. quid placet ergo?*
*Lana Tarentino violas imitata veneno.*

Quibus verbis Horatius (nam ipſius quoque mentem obiter exponere nihil prohibet) à populo plauſum dari ait actoribus non propter eorum orationem, ſed propter veſtitum ornatúmque pretioſum, luxurioſum, & ſuperuacaneum, ei ſimilem quo Tarentini plerunque amicirentur homines luxu diffluentes, & prope perditi: quod Claudianus noſter addocet his verſibus [4]:

4 in panegy. in Manlij Theodo. conſ.

*At non Pythagoræ monitus, annique ſilentes*
*Famoſum Oebalij luxum preſsêre Tarenti.*

Atque ipſi quidem Tarentini ſolos ſe viuere, quòd otio & voluptatibus fruerentur, dicebant: alios autem homines non viuere, ſed ad viuendum ſe comparare, vt apud Athenæum [5] traditur. Horatius autem veneni nomine idem intellexit quod Claudianus [6], cùm ita cecinit: *tenebráſque ſerena*

5 lib. 4.
6 in carmine de phœnice.

*Luce ſecat, Tyrio pinguntur crura veneno.*

Sed ex diuerticulo in viam vt dicitur: Lacernas coloris improbi, varias & perlucentes ſericas togas, vt Annæus Seneca & Clemens Alexandrinus, ſic Lucanus, Iuuenalis, Prudentius, & Marcellinus, ſeculi ſui hominibus exprobrant. Ille quidem his verſibus [7]:

7 libr. 1. de bello pharſa.

*cultus geſtare decoros*
*Vix nuribus rapuêre mares: fœcunda virorum*
*Paupertas fugitur: totóque accerſitur orbe*
*Quo gens quæque perit.* Iuuenalis [8] verò his:

8 ſat. 2.

*---ſed quid*
*Non facient alij, cùm tu multitia ſumas*
*Cretice? & hanc veſtem populo mirante, perores*
*In Proculas & Pollineas? eſt mœcha Labulla*
*Damnetur ſi vis, etiam Carphinia, talem*
*Non ſumet damnata togam. ſed Iulius ardet*
*Æſtuo: nudus agas, minus eſt inſania turpis:* & poſteà:
*Quid? non proclames in corpore iudicis iſta*
*Si videas? quæro an deceant multitia teſtem:*

*Acer*



*Acer & indomitus libertatiſque magiſter*
*Cretice pelluces.* Prudentius [1] quoque iſtis

1 Hamartigenia.

*Sed pudet eſſe viros? quærunt vaniſsima quæque*
*Queis niteant: genuina leueis vt robora ſoluant*
*Vellere non ouium, ſed Eoo ex orbe petitis*
*Ramorum ſpoliis, fluitantes ſumere amictus*
*Gaudent, & durum ſcutulis perfundere corpus:*
*Additur ars, vt fila herbis ſaturata recoctis*
*Illudant varias diſtincto ſtamine formas.*
*Vt quæque eſt lanugo fere molliſsima tactu,*
*Pectitur, hunc videas laſciuas præpete curſu*
*Venantem tunicas, auium quoque verſicolorum*
*Indumenta nouis texentem plumea telis.*

Marcellini autem hæc ſunt quæ adſcribam [2]: Alij ſummum decus in carrucis ſolito altioribus & ambitioſo veſtium cultu ponentes, ſudant ſub ponderibus lacernarum, quas in colli exerta fibulis (ſic enim legendum non ſingulis) ipſis adnectant nimia ſubtegminum tenuitate peruia, filis extantes crebris à locis omnibus, maximéque ſiniſtra, vt longioris fimbriæ tunicæ perſpicua luceant varietate liciorum effigiatæ in ſpecies animalium multiformes. Quod ait Marcellinus, Sudant ſub ponderibus lacernarum: hoc ad aurum & gemmas ſiue lapillos lacernis intertextos, &, vt Clementis [3] verba vſurpem, πρὸς λίθων περιεργίαν καὶ χρυσίου ἐξεργασίαν. (*ad lapillorum curioſitatem aurique accurationem*) refero, ad auratas inquam ac ſericas paragaudas auro intextas, quales priuatis virorum vſibus contexere conficeréque Impp. prohibent, & à gynæciariis tantùm ſuis fieri præcipiunt quodam loco [4]. Sic pondera gemmarum, & ſudãtes digitos idem argumẽti genus perſequẽs Iuuenalis dixit [5] his verſibus:

2 ex lib. 14. in princip.
3 cap. 10. lib. 2.
4 l. 1. C. de veſtib. holoueris & auratis lib. 10.
5 ſatyra 1.

*Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi*
*Criſpinus Tyrias humero reuocante lacernas*
*Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurum,*
*Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ,*
*Difficile eſt ſatyram non ſcribere.* Sic Heliogabalum vſum eſſe aurea omni tunica, vſum & purpurea, vſum & de gemmis Perſica Lampridius auctor eſt [6], cùm grauari ſe diceret onere voluptatis. Hoc oneris nomen eodem ſenſu Tertullianus (vt mea fert opinio) vſurpauit in illo loco [7]: Nam quanto diues aliqua eſt, & matronæ (ſic enim lego, non matrona) nomine inflata, tanto capacem domum oneribus ſuis requirit, campum in quo ambitio decurrat. Nã Plinius [8] quoque vbi de anulis & gemmis: Multis hoc modis (inquit) vt cætera omnia luxuria variauit, gemmas addendo exquiſiti fulgoris, cenſúque opimo digitos onerando. & paulò poſt, Galliæ Britanniæque in medio dicuntur vſæ, hic nunc ſolus excipitur, cæteri omnes onerantur. & Hieronymus [9]: Nec collum (inquit) auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres. & noſter Claudianus [10]:

6 in Antonino Heliogabalo.
7 lib. 2. ad vxorem.
8 cap. 5. lib. 33. natural. hiſtor.
9 ad Lætam de inſtitutione filiæ.
10 panegy. ĩ 6. cõſulat. Honorij.

*Subſtringítque comam gemmis, & colla monili*

*Circuit, & baccis onerat candentibus aures.*

& Seneca [1]: Quid refert quantum habeat quot lecticarios, quàm oneratas aures, quàm laxam ſellam, &c. De Zenobia ſcribit Trebellius Pollio [2] ductam eſſe per triumphum ea ſpecie vt nihil pompabilius po. Ro. videretur. Iam primùm (ait) ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum onere laboraret. Fertur enim mulier fortiſſima ſæpiſſimè reſtitiſſe cùm diceret ſe gemmarum onera ferre non poſſe. Simile eſt quod Lucanus Cleopatram cultu laborare ait quodam loco [3]:

*Plena maris rubri ſpoliis collóque comíſque*
*Diuitias Cleopatra gerit, cultúque laborat.*

Seneca [4] etiam de ambitioſo veſtium cultu loquens, ponderis nomen vſurpauit. Placet non in ambitionem cubile compoſitum, non ex arcula prolata veſtis, non ponderibus aut mille tormentis ſplendêre cogentibus expreſſa, ſed domeſtica & vilis, nec ſeruata, nec ſumenda ſollicitè. Claudianus denique ad Honorium [5]:

*Quis iunxit lapides oſtro? quis miſcuit ignes*
*Sidonij rubríque maris? tribuêre colorem*
*Phœnices, Seres ſubtegmina pondus Hidaſpes.*

Quod verò apud Marcellinum pro ſingulis reſtituo fibulis adnectant, perſpicuè rectum eſt: idque tum auctoritate poetarum principis [6] comprobatur, cuius illud eſt:

*Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.*

Et ſanè magnum ac prope neceſſarium fuiſſe fibularum vſum in veſtimentis veterum nemo neſcit [7]. Illud notandum, quod ait Vlpianus [8] vittas margaritarum, item fibulas, ornamentorum magis quã veſtis eſſe: quod ego de iis fibulis accipio, quæ in muliebri cultu percenſentur à Plinio [9]: nam fibulæ veſtimentis annexæ quin veſtimentis, quorum ornandorum cauſa ſunt adhibitæ, quaſi principalibus acceſſionis loco cedant, neminem inficias iturũ crediderim: licet de exemptis, & à veſte ſeparatis aliud ſtatuendum putem. Sed redeo ad pellucidas veſtes, quas rallas ab antiquis vocatas reor, eo quòd Rallam veſtem à raritate dictã Nonius [10] auctor eſt. Plautus [11] verò tunicam rallam à tunica ſpiſſa ſeparat. Seneca etiam pellucidis veſtibus ſpiſſas aut ſpiſſatas videtur opponere [12], apud quem hæc legas: Quare tres gratiæ, & quare ſorores ſint, & quare manibus implexis, quare ridentes, quare iuuenes, & quare virgines ſoluta ac perlucida veſte. Alij quidem videri volunt vnam eſſe, quæ det beneficiũ: alteram quæ accipiat: tertiam quæ reddat, &c. & paulo pòſt: Inueniam alium poetam, apud quem præcingantur & ſpiſſis aut phryxianis prodeant: Trebellius Pollio [13] graues pellucidis opponit in Celſo. Diſcumbere milites, inquit, ne inferiora nudarentur, cum ſagis iuſſit hieme grauibus, æſtate perlucidis. Iuuenalis etiam cùm dixit [14]:

*--pingues aliquando lacernas*
*Munimenta togæ duri craßique coloris,*
*Et malè percuſſas textoris pectine Galli.*

1 *lib. 2. de tranquil. vitæ cap. 14.*
2 *in lib. de triginta tyrãnis, vbi de Zenobia.*
3 *lib. 10.*
4 *lib. 1. de tranquil. vitæ cap. 1.*
5 *in panegyr. in 4. Honorij conſolat.*
6 *Virgil. li. 1. Æneid.*
7 *vide Claudianum li. 2. in Eutropiũ. & Sidoniũ Apollinarẽ in Anthemij panegyrico & in Maioriano.*
8 *l. argumẽto. D. de auro & ar. lega.*
9 *lib. 33. natural. hiſtor. cap. 1. Fabricam etiam Deûm fibulas & alia muliebris cultus ſicut in aureis.*
10 *in lib. de genere veſtimentorum.*
11 *Epidico actus 2. ſce. 2. Tunicam rallam tunicam ſpiſſam linteolum cæſicium.*
12 *li. 1. de beneſic. cap. 3.*
13 *in triginta tyrannis.*
14 *ſatyra 9.*





graues & ſpiſſas veſtes intellexit & perlucidis contrarias. Craſſas Quintilianus alicubi [1] ſericis opponit, quas eſſe pellucidas docuimus: Do tempori (ait) ne craſſa toga ſit non ſerica, ne intonſum caput non in gradus atque anulos totum comptum. Hoc ille. Sanè quemadmodum pingues lacernas Iuuenalis, ita Suetonius togam pinguem dixit in Octauio [2]. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis & ſubuculæ thorace laneo, & feminalibus & tibialibus muniebatur. Cùm autem perlucere dicamus ea, quæ adeò rara ſunt vt lucem tranſmittant (qua ſignificatione accipitur apud Senecam, vbi ait [3]: Quid enim ſimile ſpeculis habent nubes, cùm illa non perluceant, hæ tranſmittant lucem. Illa denſa & coacta, hæ raræ ſint?) Eius verò naturæ ſit vitrum vt perluceat: ideóque idem Seneca [4] in nube aliquid dicat eſſe vitro ſimile, quod poteſt perlucere: & Horatius [5] fidem arcani prodigam perlucidiorem vitro nominet: propterea, vt arbitror, perlucida veſtimenta vitrea veteres vocabant, vt Nonius Marcellus docet, cuius hęc verba ſunt [6]: Vitreum pertenue & perlucidum quidquid eſt auctoritate veterum dici poteſt. Varro Modio. Quam iſtorum quorum vitreæ togæ oſtentant tunicæ clauos, ſic enim duobus locis apud ipſum Nonium [9] verſus ille Varronis legi debet. Vitreas telas eodem ſenſu Claudianus dixit his verſibus [10]:

*Palla graues humeros velat, quam neuerat vxor,*
*Illi percurrens vitreas ſub gurgite telas.*

Ac pellucidas quidem vtpote leuiores, tenuiores, & delicatiores non Romanis modò, ſed etiam Græcis veteribus in vſu aliquo, præſertim cœnatorias veſtes fuiſſe vel ex eo colligitur, quod apud Valerium [11] de Polemone & Xenocrate relatum eſt. Cùm è conuiuio non poſt occaſum ſolis, ſed poſt ortum ſurrexiſſet, domúmque rediens Xenocratis philoſophi patẽtem ianuam vidiſſet, vino grauis, vnguẽtis delibutus, ſertis capite redimito, pellucida veſte amictus, refertam turba doctorum hominum ſcholam eius intrauit. Albis quidem certe veſtibus Romanos cœnatoriis, vt Athenienſes forenſibus amiciri atque indui ſolitos verum eſt, ídq. alio loco, ſi erit cõmodum, demonſtrabimus. Nunc ad alia omnia nos animus trahit, cui in hoc ſcriptionis genere nõnihil indulgeri omnino neceſſe eſt.

1 *lib. 12. Inſtitut. orator. cap. 10.*
2 *cap. 82.*
3 *lib. 1. natural. quæſt. cap. 5.*
4 *ca. 6. li. 1. natural. quæſt.*
5 *lib. 1. Carminum ode 18. ad Varũ.*
6 *in libello de impropriis.*
7 *in lib. de impropriis & de genere veſtimentorum.*
8 *in panegyric. in Probũ & Probin. atque Olibr.*
9 *lib. 6. cap. 11. de varietate caſuum.*

---

*Pœnæ militares & communes. Munifices. Principales, Beneficiarij. Feſtus & Valerius explicantur. Fronto emendatur. Legiones puniebãtur. Suetonij locus vt legendus. Exauctorationis ignominioſæ, itémque miſſionis ignominioſæ formula. Exponuntur & conciliantur inter ſe l. 2. §. Ignominiæ. D. de iis qui not. inſa. & l. milites 13. §. Et ſi ſine. D. de re milit.*

## CAP. XVII.

POEnarum ſiue capitalium, ſiue non capitalium quædam ſunt militum propriæ, quædam paganorum, quædam communes. Rurſum quæ paganorum, eæ vel humiliorum, id eſt plebeiorum, vel etiam honeſtiorum hominum perſonis infli-

guntur,de quibus alibi:de militaribus & communibus hoc loco dicturi ſumus. Pœnæ militum huiuſcemodi ſunt (ait Modeſtinus[1]) Caſtigatio,pecuniaria multa, munerum indictio , militiæ mutatio, gradus deiectio , ignominioſa miſſio: nam in metallum aut in opus metalli non dabuntur nec torquentur. Hæc Modeſtinus, qui inter militum pœnas pecuniariam multam percenſuit , non quòd ea ſit militum propria, ſed quòd vt paganis , ita militibus nonnunquam indicatur atque irrogetur.Nec mirum eſt pœnas quaſdam communes eſſe : cùm & militum delicta ſiue admiſſa aut propria ſint, aut cum cæteris communia : vnde & perſecutio aut propria aut communis eſt,vt Menander ſcribit[2]:Proprium militare delictum idem eſſe ait[3], quod quis vti miles admittit in exercitu ſcilicet vel in caſtris,& hoc quidem caſtrenſe peccatum dicere cum Vopiſco poſſumus:cuius hæc verba ſunt[4]:Militibus ita timori fuit, vt ſub eo poſt eaquàm ſemel cum ingenti ſeueritate caſtrenſia peccata correxit, nemo peccauerit. Caſtrenſe igitur ſiue militare delictum eſt, quod extra caſtra & in pace nullum aut perleue ſaltem eſſet : veluti contumaciæ, ſegnitiæ, vel deſidiæ crimen (vt eſt apud Menandrum[5]) aut ſi (quod pagano neutiquam prohibetur) miles artem ludicram fecerit,vel in ſeruitutem ſe venire paſſus ſit:nam capite puniendum eſſe militem ex ea cauſa Menander idem apudMacrum auctor eſt[6]. Ex quo apparet,militari delicto non ſemper propriam pœnam, ſed plerunque communem iniungi:vt & ex eo quòd miles qui in bello arma amiſit vel alienauit,capite punitur , humanè militiam mutat,auctore Modeſtino[7]: nam armorum amiſſio, itémque alienatio delictum eſt militare , & quidem graue (vt Paulus docet[8].)Itaque flagitium militare,vt Imperatores loquũtur[9],dici poteſt. Polybius quidem hoc ipſum non in delictis,quæ ἀδικήματα nominat,militaribus,ſed in criminibus, quæ ἐγκλήματα vocantur , poſuit : vt & alia quæpiam , veluti ſi quis locum ſtationémve deſeruerit , ſi honoris conſequendi gratia fortiter ſe feciſſe quis apud Tribunum mentitus ſit.In delictorum autem ordinem hæc retulit idem auctor, furtum in exercitu admiſſum,falſum teſtimonium, præpoſteram libidinem,& ſi quis eadem ex cauſa , id eſt ob conſimile factum tertiò mulctatus fuerit. Hiſtorici clariſſimi & vetuſtiſſimi hæc verba ſunt[10]:ξυλοκοπεῖται δὲ καὶ ὁ κλέψας τι τῶν ἐκ τοῦ στρατοπέδου. καὶ μὴν ὁ μαρτυρήσας ψευδῆ, παραπλησίως. καὶ ἐάν τις τῶν ἐν ἀκμῇ παραχρησάμενος εὑρεθῇ τῷ σώματι· πρὸς δὲ τούτοις ὁ τρὶς περὶ τῆς αὐτῆς αἰτίας ζημιωθείς. ταῦτα μὲν οὖν ὡς ἀδικήματα κολάζουσιν· εἰς δ' ἀνανδρίαν τιθέασι καὶ στρατιωτικὴν αἰσχύνην τὰ τοιαῦτα τῶν ἐγκλημάτων, ἐάν τινες ψευδῆ περὶ αὑτῶν ἀνδραγαθίαν ἐπαγγείλωσι τοῖς χιλιάρχοις, ἕνεκεν τοῦ τιμὰς λαβεῖν. ὁμοίως ἄν τινες ἐφεδρείαν ταχθέντες φόβου χάριν λίπωσι τὸν δοθέντα τόπον, παραπλησίως ἐάν τις ἀπορρίψῃ τι τῶν ὅπλων κατ' αὐτὸν κίνδυνον διὰ φόβον. (*Qui quicquam ex caſtris furatus fuerit , pariter qui falſum teſtimonium tulerit, denique & qui in acie conſtitutus abuſus corpore comperitur, fuſte cæditur. Ad hæc,qui ter eandem ob cauſam fuerit mulctatus.Caſtigantur porrò hæc vt delicta.Imponitur verò ignauiæ ignominia militaris,ſicut & cæteris criminibus , qualia ſunt,ſi quis fortitudinem apud Tribunum falsò*

1 *l.3.§.pœnæ D.de re milit.*
2 *l.2. D. de re militari.*
3 *d.l.2.*
4 *in Aureliano.*
5 *l.omne delictũ.in prin. D.de re mil.*
6 *l. quædam delicta. D. de pœnis.*
7 *d.l.3.§. miles.*
8 *l.qui commeatus.§. arma.eod.tit.*
9 *l.& militibus.C.de teſta.militis.*
10 *ex lib. 6. hiſtor.*



*falsò iactauerit,honoris conſequendi gratia,ſi in præſidio collocatus,ſtationem ſuam præ timore deſerit,pariter quoque ſi in ipſo periculo præ timore armorum aliquid abiicit.*)Duplex verò pro criminis admiſſi qualitate,aut potius pro animo iudicis, militaris pœna præſtituitur : vna communis,altera propria. Etenim militiæ mutatione ſoli milites, capitis pœna & milites & pagani plecti ſolent. Erat militiæ mutatio exempli gratia(vt id obiter dicam ) cùm ex iis qui equo meruerant,peditum numero iubebantur militare: aut qui pedites fuerãt, in funditorum auxilia tranſcribebantur: vt de iis decretum fuiſſe à Senatu ait Valerius[1],quos bello Tarentino captos,& à Pyrrho rege vltro miſſos recepiſſet.Hoc autẽ eſt gradu pelli,gradu militiæ deiici,vt Modeſtinus noſter loquitur[2] ,vt Menander ait[3] in deteriorem militiam dari:ſed equitem gradu pelli , peditem militiam mutare idem Iuriſconſultus ſentire videtur , cùm ita ſcribit[4]:Qui in pace deſeruit,eques gradu pellendus eſt, pedes militiam mutat. Ammianus Marcellinus:Equites, inquit[5], quartæ ſagittariorum cohortis, quæ ad rebellem defecerat,vt contentum ſe ſupplicio leniori monſtraret,omnes contruſit ad infimũ militiæ gradum.De caſtigatione quæſitum ex me fuit aliquando,vtrum ea militaribus duntaxat , an etiam communibus pœnis annumeranda ſit. Quod,adhibita diſtinctione,homonymiæ vitandæ gratia ita explicandum cenſui,vt de caſtigatione quæ flagellorum dicitur à Calliſtrato[6] ,Modeſtinus non ſenſerit:nã hæc corporis coercitio grauior atq.atrocior non modò militibus aut honeſtioribus paganis,ſed ne ſordidioribus quidẽ & humilioribus cõuenit:ſerui tãtùm homines[7] ob cõmeritã malã noxiã,ita caſtigari poterãt.Milites verò,vt vel fuſtibus[8] ,vel vitibus[9] à Tribuno cẽturione aut principali cæderẽtur. Itaq.Scipio cùm eſſet ad Numãtiã, quẽ militẽ extra ordinẽ deprehẽdit ſi Romanus eſſet, vitibus:ſi extraneus,fuſtibus cæcidit,auctore Liuio[10] : adeò vitis in delictis pœnã ipſã honorabat,vt Plinius[11] ſcribit.Druſum Gracchis auctorẽ fuiſſe legis illius ferẽdæ, Plutarchus memorat : qua milites quoq.Latini fuſtiũ ſupplicio exẽpti ſunt:τοῦ δ' ἑ(ait)ὅπως μηδ' ἐπὶ στρατείας ἐξῇ τινὰ Λατίνων ῥάβδοις αἰκίζεσθαι γράψαντος, ἐβοήθουν τῷ νόμῳ. (*Cùm ille legem tuliſſet,ne Latinos milites fuſtibus cædere in exercitu liceret,vt illa reciperetur,opem ſuam commodarũt.*)Plerunq.tamẽ & milites & Cẽturiones quoq.ſi quidpiã grauius admiſiſſent,nõ vitibus, ſed fuſtibus coercebãtur. Caluinus quidẽ Domitius,vt eſt apud Velleiũ Paterculum, cùm ex Conſulatu obtineret Hiſpaniã,grauiſſimi cõparandíq.antiquis exẽpli auctor fuit,quippe primipili cẽturionẽ nomine Iubilliũ ob turpẽ ex acie fugã fuſte percuſſit. Et caſtigatio quidẽ fuſtium,quæ admonitio à Calliſtrato nominatur,communis militũ atq.paganorũ coercitio : vitis autẽ caſtigatio propria militũ, & quidẽ ciuiũ Romanorũ pœna caſtrẽſis fuit. Verũtamẽ ſi quis illa Paterculi verba,Fuſte percuſſit,ad ξυλοκοπίας pœnam retulerit,non repugnabo.Ea fuit militũ propria,& à Polybio grauiſſimo hiſtorico deſcribitur. In animaduerſionibus militaribus , præter eas quas Modeſtinus enumerat , fuerunt aliæ quamplurimæ : quibus Imperatores ac duces,qui bellum adminiſtrabant,ſuo quiſque

1 *lib.2.cap.2. vbi de Cotta,itẽ vbi de Calpurnio.*
2 *d.l.3.§.qui ſtationis. & §.ſi plures. & §.ſeditionem.*
3 *l.4. §.qui filiũ.eod.tit.*
4 *l.nõ omnes 5. §. qui in pace.eod. ti.*
5 *lib.29.*
6 *l.veluti fuſtium. 7. D. de pœnis.*
7 *l.4.§.1.D. de incendio, ruina & naufrag.quæ sũt ſeruilia verbera. vide Briſſonium cap. 9.lib.3. antiquitat.*
8 *l.3.§. ſed qui agmẽ D. de re milit.*
9 *l. milites. 13. §.irreuerẽs.eo.ti.vbi de vite cẽturionis. Budæus videatur & Cælius Rhodiginus li.26.lec. antiq.c. vlt.& P. Pithœus c.15.li.1.aduerſar.ſubſeciuor.qui plurimos locos adferũt,quibus addãtur ex Silij Itali c.li.3.& 12. Lucani li.6. & Apuleij li.9.de aſin. aureo.vbi Beroaldus.*
10 *epito.li. 58.*
11 *lib.14.c.1. ad finem.*

arbitrio & milites & centuriones ipſos, interdum etiam totas co-
1 in Octauio cap.24. hortes aut legiones afficerent. Suetonius quidem ita ſcribit[1]: Octa-
uius Auguſtus cohortes ſi quæ ceſſiſſent loco decimatas hordeo pa
uit, Centuriones ſtatione deſerta itidem vt manipulares capitali a-
nimaduerſione puniit: pro cætero delictorum genere variis igno-
miniis affecit, vt ſtare per totum diem iuberet ante Prætorium, in-
terdum tunicatos diſcinctóſque, nonnunquam cum decẽpedis vel
etiam cæſpitem portantes. Hæc ex antiquo more Octauius, ad quẽ
2 d. cap.24. in re militari nonnulla reuocauerat, vt idẽ Suetonius [2] tradit. Mar-
cellus quidem ſeptingentis ſupra bis mille Romanorum cæſis, at-
que ita bello aduerſus Annibalem ſuperatus annis antea permultis
victis cohortes hordeo (vt apud Plutarchum legimus) pauerat. E-
3 in vita Marcelli. ius enim auctoris hæc ſunt, quæ adſcribam[3]: διαλεχθεὶς δὲ ταῦτα προ-
σέταξε ταῖς ἡττημέναις σπείραις ἀντὶ πυρῶν κριθὰς μετρῆσαι. (*His dictis,*
4 lib.7. decad.3. *victis cohortibus pro frumento hordeum admetiri iuſsit.*) & apud Liuiũ[4]:
Cohortibus (inquit) quæ ſigna amiſerant, hordeum dari iuſſit. Sed
& Antonius quòd à Medis obſeſſis eruptione facta milites ſui val-
lo deſerto ceſſiſſent, & feciſſent fugam, iratus ipſos decimauit, aliiſ-
que hordeum pro frumento admetiri iuſſit, vt his verbis Plutar-
5 in Antonij vita. meminit Dio lib.49. histo. chus tradidit[5]: τῶν δὲ Μήδων ἐκδρομὴν τινὰ ποιησαμένων ἐπὶ τὸ χῶμα, καὶ
τοὺς προμαχομένους φοβησάντων, ὀργισθεὶς ὁ Ἀντώνιος ἐχρήσατο τῇ λεγο-
μένῃ δεκατείᾳ πρὸς τοὺς ἀποδειλιάσαντας. διελὼν γὰρ εἰς δεκάδας τὸ πλῆ-
θος ἕνα τὸν λαχόντα κλήρῳ διέφθειρε. τοῖς δὲ ἄλλοις ἀντὶ πυρῶν ἐκέλευε
κριθὰς μετρεῖσθαι. (*Perſæ eruptione quadam facta in vallum, timore cor-
repti fuerunt qui in prima acie erant, quamobrem iratus Antonius in eos
qui aufugerant, decimationem vſurpauit, cuius antea facta eſt mentio. Di
uiſa enim per decurias multitudine, decimum quemque ſortitò enecauit.
Cæteris hordeum pro frumento iuſsit admetiri.*) Hoc ipſum Octauius
6 lib.49. histor. in bello aduerſus Dalmatas feciſſe traditur à Dione[6], qui, ἐπὶ δὲ δὴ
τοὺς Δαλμάτας (ait) πρότερος μὲν ὁ Ἀγρίππας, ἔπειτα δὲ καὶ ὁ Καῖσαρ ἐπεστρά-
τευσε, καὶ τοὺς μὲν πλείους σφῶν αὐτοὶ πολλὰ καὶ δεινὰ παθόντες, ὥστε καὶ
τὸν Καίσαρα τρωθῆναι, καὶ τῶν στρατιωτῶν τισὶ κριθὴν ἀντὶ τοῦ σίτου δο-
θῆναι, καὶ ἑτέρους τὴν τάξιν ἐκλιπόντας δεκατευθῆναι, κατεστρέψατο.
(*In Dalmatas autem Agrippa prius, deinde Cæſar ipſe exercitum du-
xit, eóſque pleroſque hi, multis ac magnis acceptis incommodis (nam &
Cæſar vulneratus eſt, & militibus propter delictum quibuſdam hordeum
pro tritico datum, & aliorum qui ordines deſeruiſſent, decimus quiſque
ſorte ad pœnam delectus) ſubiugauerunt.*) Lucius autem Calphur-
nius Piſo Conſul cùm in Sicilia bellum aduerſus fugitiuos gereret,
& Titius equitum præfectus, fugitiuorum multitudine hoſtium
circumuentus, arma ipſis tradidiſſet, his præfectum ignominiæ ge-
neribus affici iuſſit, eum toga laciniis abſciſſis amictum, diſcinctá-
que tunica indutum, nudis pedibus à mane noctem vſque ad prin-
cipia per omne tempus militiæ adeſſe: interdixit etiam ei conuictũ
hominum, vſúmque balneorum, turmáſque equitum, quibus præ-
fuerat, ademptis equis in funditorum alas tranſcripſit, vt eſt apud
7 lib.2. ca.2. Valerium[7]. Lucullus quoque ad Mithridatem & Tigranem debel-
landos



landos miſſus hanc ignominiæ labem ignauis & meticuloſis, &, vt
Cæſaris verbum vſurpem, fugitiuis militibus ſuis aſperſit, vt eos in
aliorum commilitonum conſpectu iuberet tunicatos & diſcinctos
foſſam ad duodecim pedum altitudinem fodere: ídque Plutarchus
idem memoriæ prodidit 1 ſic fere: ἐπανελθὼν δὲ ὁ Λεύκουλλος ἀτιμίαν 1 in Luculli vita.
τινὰ τοῖς φεύγουσι νενομισμένην προσέβαλε κελεύσας ἐν χιτῶσιν ἀζώστοις
ὀρύξαι δώδεκα ποδῶν τάφρον, ἐφεστώτων καὶ θεωμένων (ſic enim lego
non θεομένων) τῶν ἄλλων στρατιωτῶν. (*Reuerſus Lucullus, ignominiam
fugitiuis legibus latam inflixit, iubens præſentibus & conſpicientibus cæ-
teris militibus, tunicatos & diſtinctos foſſam duodecim pedum fodere.*)
Erat hæc quaſi quædam pœna, ignominia quidem certe haud le-
uis, præſertim principalibus militibus, obire cogi vilia quædam
miniſteria potius, quàm munera militaria: à quibus munifices quoſ
dam milites nominatos Paulus 2 tradit, & vnus omnium optimè 2 l. munus. 18. de verb. ſign.
Vegetius 3 explicat his verbis: Faſcicularia tamen, id eſt lignum fœ
num aquam ſtramen etiam legitimi milites in caſtra portabant: mu
nifices enim ab eo appellantur, quòd hæc munera faciant, & facere 3 lib.2. cap. 19.
cogantur quæ principales milites non faciunt, qui priuilegiis mu-
niuntur, vt idem auctor alibi ſcribit 4: vbi principalium ſiue prin- 4 lib.2. cap. 7.
cipum (hoc enim proprium eorum verbum eſt) militum nomina
& dignitates enumerat: in quibus Tribuni maior & minor, Ordi-
narij Auguſtales, Flauiales, Aquiliferi, Imaginarij, Optiones, Signi-
feri, Teſſerarij, Cãpigeni, Metatores, Beneficiarij, Librarij, Tubici-
nes, Cornicines & Buccinatores, Cenſores, Torquati, Candidati
percenſentur. Ex quibus illud Feſti verbum, alioqui perobſcurum,
licet intelligere. Munifices qui non vacabant, ſed principi (non Im
peratori, vt puto, ſed militi) munus faciebant: contrà Beneficiarij di
cebantur, qui vacabant muneris officio. Hęc Feſtus: at beneficiarios
ab eo appellatos, quòd beneficio Tribunorum promouerentur, idẽ
Vegetius tradit 5: ex quo intelligẽdum illud Suetonij de Tiberio 6: 5 d. cap.7. 6 cap.12. in Tiberio.
Venit etiam in ſuſpicionem per quoſdam beneficij ſui Centuriones
à commeatu caſtra repetentes, mandata ad complures dediſſe am-
bigua, &c. nam de promotis ad Centurionatum militibus loqui-
tur, quòd alioqui difficile obiter adnotatum volumus. Beneficia-
riis verò & reliquis principalibus turpe quodammodo & inhone-
ſtum erat, ſi pœnæ cauſa, quod munifices obire tenebantur, ipſi po
tiſſimum diſcincti ſtramenta & ligna ſecare, aut foſſam fodere co-
gerentur. Itaque Senatus Rom. acceptis à M. Marcello literis, vt eo-
rum, qui apud Cannas Rempub. deſeruerant, opera ſibi ad expugna
tionem Syracuſanorum vti liceret, reſcripſit indignos eſſe qui in
caſtra reciperentur: cæterùm ſe ei permittere vt faceret quod expe-
dire Reip. iudicaſſet, dum ne quis ex eis munere vacaret, &c. vt Va-
lerius Maximus auctor eſt 7: quod ſic accipiendum ex iis quæ mo- 7 lib.2. ca.2.
dò diximus palam eſt, vt eos non principalium, ſiue principum, ſed
munificum loco legi Senatus vellet pœnæ cauſa. Milites igitur
Mariani apud Plutarchum 8 ita de Mario queruntur, cùm à Teu- 8 in vita Marij.
tonibus ad pugnam prouocatus eſſet, quòd ipſis liturgis, id eſt mu-

nificibus & operariis ad foſſas excauandas, exhauriendum cœnū, & flumina diuertenda perpetuò vteretur: ad dimicandum verò in aciem exire aduerſus hoſtes non ſineret, ſed tanquam fœminas ſub ianitorum cuſtodia contineret: τίνα δὴ καταγνοὺς (aiunt) ἀνανδρείαν ἡμῶν Μάριος εἴργει μάχης ὥσπερ γυναῖκας ὑπὸ κλεισὶ καὶ θυρωροῖς; φέρε παθόντες ἀνδρῶν πάθος ἐλευθέρων ἐρώμεθα πότερον ἄλλους ἀναμένει μαχομένους ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας, ἡμῖν δὲ λειτουργοῖς χρήσεται διὰ παντός, ὅταν δέηται τάφρους ὀρύσσειν, καὶ πηλὸν ἐκκαθαίρειν, καὶ ποταμούς τινας παρατρέπειν; ἐπὶ ταῦτα γὰρ, ὡς ἔοικεν, ἤσκει τοῖς πολλοῖς πόνοις ἡμᾶς. (*Quam tādem ignauiam in nobis deprehendit Marius, quòd nos tanquam fœminas, à pugna ſub clauium & ianitorum cuſtodia arceat? Age cum virili ſimus animo, liberique interrogemus eum, num alios expectat depugnaturos pro libertate, nobis verò perpetuò munificibus ad foſſas excauandas, cœnum exhauriendum vel flumina diuertenda uti velis? Iſtis enim operis, ſummis laboribus, nos exercuit.*) Sed vt ad rem, fuit hæc quoque antiquitùs militaris animaduerſio, Iubere ignominiæ cauſa militi venam ſolui, & ſanguinem mitti: cuius rei rationem & originem ſubtiliter indagat A. Gellius in noctium Atticarum libris[1]. M. Cato memoriȩ tradidit, vt apud Iulium Frontonem relatum eſt [2], in furto comprehenſis inter commilitones dextras eſſe præciſas, aut ſi lēniùs (malim leniùs) animaduertere voluiſſent in principiis (ſic enim lego, vt id ſignificet, quod Valerius ait ad principia, non principis) ſanguinem miſſum. Modeſtinus autem eum qui aliena arma ſurripuit, gradu militiæ pellendum ſcribit.[3] Polybius verò, τὸν κλέψαντά τι τῶν ἐκ τοῦ στρατοπέδου ξυλοκοπεῖσθαι, (*fuſte percuti eū qui furto quidpiam in exercitu ſurripuerit addocet* [4],) vt antè diximus. Sed & ineūte imperium Tiberio cùm legiones duæ prima & viceſima in Germanicum (penes quem ſummæ rei regimen erat in Gallia) impetū feciſſent, ipſéque Germanicus Cæſar graui concione habita circumfuſos repreſſiſſet, ipsíque ſupplices & vera exprobrari fatentes oraſſent eum vt puniret noxios, ignoſceret lapſis, & duceret in hoſtem: præterea ſeditioſiſſimum quemque vinctos traxiſſent ad legatum legionis primæ C. Cetronium: hic iudicium & pœnas de ſingulis in hunc modum exercuit, vt Tacitus [5] ſcribit: Stabant pro concione legiones diſtrictis gladiis, reus in ſuggeſtu per Tribunum oſtendebatur: ſi nocentem adclamauerant, præceps datus trucidabatur, & gaudebat cædibus miles tanquam ſemet abſolueret: nec Cæſar arcebat quando nullo ipſius iuſſu penes eoſdem ſæuitia facti & inuidia erat. Hæc ex Tacito.

Ad hoc exactæ per ipſos milites pœnæ genus illud Marcellini [6] referendum videtur: Cùm inueniſſet eos in exercitu circumſeptos: Quid de iſtis nefariis, inquit, proditoribus fieri oportere contubernales deuoti cenſetis? Secutúſque adclamationem rogantium ſanguine vindicari, eos qui inter Conſtantianos merebant, priſco more militibus dedit occidendos. Verùm non modò milites ſingulos, ſed & cohortes & legiones quoque

1 *lib.* 10. *ca.* 8.
2 *cap.* 4. *lib.* 1. στρατηγημάτων.
3 *l.* 3. §. *miles. verſic. qui aliena. D. de re militari.*
4 *lib.* 6. *hiſtor.*
5 *lib.* 1. *annal.*
6 *ex lib.* 29. *rerum geſtarum.*



quoque interdum totas malè multatas à ducibus fuiſſe addocent Romanæ hiſtoriæ. C. Curio Cos. bello quodam circa Dyrrachium (cùm ex quinque legionibus vna ſeditione facta militiam detrectaſſet, ſecuturámque ſe temeritatem ducis in expeditionem aſperam & inſidioſam negaſſet) quatuor legiones eduxit armatas, & conſiſtere ordinibus detectis armis velut in acie iuſſit, poſt hæc ſeditioſam legionem inermem procedere, diſcinctámque in conſpectū armati exercitus ſtramenta coegit ſecare, poſtero autem die ſimiliter foſſam diſcinctos milites facere: nulliſque precibus legionis ab eo impetrari potuit, ne ſigna eius ſummitteret noménque aboleret: milites autem in ſupplementum cæterarum legionum diſtribueret, vt Iulius Fronto auctor eſt[1]. Et nonam quidem legionem apud Placentiam Iulius Cæſar, quamquam adhuc in armis Pompeius eſſet, totam cum ignominia miſſam fecit, vt Suetonius [2] memorat. Decimam legionem Octauius Auguſtus (vt ex eodem Suetonio [3]. didicimus) contumaciùs parentem cum ignominia totam dimiſit: Sic enim potius quàm Diuiſit, legendum eſſe, cùm alter ille locus argumento eſt, tum verò hæc noſtri Modeſtini [4] verba manifeſtò comprobant. Et cùm multi milites in aliquod flagitium conſpirent, vel ſi legio deficiat, auocari militia ſolet.

Quid enim aliud eſt legionem militia auocari, quàm exauctorari, hoc eſt ſacramento ſolui, & ignominia mitti? Poſtremo ignominioſam miſſionem Modeſtinus [5] idem inter militum pœnas connumerat, cuius vim Vlpianus [6] & Macer [7] explicant, & verò exemplum illuſtriſſimum Herodianus [8] adfert, quod ſuo tempore ac loco proponemus: nunc ad Suetonium, ſi placet, reuertamur. Is ergo poſt quam de Decima legione id ſcripſit quod modò expoſuimus, adiicit ſtatim [9]: Item alias immodeſtè miſſionem poſtulantes, citra commoda emeritorum præmiorum exauctorauit. Hoc ipſum Iulius Fronto [10] ita extulit: Caius quoque Cæſar cùm quædam legiones eius ſeditionem mouiſſent, adeo vt in perniciem quoque ducis viderentur conſurrecturæ, diſſimulato metu proceſſit ad milites: poſtulantibúſque miſſionem, vltro minaci vultu dedit: exauctoratos pœnitentia coegit ſatisfacere Imperatori, obſequentioréſque in reliquum operas edere. Alexandrum Seuerum Imperatoré ſeueritatis tantæ fuiſſe in milites Lampridius narrat [11], vt ſæpe legiones integras exauctorauerit, ex militibus Quirites appellans, nec exercitū vnquā timuerit. Quo in loco verū eſt aſpexiſſe Lampridiū ad veterem & ſolénem, ſed ab eo qui formulas collegit omiſſam, à Budæo tamen illo animaduerſam [12] exauctorationis formulam: in qua exauctorati, Quirites quaſi priuati pagani & plebeii nec iam amplius milites nominabantur: vt ex eoſatis apparet, quòd Alexander idem Seuerus in concione quadam ad milites expreſſit, cùm eſſet mota ſeditio à legione, cuius ſocii erant in vincula coniecti, ob id quòd Antiochiæ lauacris muliebribus & deliciis vacarent.

1 *lib.* 4. στρατηγημάτων.
2 *in Iulio. cap.* 69.
3 *in Octauio cap.* 24.
4 *l.* 3. §. *pen. D. de re mil.*
5 *d. l.* 3. §. *pœnæ. D. de re militari.*
6 *l.* 2. *in princip. & §. ignominiæ. D. de iis qui not. infa.*
7 *l. milites.* 13. §. *miſſionum. D. de re milit.*
8 *lib.* 2.
9 *in Octauio. cap.* 24.
10 *cap.* 10. *lib.* 1. τῶν στρατηγημάτων.
11 *in Alexandri Seueri vita.*
12 *in annotationibus ad l.* 2. *D. de iis qui not. infa.*

Igitur orto tumultu, Continete (inquit poſt pauca) vocem truculẽtam cãpo ac bellis neceſſariam, ne vos hodie omnes vno ore atque vna voce Quirites dimittam, & incertum an Quirites: non enim digni eſtis qui vel Romanæ plebis ſitis, ſi ius Romanum non agnoſcitis. Cùm nihilominus poſt iſta fremerent, exclamauit, Quirites diſcedite, atque arma deponite. Mirando exemplo depoſitis armis, depoſitis etiam ſagulis militaribus, omnes non ad caſtra, ſed ad diuerſoria varia receſſerũt, &c. arma collecta populus ad palatium tulit: eam tamen legionem quam exauctorauit, rogatus per dies xxx. priuſquàm ad expeditionem Perſicam proficiſceretur, loco ſuo reſtituit. Hæc ex Lampridio, cui has antiquæ ac perelegantis formulę reliquias debemus. Nam quòd Quirites pro militibus eos vocabat Seuerus apud Lampridium, qui ſeditionem facerent, & ſtatim exauctorandi eſſent, hos illum exemplo Iulij Cæſaris præſtantiſſimi Imperatoris ita nominaſſe conſtat: primùm ex eo 1 quòd Placentiæ orto inter milites tumultu atque ſeditione, cùm eorum nonnulli militiam detrectarent, alij ad Pompeium transfugere cõſtituiſſent, ad ipſos ita loquutus fertur: vt delictis exprobratis longam orationem hoc verbo quod Dio retulit concluderet: παύεσθε μὲν δὴ ταύτης τῆς στρατιᾶς, ὦ, τί ἂν ὑμᾶς ὀνομάσαιμι; οὐ μέντοι ὡς καὶ αὐτοὶ καὶ βούλεσθε καὶ φατὲ, ἀλλ᾽ ὡς τῷ κοινῷ καὶ ἐμοὶ συμφέρει. (*Agedum igitur vos, quos quo nomine compellem digno non habeo: miſſos vos ab iſta mea militia facio, non tamen eo quo decreuiſtis & expoſuiſtis modo, ſed vt Reipub. mihíque fore bono arbitror.*) quo verbo eos cum ignominia miſſos fecit, vt Suetonius tradit, nóſque paulò antè diximus. Tum verò ex verbis Germanici: qui in concione quadam ad milites apud Tacitum 2, Diuus Iulius (inquit) ſeditionem exercitus verbo vno compeſcuit, Quirites vocando qui ſacramentum eius detrectabant: & ex eo denique quod Suetonius ſic ferè ſcribit 3, Decumanos autem Romæ cum ingentibus minis, ſummóque etiam vrbis periculo miſſionem & præmia flagitantes, ardente tunc in Africa bello, neque adire cunctatus eſt, quanquam deterrentibus amicis, neque dimittere: ſed vna voce qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facilè circumegit & flexit, vt ei milites eſſe confeſtim reſponderint: & quamuis recuſantem vltro in Africam ſint ſecuti, ac ſic quoque ſeditioſiſſimum quemque & prædæ & agri deſtinati tertia parte multauit: quæ omnia Dio 4 diligenter expreſſit quodam loco, in quo verba etiam Cæſaris retulit huiuſmodi: ἀλλ᾽ ὀρθῶς γε ὦ Κυϊρῖται λέγετε· καὶ γὰρ κεκμήκατε καὶ κατατέτρωσθε, (*Enimuero Quirites rectè dicitis nam & laboribus & vulneribus exhauſti eſtis*) deinde adiicit, πάντας αὐτοὺς παραχρῆμα ὡς μηδὲν δῆθεν αὐτῶν δεόμενος διῆκε· καὶ τοῖς τὸν τεταγμένον χρόνον ἐστρατευμένοις καὶ τὰ γέρα ἐντελῆ δώσειν ὑπέσχετο. λεχθέντων δὲ τούτων, κατεπλάγησαν ἔκ τε τῆς ἄλλης αὐτοῦ διανοίας, καὶ μάλιστα ὅτι Κυϊρίτας ἀλλ᾽ οὐ στρατιώτας αὐτοὺς ὠνόμασε· καὶ ταπεινωθέντες, φοβηθέντες τε μὴ πάθωσί τι δεινὸν, μετεβάλλοντο. (*Nullo alio reſponſo dato confeſtim omnibus ſacramentum militare remiſit, quaſi ad nullam rem iis indigeret, pollicitus ſe eis qui legitimum tempus meruiſſent, & ſtipendia*

*1 vide Dionem lib. 41. hiſtor.*
*2 lib. 1. annal.*
*3 in Iulio cap. 70.*
*4 lib. 42. hiſtor.*



*pendia & præmia perſoluturum. Quibus eis dictis illi in magnum terrorẽ peruenerant, cùm ob reliquam eius ſententiam tum eo maximè quòd Quirites eos non milites appellaſſet. Itaque animis collapſi, veritíque ſunt ne quid grauius de ſe ſtatueretur.*) Antonius quoque Primus Flauianarum partium dux prætorianos, quibus infenſus erat, eadem ratione paganos quaſi nõ iam milites, ſed Quirites nominauit apud Corn. Tacitum [1], vbi ſic ſcribit: Mox infenſus prætorianis: Vos, inquit, niſi vincitis, pagani, quis alius imperator, quæ caſtra alia excipient? Illic ſigna armáque veſtra ſunt, & mors victis. Nam ignominiam cõſumpſiſtis. His prætermiſſis alium ex Lucani quinto locum in eam rem doctiſſimus Budæus indicat. Ad eam verò formulam Vlpiani quoque noſtri [2] verba pertinent: quibus oſtendit, non eum duntaxat infamia notari, qui ab exercitu ignominiæ cauſa ab Imperatore, eóve cui de ea re ſtatuendi poteſtas fuerit, dimiſſus erit, hoc nominatim addito Ignominiæ cauſa, quòd ſemper addere debeat cur miles mittatur: ſed etſi (ait Vlpianus[3]) eũ exauctorauerit, id eſt inſignia militaria detraxerit, inter infames efficit, licet nõ addidiſſet Ignominiæ cauſa, ſe eum exauctoraſſe. Bene verò Iuriſconſultus hæc verba, id eſt inſignia militaria detraxerit (ſic. n. ex Pandectis Florentinis legere malo) ad coarctandã latiorẽ exauctorãdi ſignificationẽ addidit. Exauctoratio ſiue miſſio, nõ omnis ignominioſa eſt. Miſſiones etenim alię ſunt non ignominioſæ, ſed honeſtæ: vt cauſaria, eáq; quę honeſta ſpecialiter nominatur[4]. Sed neque ignominioſa miſſio ſiue exauctoratio ſemper cum armorum ademptione fiebat: ſi arma non adimerentur, in exauctorãdo addi neceſſe erat Ignominiæ cauſa, vel certe delictum proferri nominatim ob quod miſſio fieret (vt ſtatim explicabimus) ne alioqui videretur honeſtè miſſus is qui exauctorabatur. At profectò quæ per ademptionem armorum fiebat exauctoratio ſiue miſſio, ignominioſa erat, honeſta eſſe non poterat: quoniam inſignia militaria, id eſt arma primùm, ac deinde ſagulum militarem deponere iubebatur is miles, qui militari ſacramento ignominiæ cauſa ſoluebatur, nec ab exercitu tantùm proficiſci, ſed diſcinctus etiam & nudus in exilium quaſi quoddam abire cogebatur: quo miſſionis genere Imperator ſiue dux, aliúſve hac de re ſtatuendi poteſtatem habens, maximam infamiæ labem ipſi aſpergebat, etiam ſi non præfaretur militem à ſe ignominiæ cauſa exauctorari. Ad hanc exauctorationem, armorúmque ademptionem hæc Suetonii de Vitellio verba [5] pertinent: De Bebriacenſi victoria & Othonis exitu, cùm adhuc in Gallia eſſet audiit: nihílque cunctatus quicquid prætorianarum cohortium fuit, vt peſſimi exempli vno exauctorauit edicto, iuſſas Tribunis tradere arma. Eodem illud Liuii [6] refero, vbi de Marcello ſcribens: Quæ ignauia militum (inquit) erat ab Hannibale victus cohortibus quæ ſigna amiſerant hordeũ dari iuſſit, Centurionéſque manipulorũ, quorum ſigna amiſſa fuerant, diſtrictis gladiis diſcinctos deſtituit. Itémque illud Dionis [7] de Octauio, qui milites ob ſupplicium de commilitonibus ſumptũ exacerbatos ademptis armis à militia dimiſit: ἐπεὶ δὲ καὶ ὡς ἐθρασύνον-

*1 lib. 19. annal.*
*2 l. 2. § ignominiæ. D. de iis qui not. infam.*
*3 d. §. Ignominiæ. verſic. ſed & ſi.*
*4 l. 2. §. ignominiæ. D. de iis qui not. infa. l. milites 13. §. Miſſionũ. D. de re milit.*
*5 in Vitellio cap. 10.*
*6 ex lib. 7. decad. 3.*
*7 lib. 49. hiſtor.*

τὸ (inquit) δίκην τινὰς αὐτῶν ἔδωκε. παροξυνθέντων τε ἐπὶ τούτῳ τῶν λοιπῶν συνεκάλεσέ τε αὐτοὺς ὡς καὶ ἐπ' ἄλλο τι, καὶ περισχὼν τῷ στρατῷ τά τε ὅπλα ἀφείλετο, καὶ τῆς στρατείας ἔπαυσε. (*Cùm nihilominus fremerent, in quoſdam eorum exemplum ſtatuit, irritatos reliquos eo facto quaſi alius rei cauſa conuocauit, circumfuſóque exercitu eis arma ademit & exauthorauit.*) Poſtremò illud etiam Xiphilini[1] ex Dione: qui Seuerum ſcribit, arrepto imperio, poſt Pertinacis cædem antequàm vrbem ingrederetur prætorianos venire ad ſe in campum iuſſiſſe, cúmque ipſis perfidiam in Pertinacem multa & graui oratione exprobraſſet, arma & equos ademiſſe, vrbéque Roma expuliſſe, illos verò tunicatos atque diſcinctos, abiectis armis, & equis dimiſſis, varia in loca ſparſim ſemotos abiiſſe: τῶν τε ὅπλων (ait) ἀπέλυσε, τούς τε ἵππους ἀφείλετο, καὶ τῆς Ῥώμης ἀπήλασεν. ἔνθα δὴ οἱ μὲν ἄλλοι καὶ ἄκοντες τά τε ὅπλα ἀπερρίπτουν, καὶ τοὺς ἵππους ἠφίεσαν, ἔν τε τοῖς χιτῶσιν ἄζωστοι ἐσκεδάννυντο. (*Arma equóſque abſtulit, & Roma eos eiecit. Hi inuiti abiectis armis equíſque dimiſsis ac diſcinctis ſagis diſperſi ſunt.*) Addit Herodianus[2] à Seuero Imp. admonitos prætorianos, vt diſcincti veſtibus militaribus exuti & nudati, quàm longiſſimè ab vrbe Roma excederent: ſi ſecus facerent, eorúmque aliquis intra centeſimum lapidem deprehenſus eſſet, capite pœnas luiturum. Hæc nanque inter cætera locutus fertur: τοῖς τε περιειληφόσιν ὑμᾶς στρατιώταις κελεύω ἀποζῶσαί τε ὑμᾶς καὶ ἀποδύσαντας εἴ τινας περίκεισθε ἐσθῆτας στρατιωτικάς, γυμνοὺς ἀποπέμπειν. παραγγέλλω τε ὑμῖν ἀπιέναι ὡς πορρωτάτω τῆς Ῥώμης, ἀπειλῶ καὶ διόμνυμαι καὶ προαγορεύω κολασθήσεσθαι κεφαλικῶς εἴ τις ὑμῶν ἐντὸς ἑκατοστοῦ σημείου ἀπὸ τῆς Ῥώμης φανείη. (*Porrò militibus meis qui vos circumſiſtunt præcipio, recingant vos, ac veſtimentis exutos, ſi quibus amicimini, militaribus, nudóſque dimittant. Vobis autem ſic impero Româ diſcedatis quàm longiſsimè: edico item iuróque ac denuntio capite pœnas daturum ſi quis veſtrûm poſthac intra centeſimum ab vrbe lapidem conſpicietur.*) Armis verò & inſignibus militaribus non detractis, ſalua exiſtimatio manebat eorum, qui ſacramẽto militari ſoluti eſſent, niſi tamen adderetur ignominiæ cauſa, miſſionem illã & exauctorationem fieri, vel niſi delictum in mittẽdo exprimeretur. Quin imo exauctorati etſi vt iureiurando, ita ſtipẽdio ſoluerentur: attamẽ plerunque retinebantur ſub vexillo, donec præmia finitæ militiæ, id eſt cõmoda emeritorum præmiorũ ipſis præſtarentur, vt ex Tacito & Suetonio colligitur. Ille ſic ſcribit[3]: Igitur volutatis inter ſe rationibus placitũ, vt epiſtolæ nomine principis ſcriberentur, miſſionem dari vicena ſtipendia meritis, exauctorari qui ſenadena feciſſent, ac retineri ſub vexillo: cæterorum immunes, niſi propulſandi hoſtis: legata quæ petiuerant exolui, duplicaríque. Huius verò verba ſuperius appoſui[4], quibus oſtenditur Auguſti iuſſu legiones quæ miſſionem immodeſtiùs peterent, ita exauctoratas fuiſſe, vt quamuis infamia non irrogaretur, neque arma detraherentur, attamen nulla ſpes ipſis finitæ militiæ præmia conſequendi relinqueretur. Quod idcirco auctor optimus appoſuit, vt non ſimpliciter, ſed cum adiectione mulctæ quaſi cuiuſ-

*1 vide Xiphilinum in Seuero ſub initium.*
*2 lib. 2.*
*3 lib. 1. ann.*
*4 ex cap. 24 in Octauio. vide & in C. Caligula cap. 44.*



cuiuſdam, id eſt cum ademptione præmiorum atque commodorum exauctoratas fuiſſe ab Octauio legiones intelligeremus. Enimuerò exauctoratio ſimplex ſtipendio & ſacramento ſoluit, infamiã non irrogat: ideóque qui ſtatus controuerſiam patitur, & de libertate litigans necdum ſententia data militiæ ſe dedit (cùm non debeat per id tempus, licet reuera liber ſit, nomen militiæ dare, ſiue ex libertate in ſeruitutem ſiue contra petatur[1]) quod Arrius Menander Iuriſc. eum dicit[2] exauctoratum, id eſt militia remotum caſtris eiici, licet liber apparuerit finito atque terminato poſteà liberali iudicio, ſic exponimus, vt tamen exiſtimatio ſalua ſit ei, qui miſſus & exauctoratus eſt: nam & qui litis cauſa militiam appetierunt, cùm ab Seuero & Antonino Impp. reſcriptum ſit[3] ſacramento ſolui ſolere, attamẽ exauctoratus eo nomine, quòd cùm litem haberet hoc animo militiæ ſe dedit, vt ſub obtentu militiæ pretioſiorem ſe aduerſario faceret, non vtique infamis erit nec prohibendus lite finita militiæ eiuſdem ordinis ſe dare, alioquin etſi relinquat litem, vel ſi tranſigat, retinendus eſt: ídque Iuriſc. Menander[4] notat. Prætereà ſi quis euitandorum munerum cauſa militiam ſubierit, & ab exercitu dimiſſus ſit, ſæpiſſimè reſcriptum ait Vlpianus[5], hac miſſione non lædi exiſtimationem: & rectè, propterea quòd ſine armorum ademptione, ſine ignominiæ mentione, & ex alia, quàm quæ infamiam importet, cauſa miles eſſe deſierit. Solet quidẽ in miſſione ignominioſa, delictũ exprimi ob quod fit miſſio: & item adiici plerunque verba huiuſmodi: Miſſionẽ ignominiæ cauſa fieri: vt in illo Vlpiani loco[6], Et ſi princeps dimiſerit, & adiecerit Ignominiæ cauſa ſe eũ mittere, vt plerunque facit non dubitabitur, &c. & in quadã ignominioſæ miſſionis formula quam Hirtius, vel vt quidam volunt Oppius, proponit[7]. C. Auiene, quòd in Italia milites populi Rom. contra Remp. inſtigaſti, rapináſque per municipia feciſti, quódque mihi Reíque pub. inutilis fuiſti, & pro militibus tuam familiam, iumentáque in naues impoſuiſti, tuáque opera militibúſque tempore neceſſario Reſpub. caret, ob eas res, ignominiæ cauſa, ab exercitu meo te remoueo: hodiéque ex Africa abeſſe, &, quantũ potes, proficiſci iubeo. Quibus verbis, & infamia notatur is qui mittitur[8], & in vrbe ſacróque principis comitatu agere ac morari prohibetur, vt Iuriſconſulti docent[9]: quòd is qui mittit, illum abeſſe quãprimùm & proficiſci iubet. Semper autem debet addere cur miles mittatur (ait Vlpianus[10]) hoc eſt, non modò cuius delicti vindicandi cauſa, ſed etiam qua fini, & vt loquuntur noſtri, ad quem effectum: atque adeò palàm diſertéque debet is qui mittit edicere, ob delictũ ſacramento ſolui militẽ ignominiæ cauſa. Cæterùm etſi ſine ignominiæ mentione dimiſerit, eáque verba IGNOMINIÆ CAVSA (quæ plerunque addi ſolere vel ipſa formula ſatis arguit) in miſſione facienda non pronunciarit, per errorem forſitan obliuionémve, aut breuitatis gratia, vel alia qualibet ex cauſa, nihilominus tamen ex Macri Iuriſc. opinione ignominia miſſus intelligetur is, cuius delictum aut flagitium, ſiue commune ſiue militare, quod miſſio-

*1 l. qui ſtatus 8. de re mili.*
*2 l. qui de libertate. 29. D. de liber. cauſa.*
*3 l. 1. C. Qui militare poſ. lib. 12.*
*4 l. qui cũ vno. §. nõ omnis. & § ex auctoratio. D. de re mil.*
*5 d. l. 2. §. ignominiæ. verſ. Eſt & quartum. D. de iis qui not. infam.*
*6 l. 2. ſub initiũ in verſic. Et ſi princeps D. de iis qui not. infa.*
*7 lib. 1. de bello Africano. citat Cuiacius ad l. 8. de excuſat. tut.*
*8 l. 3. C. de re milit. lib. 12.*
*9 d. l. 2. §. Ignominia miſsis. D. de iis qui not. infa. l. milites. 13. §. 1. ad fin. D. de re milit. d. l. 3. C. eod. tit.*
*10 d. l. 2. §. ignominioſa autem. D. de iis qui not. infa.*

ni cauſam dedit, palàm ab exercitus duce alióve prolatum fuerit: atque ita putarim Vlpiano Macrum [1] non incommodè conciliari poſſe, quo loco ſatis difficili, vt noſtri quoque profitentur: Et ſi ſine ignominiæ mentione (inquit) miſſi ſunt, nihilominus ignominia miſſi intelliguntur: præſertim cùm apud Hirtium quoque ſiue Oppium aliquot adhuc ignominioſæ miſſionis exempla extent, in quibus ignominiæ mentio ne tenuiſſima quidem habetur. Sic enim apud illum [2] Cæſar: Itémque te A. Fontei quòd Tribunus militum ſeditioſus, malúſque ciuis fuiſti, ab exercitu dimitto: T. Alliene M. Tiro. C. Cluſiane, cùm ordines in meo exercitu beneficio non virtute conſecuti, ita vos geſſeritis vt neque bello fortes, neque pace boni aut vtiles fueritis, & magis in ſeditione concitandíſque militibus aduerſariorum noſtrorum Imperatoris quàm pudoris modeſtiæque fueritis ſtudioſiores, indignos vos eſſe arbitror qui in meo exercitu ordines ducatis, miſſóſque facio, & quantum poteſtis abeſſe ex Africa iubeo. Ad ignominioſam miſſionem illa Valerij Maximi verba [3], quæ modò ſum relaturus, pertinere cenſeo. Nam Publius Rutilius Conſul eo bello quod in Sicilia cum fugitiuis geſſit, Q. Fabium generum ſuum, quia negligentia Taurominitanam arcē amiſerat, prouincia iuſſit decedere. Hæc de cōmunibus & propriis militum pœnis habui quę ſcriberem: de paganorum pœnis diſſeremus ſequentibus libris, ſi qualia nobis ad hunc edolandum ac edendum otia Deus opt. max. fecit, talem perpoliendorum illorū (quod ſperamus) facultatem poſteà conceſſerit.

*1 l. milites. 13. §. & ſi ſine. D. de re milit.*

*2 lib. de bello Africano.*

*3 ex li. 2. ca. 2. vbi de diſciplina militari.*

---

*Caſſij, Macrini, Maximini, & Aureliani, ſæuitia in milites. Emendatus Gallicani locus. Militum & veteranorum in pœnis priuilegia. Proditorum & transfugarum pœnæ. Manuum præciſio. De ſaxo deiectio. Decimatio. Suetonij & Marcellini duo loci explicantur, & Macri Iuriſconſulti reſponſum, vitioſa interpunctione ſublata, exponitur.*

## CAP. XVIII.

A Pœnis militaribus, de quibus affatim ſuperiore capite diſputatum eſt, non erunt prorſus aliena quæ hîc dicturi ſumus: quòd verò pleniorem aliquam tractationem deſiderarent, ea ſecernenda, & veluti ſecundæ menſæ loco lectoribus talium epularum auidis præbenda, ſatyræque modo proponēda curauimus. Nam quòd ab Auidio Caſſio diſciplinæ militaris tenace milites qui aliquid prouincialibus per vim abſtuliſſent, in illis ipſis locis in quibus peccauerant, in crucem ſublatos: quòd ipſius iuſſu denos catenatos in profluentem, vel in mare merſos: quod multis deſertoribus manus exciſas, aliis crura poplitéſque inciſos ab ipſo legimus [4], cùm diceret maius exemplum eſſe viuentis miſerabiliter criminoſi, quàm occiſi: hæc & alia huiuſmodi ſupplicia ſiue tormenta (vt ita loquar) extraordinaria pœnarum militarium numero adſcribenda eſſe nunquam profectò duximus, quòd crudelitatis potius Caſſianæ aliquot indicia quàm aut iuſtitiæ, aut militaris etiam ſeueritatis exempla eſſe videantur.

*4 vide Vulcatium Gallicanum in Auidio Caſſio.*



Etenim Vulcatius Gallicanus primùm Caſſium etiam id ſupplicij genus inueniſſe narrat, vt ſtipitem grandem poneret pedum octoginta & centum, id eſt materiam (vbi malo, Item materiam) & à ſummo vſque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponeret, incenſíſque aliis, alios fumi cruciatu, timore etiam alios necaret: quo nullum crudelius aut immanius ſupplicij genus, maiúſve tormentum Siculi tyranni, vt Horatius loquitur, inuenêre. At leue tamen ipſum videbitur, ſi, quo genere in milites, centuriones, tribunos Opilius Macrinus animaduerteret, in memoriam reuocauero. Nam ſi vlla hiſtoriarum eſt fides, non modò in crucem eos tulit, & ſeruilibus ſuppliciis ſemper affecit, ſed Tribunum qui excubias deſeri paſſus erat, carpento rotali ſuperadnexum per totum iter viuum atque exanimem traxit: & cùm quidam milites ancillæ hoſpitis pudorem deprauaſſe ſuſpecti eſſent, atque per quendam frumentarium ille didiciſſet, adduci eos iuſſit, interrogauítque vtrum eſſet factum: quod cùm conſtitiſſet, duos boues miræ magnitudinis viuos ſubitò aperiri iuſſit, atque his ſingulos milites inſeri capitibus, vt ſecum colloqui poſſent, exertis: quæ omnia Capitolinus narrat [1]. Hæc ſanè crudelitas non magna, vt ipſe Opilius credebat, ſed omnibus tyrannicis immanitatibus triſtior fuit: quam tamē idem auctor in Maximino, vt & alias haud multo leuiores obiter notat, carpítque ſic ferè [2]: Senatus eum tantùm timuit, vt vota in templis publicè priuatímque mulieres etiam cum ſuis liberis facerent, ne ille vnquam vrbem Romam videret: audiebat enim alios in crucem ſublatos, alios animalibus nuper occiſis incluſos, alios feris obiectos, alios fuſtibus eliſos, atque omnia hæc ſine delectu dignitatis, cùm videretur diſciplinam velle regere militarem: cuius exemplo ciuilia etiam corrigere voluit, quod non conuenit principi, qui velit diligi Erat enim ei perſuaſum, niſi crudelitate, imperium non teneri. At illa vt videtur ſupra modum immanis pœna, qua Imperator Aurelianus militem affecit, ſi Flauio Vopiſco [3] credimus: ſolus enim omnium militem, qui adulterium cum hoſpitis vxore commiſerat, ita puniuit, vt duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligaret, eaſdémque ſubitò dimitteret, vt ſciſſus ille vtrinque penderet. Atqui Caſſiū, Macrinum, Maximinū, & Aurelianum non tā Imperatores Romanos aliquis, quàm ob iniuſtitiā & crudelitatē tyrannos & carnifices verè nominauerit. Macrinū quidem Macellinū à ſeruis ſuis dictum, quòd macelli ſpecie domus eius cruentaretur ſanguine vernularum: & Maximinum tam crudelem fuiſſe, vt illum alij Cyclopem, alij Buſiridem, alij Sironem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem vel Gygem vocarent, Capitolinus [4] memorat. Igitur quibus illi ſuppliciis affecêre milites, ea ne quis inter militares pœnas referat: præſertim cùm & Octauium Auguſtum & Adrianum, qui poſt Cæſa-

*1 in Opilio Macrino.*

*2 Iulius Capitolinus in Maximinis.*

*3 in Aureliano.*

*4 in Opilio Macrino & in Maximinis.*

rem Octauium diſciplinam militarem ſuperiorum principū incuria labantem retinuiſſe à Spartiano dicitur, in milites tam dariter aut malitioſè potius animaduertiſſe non reperiat: Nam etſi aſpero & abſciſſo caſtigationis genere militaris diſciplina indiget, quia vires armis conſtant, quæ vbi à recto itinere deſciuerunt, oppreſſura ſunt niſi opprimantur, vt ſapienter Valerius 1 pronunciat: nihilomagis tamen excarnificari milites, ſed vel caſtigari vel puniri oportuit. Denique,

*Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,*
*Quos vltra citráque nequit conſiſtere rectum.*

(vt ait poëta) Milites profectò in metallum, ínve opus metalli dari, torqueri, ad beſtias, in furcam damnari, aut aliis plebeiorum pœnis affici ius prohibet, vt noſter Modeſtinus 2 ſcribit: cuius ſententiam Diocletiani & Maximiani reſcripto 3 confirmari, nec minus illud ad milites, quàm ad veteranos qui militarint, & miſſionē impetrauerint pertinere cenſeo. Nam veteranorum etiam priuilegium in delictis habere prærogatiuam, vt qui Decurionibus, idem & ipſis eorúmque liberis ad primum duntaxat gradum honor habeatur: & à cæteris ſeparentur in pœnis, ideóque nec ad beſtias, nec in metallum, nec in opus publicum dentur, neque fuſtibus cædantur, & Imperator Antoninus reſcripſit 4, & Iuriſconſultorum reſponſis 5 continetur. Milites quidem etſi proditores aut etiam trāsfugæ fuiſſe arguantur, pœna verò proditorum aut transfugarum, tanquam hoſtium & perduellionum non ciuium, illa ſit vt viui exurantur 6, aut furca ſuſpendantur, auctore Paulo 7: attamen ipſos plerunque capite tantùm puniri IuriſconſultusPaternus tradit: adeo vt non modò non exuri aut ſuſpendi, ſed ne torqueri quidem poſſint, niſi poſtquam exauctorati fuerint: quia tum pro hoſte non pro milite habeantur 8. Planè quòd Modeſtinus eum qui ad hoſtē confugit & rediit, torqueri, ad beſtiáſque vel in furcam damnari, quamuis milites nihil eorum patiantur, ſcribit 9: ſic equidem eſſe temperandum, adhibita interpretatione, autumo: vt tamen qui ad hoſtem confugerit & redierit, ſi miles erat, neque torqueri, neque ad beſtias vel in furcā dānari, neque exuri, aliiſve plebeiorū pœnis affici, niſi prius exauctoratus, queat. Exauctoratus autem armis adēptis, vel ignominia miſſus quòd amiſſa militari dignitate, iam paganus eſt & infamis, ideo humiliorum & plebeiorum pœnis rectè illa ex cauſa, quæ præcipua eſt, afficitur. Quinimo proditorē & transfugam, quia pro hoſte non pro milite habetur, vt iam ex Paterno diximus, ideo vbicumque inuentus eſſet, ſiue in hoſtico ſiue in pacato loco, licebat etiam non exauctoratum ſine metu legis Corneliæ de ſicariis, cuilibet quaſi hoſtem (vt Martianus 10 auctor eſt) interficere. Apud veteres Romanos transfugæ atque proditores variis ſupplicii ſubdebantur. Q. Fabius Maximus, cuius alioqui manſuetiſſimum ingenium fuit, transfugarum dextras præcidit, vt Iulius Fronto 11 narrat, & Valerius Maximus his verbis 12: Omnium, inquit, qui

1 *lib. 2. cap. 2. vbi de Africano poſteriore.*
2 *l. 3. §. 1. verſic. Nam in metallū. & §. Is qui ad hoſtem. D. de re milit.*
3 *l. milites C. de quæſtionib.*
4 *l. honor 5. C. de pœnis.*
5 *l. 1. & l. 3. D. de priuil. veteranor.*
6 *l. aut damnum. §. hoſtes autem. l. ſi quis aliquid. §. 1. D. de pœnis.*
7 *d. l. ſi quis aliquid. §. 1.*
8 *l. proditores. D. de re militari.*
9 *l. 3. §. Is qui ad hoſtem. D. de re milit.*
10 *l. 3. in fi. D. ad leg. Cornel. de ſicariis.*
11 *lib. 4. ſτρατηγημάτων. ca. 1.*
12 *lib. 2. ca. 2. vbi de Q. Fabio.*



qui ex præſidiis Romanorum ad hoſtes transfugerant, captíque erant, manus abſcidit, vt trunca præ ſe brachia geſtantes, metum defectionis reliquis iniicerent. Idémque à Romanis, iuſſu Claudij Flacci, ad Capuam fuiſſe factum Appianus tradit in illo loco: ῥωμαῖοι δὲ (inquit 1) τῇ μὲν πόλει φρουρὰν ἐπέστησαν, καὶ ὅσους εὗρον αὐτομολοῦντας, χεῖρας αὐτῶν ἀπέτεμον. (*Romani vrbi præſidium impoſuit, & quotquot transfugere ſponte ſua ad hoſtem compererunt, iis manus abſciderunt.*) Vxeloduno etiam expugnato, cùm neceſſitate coacti oppidani ſe tradidiſſent, Cæſar qui ſuam lenitatem cognitam omnibus ſciret, neque vereretur ne quid crudelitate naturæ videretur aſperius feciſſe, neque exitum conſiliorum ſuorum animaduerteret, ſi tali ratione diuerſis in locis plures rebellare cœpiſſent: exemplo ſupplicij deterrendos reliquos exiſtimauit. Itaque omnibus qui arma tulerant, manus præcidit, vitámque conceſſit: quo teſtatior eſſet pœna improborum, vt ab Hirtio vel Oppio relatum eſt 2. Porrò in transfugas durius aliquando animaduerſum à Romanis legimus. Et Africanus quidem ſuperior deuicta Carthagine, cùm omnes qui ex Romanorum exercitibus ad Pœnos tranſierant in ſuam poteſtatem redegiſſet, grauiùs Romanos quàm Latinos transfugas puniiſſe traditur: Hos enim, id eſt Romanos tanquam patriæ fugitiuos crucibus affixit, illos autem tanquam perfidos ſocios ſecuri percuſſit. Poſterior autem Africanus, euerſo Punico imperio, exterarum gentium transfugas in edendis populo ſpectaculis, feris beſtiis obiecit. L. Paulus, Perſe Rege ſuperato, eiuſdem generis & culpæ homines elephantis proterendos ſubſtrauit: quæ nobis exempla idem Valerius 3 ſuppeditauit, ac totidem fere verbis propoſuit. De Scipione Africano, qui Carthaginem deleuit, L. Florus in eandem ſententiā: Scipio (inquit 4) exemplo patris eius Æmylij Pauli, qui Macedoniam vicerat, ludos fecit, transfugas atque fugitiuos beſtiis obiecit. Cæterùm Romani milites transfugæ ita plerùnque apud veteres præſertim Romæ plectebantur, vt verberati aut ſecuri percuterentur, aut de ſaxo Tarpeio deiicerentur. Liuius 5: Verberati ac ſecuri percuſſi transfugæ ad duo milia hominum. & paulò antè: Recepti perfugæ CCCLXX. quos cùm Romam miſiſſet Conſul, virgis in comitio cæſi omnes, ac de ſaxo deiecti. Seneca 6: Et cùm ceruicem noxio præcidi imperabo, & cùm parricidam inſuam culeo, & cùm mittam in ſupplicium militare, & cùm Tarpeiæ proditorem hoſtémve publicum imponam, ſine ira eo vultu animóque ero, quo ſerpentes & animalia venenata percutio. Fuit olim id pœnæ genus ordinarium & legitimum, Romæ naſcentis initio, & vigente Republica. Ergo non affectatæ tantummodò tyrannidis rei (vt de Manlio Plutarchus 7 ſcribit) non qui perlati falſi teſtimonij poſt accuſationem conuicti eſſent (vt ex Aul. Gellio 8 colligitur) ſed & qui cædem admiſiſſe dicerentur, pœnam hanc luebant, vt de ſaxo deiicerentur: αὕτη γὰρ ἦν τοῖς ῥωμαίοις (ait Dionyſius Halicarnaſſeus 9) ἐπιχώριος τῶν ἐπὶ θανάτῳ ἁλόντων ἡ κόλασις,

1 *in Annibalica.*
2 *lib. 8. commentarior. Cæſaris de bello Gallico.*
3 *lib. 2. ca. 2.*
4 *in epitome Liuij deca. 6. lib. 51.*
5 *lib. 3. decad. 3.*
6 *li. 1. de ira cap. 16.*
7 *vide Plutarchum in Camillo, & Mamertinū in panegyrico Iuliani.*
8 *cap. 1. lib. 20.*
9 *lib. 8.*

*(Hæc enim erat Romanis olim propria & patria in eos qui cædes ad-*
*1 in Romulo.* *miſerant animaduerſio.)* Plutarchus verò generaliter ait [1], ex ſaxo
Tarpeio ſontes deturbari ſolitos: πλὴν πέτραν τινὰ νῦν ἐν τῷ καπιτω-
λίῳ Ταρπηΐαν καλοῦσιν ἀφ' ἧς ἐρρίπτουν τοὺς κακούργους. *(Verùm ſaxum*
*etiamnum hodie in Capitolio Tarpeium vocant, ex quo ſontes deturbare*
*ſolebant,)* atque ita etiam ille Dionyſij locus exponi poteſt, vt in dã-
natos capitalis criminis, eo vltimi ſupplicij genere Romani olim
animaduerterint. Igitur habita Romæ poſt Cęſaris obitum funebri
oratione ab Antonio, cùm ex plebe multi iam tumultuari occipe-
rent: τινὰς τῶν θρασυτέρων οἱ ὕπατοι κατὰ τῶν τοῦ καπιτωλίου πετρῶν ὦσαν,
*(Niſi nonnulli audaciorum, conſulum iuſſu de rupe Tarpeia præcipitati*
*eſſent,)* vt Dio ſcribit. Ac Tiberij quoque imperatoris temporibus
inceſti damnatũ è ſaxo Tarpeio præcipitatum legimus apud Taci-
*2 lib. 44.* tum: cuius hæc verba ſunt [2]: Sextus Marius Hiſpaniarum ditiſſi-
*3 lib. 5. annal.* mus defertur inceſtaſſe filiam, & ſaxo Tarpeio deiicitur [3]. Verum-
tamen hoc illorum temporum ſæuitiæ quibus in omne genus cru-
delitatis Tiberius iam tum eruperat, tribuendum puto. Carnifici-
*4 in Tiberio cap. 62.* næ quidem eius oſtendi locum auctor eſt Suetonius [4], Capreis: vn-
de damnatos per longa & exquiſita tormenta præcipitari coram ſe
in mare iubebat, excipiente claſſiariorum manu, & contis atque
remis elidente cadauera, necui reſidui ſpiritus quicquam ineſſet. Sa-
nè præcipitationis ſupplicium iam inde poſt leges Porciam & Va-
leriam frequentari deſiit Romæ, ac paulatim obſoleuit: adeo vt nõ
poſſe quem ſic damnari, vt de ſaxo præcipitaretur, Modeſtinus Iu-
*5 l. ſi diutino. § vlt. D. de pœnis.* riſc. reſponderit [5]. Itaque τοῖς τότε ῥωμαίοις *(Romanis olim,)* dixit Dio-
nyſius, non etiam τοῖς νῦν ῥωμαίοις *(Romanis nunc)* & Plutarchus, ἐρ-
ρίπτουν, *(deturbabant,)* non ῥίπτουσι *(deturbant.)* Beatus item Auguſti-
nus tale ſupplicium, vt homo præcipitetur, inſolitum Romanis le-
gibus & poteſtates Romanas eo nunquam vſas fuiſſe, multis in lo-
*6 lib. 2. aduerſus literas Petiliani cap. 20. & lib. 3. contra Creſconium cap. 49. & in tractatu 11. de cap. 3. Ioannis.* cis [6] aſſeuerat: vt mirum non ſit, quòd transfugas, & proditores, ho-
ſtéſque publicos (quos tamen grauiſſimis quibuſque ſuppliciis di-
gnos eſſe nemo negauerit) eo pœnæ genere affectos, poſteriorum
Imperatorum & Iuriſconſultorum tempore non legamus. Huic de
pœnis militaribus commentationi finem imponere maiorẽ in mo-
dũ cupiebam, vel ideo quia in eodem argumento quaſi campo, in
quo ſe alij [7] quoque ſuperioribus annis etſi ſatis infeliciter, ne im-
*7 Cœlius Rhodiginus li. 10. lectio. antiq. cap. 5. Lazius lib. 4. commentar. Reip. Romanæ. c. 8.* peritè dicam, exercuiſſent, pigeret ſpatiari: non enim lubenter ipſi
loca peragramus                *vllius antè*
*Trita ſolo: iuuat integros accedere fonteis*
*Atque haurire, iuuátque nouos decerpere flores:*
verùm ea relegenti quæ paulò antè de cohortibus poſt decimatio-
nem hordeo paſtis ex Plutarcho & Suetonio diſſerueram, venit in
mentem è re literaria facturum eſſe me, ſi nonnullos de decimatio-
ne, quos illi non attigiſſent, locos indicarem: atque adeo nihil eo-
rum, quæ hoc de toto pœnarum militarium genere cõmodè atque
appoſitè dici poſſent, intactum relinquerem. Nam etſi decimatio
quidem ipſa, propriè ac reuera non pœna, ſed ad ſupplicium capi-
tis



tis quod decimatis infligitur, quidam quaſi gradus eſt: attamẽ cùm
decimatas legiones hordeo paſtas legimus, ſic interpretari nos opor-
tet, vt decimo quoque milite illarum legionum cæſo atque truci-
dato, reliquis ſuperſtitibus hordeum pro tritico datum intelliga-
mus: & decimare ſit decimum quemque ſupplicio afficere. Igitur
vt Polybii [1], Liuii [2], Taciti [3], & Appiani [4] teſtimonia, quæ alii reci- *1 lib. de caſtrame. Rom & lib. 6. hiſtor.*
tarunt, omittam: de decimatione legionum extat pulcherrimus (ſi,
vti decet, attentiùs introſpiciatur) apud Suetonium locus, vbi de C.
Caligula loquitur [5]: Priùs quàm prouincia decederet, conſiliũ iniit *2 lib. 2.*
nefandæ atrocitatis, legiones, quæ poſt exceſſum Auguſti ſeditionẽ *3 li. 3. & 14. & 17.*
olim mouerant, contrucidandi: quod & patrem ſuum Germanicum
ducem, & ſe infantem tunc obſediſſent: vixque à tam præcipiti co- *4 lib. 2. belli ciuilis.*
gitatione reuocatus, inhiberi nullo potuit modo, quin decimare
velle perſeueraret. Vocatos itaque ad concionem inermeis, atque *5 in Caligula. cap. 28.*
etiam gladiis depoſitis (ſic enim malo quàm Diſpoſitis, vt inſigni-
bus militaribus detractis exauctoratos & diſcinctos ſignificet) e-
quitatu armato circumſedit: ſed cùm videret ſuſpecta re pleroſque
dilabi, ad reſumenda, ſi qua vis fieret, arma: profugit concione, &c.
Fiebat verò per ſortitionem hæc decimatio, qua militum eorũ, qui
præ hoſtium metu per ignauiam fugerant, aliúdve quodpiam deli-
ctum militare admiſerãt, decimus quiſque ſorte ductus capitis pœ-
na plectebatur: eam enim conditionem ſupplicii (ait Cicero [6]) ma- *6 in oratione pro Cluentio*
iores in bello timiditati militis propoſitam eſſe voluerunt. Quam-
obrem ad ſortitionẽ huiuſmodi refero, quod de militibus, qui Pla-
centiæ ſeditionem commouerant, Dio in hæc verba ſcribit [7], relata *7 lib. 41. hiſtor.*
concione Cæſaris: ταῦτα εἰπὼν ἐπεκλήρωσεν αὐτοὺς ἐπὶ θανάτῳ, καὶ τοὺς
μὲν θρασυτάτους (οὗτοι γὰρ ἐκ παρασκευῆς ἔλαχον) ἐδίωξε· τοὺς δ' ἄλλους ὡς
οὐδὲν σφῶν δεόμενος ἀφῆκε. *(Hæc locutus ſorte eos ad mortem delegit, au-*
*daciſſimíſque (ita enim compoſuerat, vt illi ſorte notarentur) vita multa-*
*tis, reliquos, quòd ſibi nulli vſui eſſent futuri, dimiſit.)* Eò pertinet etiam
quod Plutarchus in eos Mummii milites, qui primi fugam fecerãt,
& ſine armis in caſtra redierant (cùm ille ad Spartacum interclu-
dendum miſſus pugna contra M. Craſſi præceptum commiſſa ſupe- *8 in vita M. Craſſi.*
ratus eſſet) ita Craſſum ipſum animaduertiſſe tradit [8], vt patria, id eſt
Romana militari pœna poſt multos annos in vſum reuocata, quin-
gentos in quinquaginta decurias partiretur, ex quibus ſingulos ſor-
te ductos in omnium conſpectu trucidaret: quo animaduerſionis
genere ad exemplum Craſſi Caluinus Octauii Cæſaris in Iberiam
legatus, in milites qui Proprætorem à barbaris interceptum deſe-
ruerant, vſus eſt: vt ex illa militari caſtigatione laudem & nomen,
quale Craſſus inuenerit: συγκαλέσας γὰρ αὐτοὺς (vt eſt apud Dionẽ [9]) *9 lib. 48. hiſtor.*
ὡς καὶ ἐπ' ἄλλο τι τὸ λοιπὸν στρατὸν περιέσχε, καὶ δύο τε ἑκατονταρχίας ἐδε-
κάτευσε, καὶ ἑκατοντάρχους συχνούς, ἄλλους τε καὶ τὸν ἐν τῷ πρώτῳ πίλῳ
καλουμένῳ στρατευόμενον ἐκόλασε. ταῦτα δὲ ποιήσας, ὥστε καὶ ὄνομα κατὰ τὸν
Κράσσον Μάρκον ἐπὶ τῇ τοῦ στρατοῦ δικαιώσει λαβεῖν, πρός τε τοὺς ἐναντίους
ὥρμησε, καὶ οὐ χαλεπῶς αὐτοὺς κατειργάσατο. *(Conuocatis, quaſi aliam ob*
*cauſam ſontibus, reliquum iis exercitum circumfudit, ac è duabus centu-*

*riis decimum quemque ſupplicio ſorte delegit, in centuriones etiam complures, & primipili quoque centurionem exemplo ſtatuto. His actis ita vt propter punitum exercitum etiam M. Craßi nomen inuenerit, in hoſtem duxit, eúmque haud difficulter debellauit.)* Hæc Dio. Sed ipſius quoque Plutarchi verba pro meo more adferam: πεντακοσίους δὲ τοὺς πρώτους (ait) καὶ μάλιστα τοὺς τρέψαντας ἐς πεντήκοντα διανείμας δεκάδας, ἀφ' ἑκάστης ἀπέκτεινεν ἕνα τὸν κλήρῳ λαχόντα· πάτριόν τι τοῦτο διὰ πολλῶν χρόνων κόλασμα τοῖς στρατιώταις ἐπαγαγών. καὶ γὰρ αἰσχύνη τοῦ θανάτου τῷ τρόπῳ πρόσεστι, καὶ δρᾶται πολλὰ φρικώδη καὶ σκυθρωπὰ περὶ τὴν κόλασιν ἁπάντων θεωμένων. *(Quingentos autem ex primis, iis præſertim qui aufugerant, in quinquaginta decades diſtribuit, ex quibus ſingulis, vnum aliquem ſorte ductum trucidauit, patriâ in milites pœnâ poſt multos annos in vſum reuocata. Huic autem mortis generi ignominia ſubeſt, & terroris atque formidinis circumſtantibus omnibus affert.)* Quibus omnino conſentanea ſunt, quæ de iſta militari conſuetudine M. Tullius eleganter diſſerit [1]: Statuerunt enim ita (inquit) maiores noſtri, vt ſi à multis eſſet flagitium rei militaris admiſſum, ſortitione in quoſdam animaduerteretur: vt metus videlicet ad omnes, pœna ad paucos perueniret. & ſtatim: Nam miles qui locum non tenuit, qui hoſtium impetum vímque pertimuit, poteſt idem poſtea & miles eſſe melior, & vir bonus, & ciuis vtilis. Quare ne in bello propter hoſtium metum delinqueret, amplior ei mortis & ſupplicii metus eſt à maioribus conſtitutus: ne autem nimium multi pœnam capitis ſubirent, idcirco illa ſortitio comparata eſt. & paulò pôſt. Quòd ſi hoc exemplum ex re militari ad animaduerſionem cenſoriam transferendum fuit, ſortitione idipſum factum eſſe oportuit. Hanc militum decimationem poſt Craſſum ab Imperatoribus Romanis in exercitu frequenter vſurpatam fuiſſe, illa exempla ſatis demonſtrant, quæ ſuperiore capite protulimus: quibus addatur quod apud Suetonium de Galba legitur [2]: Nam cùm claſſiarios, quos Nero ex remigibus iuſtos milites fecerat, redire ad priſtinum ſtatũ cogeret: recuſantes atque inſuper aquilam & ſigna pertinaciùs flagitantes, non modò immiſſo equite diſiecit, ſed decimauit etiam. De Opilio quidem Macrino Capitolinus ſcribit, cùm ſeditiones milita res pateretur, multos ſæpius decumauiſſe, aliquãdo etiã centeſimaſſe, quod verbũ (inquit [3]) proprium ipſius eſt, cùm ſe clementẽ diceret, quãdo eos centeſimaret, qui digni eſſent decumatione atque viceſimatione. Ad decimationẽ referendũ crediderim, quod Marcellinus [4] de Iuliano ſcribit, cùm Surena dux Perſicus Romanorum procurſatorũ tres turmas aggreſſus pauciſſimos trucidaſſet, inter quos ſtrato Tribuno vnum vexillum rapuiſſet, ſtatim ira immani concitũ Imperatorem cũ armigera manu feſtinatione ipſa tutiſſimum peruolaſſe, & graſſatoribus fœda conſternatione depulſis (inquit Marcellinus) reſiduos duos Tribunos ſacramento ſoluit, vt deſides & ignauos (hæc fuit opinor exauctoratio ſimplex, ſine armorum ademptione, ſine ignominioſa miſſione) decẽ verò milites ex his qui fugerãt exauctoratos, capitali addixit ſupplicio, ſecutus veteres leges: nam

1 in oratione pro Cluentio.
2 in Galba cap.12.
3 in Opilio Macrino.
4 lib.24.



nã quod de veteribus legibus Marcellinus aſpergit, ad ſupplicium capitis (quo eos qui in acie fugam priores fecerint, ſpectantibus militibus, puniendos eſſe propter exemplum Iuriſconſultus [1] docet) id eſt, ad decimationem, exauctorationẽ, & capitale ſuppliciũ (quod in conſpectu militum aliorum decimis quibuſque ſorte ductis infligeretur) pertinere iudico. Rurſum illa verba Iuriſconſulti, Spectãtibus militibus, cùm in excuſis etiam Florentinis libris perperam diſtincta ſint, aliter atque in ipſorum autographo (in quo verſus integri continuo calami ductu exarati aſpiciuntur) ita vt ad fugam in acie factam referantur: ego cum iis quæ proximè ſubiiciuntur, omnino connectenda eſſe aſſeuero: vt propter exemplum, inſpectantibus militibus, capite puniendum eſſe dicat Menander eũ, qui prior in acie fugam fecerit. Quod fit in acie, non poteſt non ſpectantibus militibus fieri, aliter atque ſi in caſtris fieret: nam in acie, in procinctu, & prope concinentibus tubis attentos eſſe omnes, atque hoc agere conuenit. Quamobrem nihil neceſſe eſt addi Spectantibus militibus, fugam in acie factam: ſed cùm exemplo opus ſit ad alios ab ignauia deterrendos milites, ideò iis ſpectantibus capite pœnas luit, qui prior fugam fecerit. Hoc autem eſt, quod Plutarchus duobus locis [2], quos antè protuli: ἁπάντων θεωμένων, (*ſpectantibus omnibus*) & ἐφεστώτων καὶ θεωμένων ἄλλων στρατιωτῶν: (*adſtantibus & ſpectantibus cæteris militibus*) quod Iulius Fronto [3], In conſpectu armati exercitus, Cæſar, In conſpectu multitudinis quodam loco [4] dixit, & In omnium conſpectu, vbi de fugitiuis militibus Cæſaris à Pompeio captis, Labieno traditis, & ab ipſo deinde trucidatis loquitur [5]. At, Labienus (inquit) cùm ab eo impetrauiſſet vt ſibi captiuos tradi iuberet, omnéſque deductos oſtentationis vt videbatur cauſa, quo maior perfugis fides haberetur, commilitones appellans, & magna verborum contumelia interrogans, ſoleréntne veterani milites fugere, in omnium conſpectu interficit: quo Cæſaris ſermone illum Menandri noſtri locum illuſtratum omnino eſſe arbitramur. Ad exemplum decimationis militaris (qua de agimus) conſtituit olim Auguſtus: ídque Dio retulit [6], vt ſenatorum qui die Senatus in curiam non veniſſent, quintus quiſque ſorte ductus multæ ſubiiceretur. Hæc & alia huiuſmodi, quòd οὐδὲν πρὸς ἄλφιτα, *nihil ad farinã* vt eſt in prouerbio, faciant, ab interpretibus neglecta, vel potius non intellecta ſunt: nos quoque bonarum omnium literarum, ſed Iuris potiſſimum & antiquitatis Romanæ ſtudioſis, non pragmaticis & forenſibus rabulis, quos Apuleius [7] viliſſima capita, forenſia pecora, togatóſque vulturios meritò nominat, exſcribi voluimus.

1 l. non omne.6. §. qui ĩ acie. D. de re milit.
2 in Lucullo & in Crasso.
3 lib. 4 στρατηγηματῶν in eo exemplo quod ſuperiore capite adduximus.
4 li.5. cõmentar. de bello Gallico.
5 li.3. cõmentar. de bello ciuili.
6 lib.55. hiſt. his verbis, καὶ τὰ ζημιώματα, τοῖς μὴ δι' εὔλογόν τινα αἰτίαν τοῦ συνεδρίου ἀπολειπομένοις ἐπηύξησεν. ἐπειδή τε πολλοὶ τῶν τοιούτων ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν ὑπευθύνων ἀτιμώρητοι ἐγίγνοντο, κληροῦσθαι τε αὐτοὺς, εἰ συχνοὶ τοῦτο ποιήσειαν, καὶ τὸν ἀεὶ πέμπτον λαχόντα ὀφλισκάνειν αὐτὰ ἐκέλευσε.
7 lib.10. de aſino aureo.

---

*Iuſtiniani locus ex Nouella conſtit. 68. exponitur. De Iuſtitia, de Fortitudine, quæ plurimis Iuriſconſultorum aliorúmque auctorum locis ἀρετὴ & virtus, interdum animi virtus aut belli bellica militaris & Martia virtus nominatur. Virtutẽ & fidẽ in milite, in duce virtutẽ & felicitatẽ*

*potiſſimum requiri. Plinij locus vnus, & Claudiani alter emendatus. Apud Plutarchum & Themiſtium reſtituitur deprauatum aut obliteratum* ἀρετῆς *nomen. Inter ducis & militis virtutem atque officium quid interſit.* προθυμίας & ἀγαθοῦ *nomina quid apud Plutarchum ſignificent, demonſtratur: illuſtrato Thucydide duobus locis.*

## CAP. XIX.

IVſtinianus Imperator Nouellam ſuam conſtitutionem, qua omnes tam in ciuilibus quàm in criminalibus cauſis iuriſdictioni præſidum prouinciarum ſubiici[1] & parere præcipit, à laude Iuſtitiæ inchoat ita, perfectiſſimam virtutum omnium Iuſtitiam eſſe vt aſſeueret: niſi enim ſingulis virtutibus bona quæ ab illa ſuppeditantur acceſſerint, nihil ex officio, nihil eorum quæ oportet rationi & naturæ conuenienter præſtari poſſe. Itaque ne fortitudinem quidem ipſam, niſi quæ cum iuſtitia coniuncta & copulata ſit, laudari: etenim licet patria voce robur illud animi, vis & facultas illa quæ armis pollet ſola propriè virtus nominetur, attamen ſi quis ab ea ius æquitatémve remouerit & velut abſtraxerit, inde nõ alicuius boni, ſed delictorum potius occaſionẽ exoriri, & (vt Comici verbum vſurpemus) feneſtrã ad nequitiã patefieri. Sed orationem ipſam Imperatoris ex limpidiſſimis philoſophiæ fontibus hauſtam (ſi placet) proponamus: vt hoc velut exemplo atque argumento certiſſimo, Iuriſprudentiæ ac philoſophiæ ſtudia coniuncta & affinia, vel potius eadem eſſe approbemus, qui Iuriſprudentiam ab Vlpiano veram philoſophiam optimo iure nominatam, collatis vndique veterum auctorum teſtimoniis, nuper oſtendimus[2]: μίαν εἶναι πασῶν τελεωτάτην ἀρετὴν ὑπολημπτέον (inquit) ἐν ἀνθρώποις τὴν τὰ δίκαια πᾶσι βραβεύουσαν· φαμὲν δὴ τὴν τοῦ πράγματος ἐπώνυμον δικαιοσύνην· καὶ γὰρ ἑκάστη τῶν ἄλλων ἀρετῶν εἰ μὴ παρακολουθοίη τὰ ταύτης ἀγαθά, γένοιτο ἂν οὐδὲν τῶν προσηκόντων. τοιγαροῦν οὐδὲ ἀνδρείαν τὴν μὴ μετὰ δικαιοσύνης ἐπαινέσομεν· καίτοι γε ἡ πάτριος φωνὴ τὴν ἐν ὅπλοις ἰσχὺν ἀρετὴν ὀνομάζει μόνην. εἰ δέ τις αὐτῆς τὸ δίκαιον ἀφέλοιτο, πλημμελημάτων ἀφορμὴ μόνον, οὐ μὴν τινος γένοιτο ἂν τῶν βελτιόνων. (*Vnam inter homines, virtutum omnium ſummam eſſe ſtatuendum eſt cuique ius ſuum tribuentem, cuius nomen, Iuſtitiam dicimus. Niſi enim cæteras virtutes hæc comitetur, nihil honeſti præſtari poteſt: Nec enim fortitudinem iuſtitia vacantem laudamus, quamuis ſermo patrius vnicam in armis fortitudinem virtutem appellitet. Si quis autem ab ea iuſtitiam ſuſtulerit, tantùm abeſt vt inter res bonas ſit recenſenda, vt potius opportunitas & occaſio maior ſit ad peccandum.*) Quibus verbis nullam aptiorem παράφρασιν, aut planiorem explicationem ſubiicere poſſe videor, quàm ex illo Ciceronis loco[3], vbi ſic ſcribit: Sed ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus (eſt autem animi magnitudo, vt grauitas, patientia, rerum humanarum deſpicientia, ex comitibus fortitudinis, vt idem Cicero alibi tradit[4]) ſi iuſtitia vacat, pugnátque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio

*[Margin: 1 No. 68. vt omnes obediant iudicibus.]*

*[Margin: 2 in appendicibus ad tit. de reg. iur. vbi de Iuſtitia.]*

*[Margin: 3 lib. 1. de officiis.]*

*[Margin: 4 lib. 2. Tuſcula. quæſt.]*



in vitio eſt: non modò enim id virtutis non eſt, ſed potius immanitatis omnem humanitatem repellentis. Itaque probè definitur à Stoicis Fortitudo, cùm eam virtutem dicunt eſſe propugnantẽ pro æquitate. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam cõſequutus eſt, inſidiis & malitia laudem eſt adeptus: nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod iuſtitia vacat. Præclarum illud igitur Platonis: Non ſolùm, inquit, ſciẽtia, quæ eſt remota à iuſtitia, calliditas potius, quàm ſapientia eſt appellanda: verum etiam animus paratus ad periculũ, ſi ſua cupiditate non vtilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quàm fortitudinis. Itaque viros fortes & magnanimos, eoſdémque bonos & ſimplices, veritatis amicos, minimèque fallaceis eſſe volumus, quæ ſunt ex media laude iuſtitiæ. Hactenus Cicero: cuius & item Iuſtiniani noſtri verba, περὶ τῆς κατὰ τὴν ὅλην ἀρετὴν τεταγμένης, οὐ περὶ τῆς κατὰ μέρος δικαιοσύνης, (*de vniuerſali, non de particulari iuſtitia exponi debere*) vnius Ariſtotelis auctoritas comprobat: qui iuſtitiam vniuerſalem (quę à Iuſtiniano τελεωτάτη ἀρετὴ *virtus ſumma* dicitur) κρατίστην τῶν ἀρετῶν, καὶ τελείαν μάλιστα ἀρετὴν (*Virtutum præſtantiſſimam & perfectiſſimam virtutem* nominat 1). Quod autem apud Imperatorẽ legimus, ἡ πάτριος φωνὴ τὴν ἐν ὅπλοις ἰσχὺν ἀρετὴν ὀνομάζει μόνην, virtutis nomen, quod ipſum generale eſt, ſoli omnium virtutum fortitudini (nam τὴν ἐν ὅπλοις ἰσχὺν, καὶ τὴν ἀνδρείαν (*fortitudinem bellicam & virtutem*) eandem eſſe interpretor) veluti proprium ac peculiare patria loquendi forma, id eſt[2] Latino idiomate tribui: noſter Plutarchus idipſum his verbis docet[3]: ὅλως μὲν οὖν ἐν τοῖς τότε χρόνοις ἡ Ῥώμη μάλιστα τῆς ἀρετῆς τὸ περὶ τὰς πολεμικὰς καὶ στρατιωτικὰς ἐκύδαινε πράξεις, καὶ ἐμαρτυρεῖτο τὴν ἀρετὴν ὑπ' αὐτῶν ἑνὶ τῷ τῆς ἀνδρείας ὀνόματι προσαγορεύεσθαι, καὶ τοῦτο τοῦ γένους ὄνομα κοινὸν ὑπάρχειν ὃ τὴν ἀνδρείαν ἰδίᾳ καλοῦσι.) *omnino illis temporibus Roma virtutem in rebus bellicis & militaribus potiſſimum in pretio habebat, quod & teſtabatur vni fortitudini bellicæ, virtutis appellationem attributa, & generali hoc nomine cum eo quo fortitudinem propriè exprimũt confuſo.*) Sed & ipſe Cicero, cùm ita ſcribit[4]: Atqui vide ne cùm omnes rectæ animi affectiones virtutes appellentur, nõ ſit hoc proprium nomen omnium, ſed ab ea vna quæ cæteris excellat omnes nominatæ ſint: appellata eſt enim à viro virtus: viri autem propria maximè eſt fortitudo, cuius munera duo maxima ſunt: mortis, dolorísque contemptio. Vtendum eſt igitur his, ſi virtutis compotes, vel potius ſi viri volumus eſſe, quoniã à viris virtus nomen eſt mutuata. Rectè autem Cicero: nam vt Paterculũ[5], vt Tacitum[6], Spartianum[7], Valerium[8], & Plinium[9] omittam, apud quos virtus fortitudinem plerunque ſignificat, in libris iuris ciuilis etiam accipitur. Sic loquuntur Imperatores[10]: Vlpianus Iuriſc. ita loquitur in illo loco[11]: Quòd ſi publicè præda virtute militum recuperata, nulli pretium matris pater numerauit, protinus poſtliminio reuerſa non cum domino, ſed cũ marito fuiſſe declaratur. Apud eundem iuris auctorem 12, his perſonis quæ non virtutis gratia cum beſtiis pugnauerunt, pro ſe allegare permitti à prętore, pro alio prohiberi. &

*[Margin: 1 lib. 5. ethicor. Nicomach.]*

*[Margin: 2 Bene, Id eſt, vt apparet ex aliis eiuſdem Iuſtiniani verbis No. 22. §. δεύτερον δὲ ἐκεῖνο. ib. κατὰ τὴν ἀρχαίαν καὶ πάτριον γλῶτταν οὕτω σέ που λέγων vti legaſſit quiſque de re ſua, ita ius eſto.]*

*[Margin: 3 in C. Martio Coriolano.]*

*[Margin: 4 li. 4. Tuſcul. quæſt.]*

*[Margin: 5 volum. 2.]*

*[Margin: 6 lib. 18. annal.]*

*[Margin: 7 in Adriano]*

*[Margin: 8 lib. 3. ca. 2. li. 5. ca. 2. & lib. 2. c. 1. vbi de Rutilio.]*

*[Margin: 9 li. 22. c. 4.]*

*[Margin: 10 l. ab hoſtib. 2. C. de poſtlim. reuer. & redempt. ab hoſtib.]*

*[Margin: 11 l ſi quis ingenuam 20. D. de capt. & poſtlim.]*

*[Margin: 12 l. 1. §. Itẽ ſenatuſcõſulto. verſic. Denique & verſic. His igitur. D. de poſtul.]*

paulò antè : Eos qui virtutis oſtendendæ cauſa hoc faciunt (de iis qui cum beſtiis depugnant loquitur) ſine mercede, non teneri edicto de infamibus è Senatuſconſulto ex veterum opinione traditur. Sed & alio apud eundem Vlpianum loco 1 : Sabinus & Caſſius reſponderunt athletas omnino artem ludicram non facere, virtutis enim gratia hoc facere. Mamertinus panegyriſtes militarem ornatũ intelligens, virtutis ornatum nominat, ſeparátque à pacis habitu Maximianum Imp. alloquens his ferè verbis 2 : Vidimus te, Cæſar, eodem die & in clariſſimo pacis habitu, & in pulcherrimo virtutis ornatu. Bona venia Deûm dixerim, ne Iupiter quidem ipſe tanta celeritate faciem cæli ſui variat, quàm facile tu Iupiter togam (ſic enim pro totam legendum eſſe nuper admonui 3) prætextam ſumpto thorace mutaſti, haſtam poſito ſcipione rapuiſti: à tribunali temet in campum, à curuli in equum tranſtuliſti. Ex poetis verò Latinis, præter Virgilium & Lucanum, præter 4 Ennium, 5 Lucretium & 6 Plautum illis vetuſtiores, è recentioribus inquam poetis Claudianus quoque bellicam virtutem, id eſt fortitudinem intellexit, cùm ita cecinit:

*Quiſnam audet ſtricto leges imponere ferro,*

(ſic enim ex vetere meo codice legendum, vbi vulgati codices habent, leges vibrato)

*Inflammata ſemel neſcit miteſcere virtus.*

Marcus etiam Varro linguæ Romanæ peritiſſimus, vbi de militaribus vocabulis 6 : Duplicarij dicti, ait, quibus ob virtutem duplicia cibaria vt darentur inſtitutum. Cæſar quoque Imperator, idémque ſcriptor facundiſſimus innumeris propemodum locis virtutẽ cùm appellat, fortitudinem intelligit. Exempli gratia hoſce proferam, Qua de cauſa (inquit 7) Heluetij quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quòd fere quotidianis præliis cum Germanis contendunt. Item: Intellecturum quid inuicti Germani exercitatiſſimi in armis, qui intra annos XIV. tectum non ſubiſſent, virtute poſſent. Itémque : Deſperantes iam de pugna, & diſperſos ſubitò adortum magis ratione ac conſilio, quàm virtute viciſſe. Et vt alios omittã, vno & eodem loco bis id verbi ea qua dicimus ſignificatione poſuit 8 . Cæſar primo & propter multitudinem hoſtium, & propter eximiam opinionem virtutis prælio ſuperſedêre ſtatuit, quotidie tamen equeſtribus præliis quid hoſtis virtute poſſet, & quid noſtri auderent periclitabatur. Item: Equites verò vt turpitudinem fugæ virtute delerent, omnibus in locis pugnabant, quo ſe legionariis militibus præferrent: & alibi ſæpe 9 . Sed & ipſe Cicero alicubi: Quid loquar, inquit 10 , de re militari? in qua cùm virtute noſtri multum valuerunt, tum plus etiam diſciplina. Item alio loco ad Plancũ Imperatorem ſic ſcribit 11: Nam & in re militari virtutem, & in adminiſtranda prouincia iuſtitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam expoſuit. Itémque de Pompeio inquit 12, Humanitate iã tanta eſt, vt difficile dictu ſit, vtrum hoſtes magis virtutem eius pugnãtes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint. Et alio loco 13 : Eam enim

1 l. 4. ſub initiũ. D. de iis qui not. inf.
2 in panegyrico ad Maximianum.
3 in appendicib. ad cõmẽtar. de reg. iur. vbi de conſulum inſignibus.
4 vide Cic. li. 1. de offic.
5 lib. 2. de rer. natura.
6 Amphitruone act. 1. ſcena. 1.
7 li. 4. de lingua Latina.
8 lib. 1. commentar. de bello Gallico ſub initiũ.
9 lib. 2. cõmẽtar. de bello Gallico.
10 li. 6. comment. de bell. Gall: & li. 7. & li. 1. de bello ciuili. & lib. 2. & 3. & Hirtius li. 1. de bello Alexandrino.
11 li. 1. Tuſc. quæſt. ſub initium.
12 epiſt. 3. li. 10. familiar. epiſtol.
13 in oratione pro lege Manilia.
14 li. 2. de inuentione.



enim ex bello gloriam virtute peperimus, vt eius æterna inſignia poſteris noſtris relinquere vellemus. Ergo apud veteres, vt è Seneca 1 didicimus: Macte virtute eſto, ſanguinolentis & ex acie redeũtibus dicebatur. Hãc animi virtutẽ cùm aliæ quoque ſint plurimæ, nominauit Cæſar, vbi de Labieno 2: Tãtis ſubitò difficultatibus obiectis ab animi virtute auxilium petendum videbat: hîc enim animi virtutem vocat, quod paulò antè animũ ac virtutem dixerat: vbi de Vercingetorige: Neque vllum ferè diẽ intermittebat, quin equeſtri prælio, interiectis ſagittariis, quid in quoque eſſet animi ac virtutis ſuorum periclitaretur. & animi fortitudinem alio in loco 3 , vbi ita eſt: Hîc cognoſci licuit quantum eſſet hominibus præſidij in animi fortitudine. Fortitudo igitur generis nomen veluti proprium ſibi adſciſcit, vt virtutem qui nullo alio adiecto pronunciauerit, de fortitudine plerũque ſenſiſſe intelligatur. Interdum tamen ambiguitatis tollendæ gratia, virtuti aut bellicæ, aut militaris, aut Martiæ nomen additur. Seruius 4 apud Triphoninum Iuriſc. Spẽ reuertẽdi ciuibus, inquit, in virtute bellica magis, quàm in pace Romani eſſe voluerunt. Plinius 5 , vbi de anulis: Manus & prorſus ſiniſtræ maximam auctoritatem conciliauêre auro (legerim lubentius Aureo, vt ad anulũ referatur) non quidem Romanæ, quorum more ferreũ id erat & bellicæ virtutis inſigne. Panegyriſtes quoque 6 : Sed neque illum virtutes tuæ bellicæ (inquit) à liberalitate, neque illius opes à bellica virtute te reuocarunt. Suetonius de Auguſto 7 : Nec parcior, inquit, in bellica virtute honoranda ſuper triginta ducibus iuſtos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curauit. At miles apud Plautum:

*Virtute belli armatus, ait 8 , promerui vt mihi*
*Omnes mortales deceat agere gratias.*

Et Cæſar: tum maximè (inquit 9 ) quod qui virtute belli omnibus gẽtibus præferebantur, tantùm ſe eius opinionis deperdiſſe, vt populi R imperia perferrent, grauiſſimè dolebant. & Sulpitia poetria 10,

*--duo ſunt, quibus extulit ingens*
*Roma caput: virtus belli, & ſapientia pacis.*

Et Cicero ipſe: Sin aliquis excellit vnus è multis (ait 11 ) effert ſe, ſi vnũ aliquid affert, aut bellicam virtutem, aut vſum aliquem militarẽ (quæ ſanè nunc quidẽ obſoleuerunt, aut iuris ſcientiã, &c. Et alio loco: Omnia latẽt, inquit 12, in tutela ac præſidio bellicæ virtutis. Et paulò antè: Rei militaris virtus præſtat cæteris omnibus. Et alibi 13: Atque in hoc bello (inquit) Aſiatico & regio non ſolùm militaris illa virtus, quæ eſt in Cn. Pompeio ſingularis, ſed aliæ quoque virtutes animi multæ & magnæ requiruntur. Bellandi virtutẽ paulò pòſt nominat idem Cicero: At Apuleius Madaurenſis philoſophus Platonicus 14, virtute Martia præpotenti præfertur (ait) Vlyſſes modicus Aiaci maximo. Et Ammianus Marcellinus 15 : Nam inter arma & lituos conditionis æquatio leuiora facit pericula, & Martiæ virtutis poteſtas, aut id quod auſum occupat, aut inopinata mors ſi acciderit, nullum ignominiæ ſenſum, finémque ſecũ viuen-

1 epiſt. 67.
2 li. 7. cõmẽt. de bell. Gal.
3 li. 3. cõmẽt. de bello ciuili.
4 l. in bello in princi. D. de capt. & poſtlim.
5 ca. 1. li. 34.
6 Mamertin. in Panegyrico Maximiani.
7 in Auguſto cap. 38.
8 Epidico act. 3. ſc. 4.
9 lib. 5. comment. de bel. Gall.
10 in carmine quo de Reipub. ſtatu & temporibus Domitiani queritur.
11 lib. 3. de oratore.
12 in oratione pro Murana.
13 in oratione pro lege Manilia.
14 lib. 10. de aſino aureo.
15 lib. 28.

di ſimul & dolendi perducit. Videntur autem Apuleius & Marcellinus alludere ad etymon & originem vocabuli Græci ἀρετῆς, quod ἀπὸ τοῦ ἄρεως, à Marte veteres Grammatici deducunt: ideò ipſum ἀρετῆς nomen ab optimis & vetuſtiſſimis Græcæ linguæ auctoribus, ita vt ad militarem & bellicam virtutem referant, vſurpari ſolet. Nam vt Diodorum Siculum[1] omittam, atque Thucydidem[2], quòd eorum libros omnibus in promptu eſſe ſcio, & minimè vulgari munere interea lectores, laborúmque noſtrorum amatores donem nitidiſſimi oratoris verba, quæ in impreſſis libris deſiderantur, in medium proferam. Ita igitur Lyſias[3]: οἱ δ' ἡμέτεροι πρόγονοι (ait) οὐ λογισμῷ εἰδότες τοὺς ἐν τῷ πολέμῳ κινδύνους, ἀλλὰ νομίζοντες τὸν εὐκλεᾶ θάνατον ἀθάνατον περὶ τῶν ἀγαθῶν ὑπολείπειν λόγον, οὐκ ἐφοβήθησαν τὸ πλῆθος τῶν ἐναντίων, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν ἀρετῇ μᾶλλον ἐπίστευσαν. (*Maiores noſtri, non quidem ſollicita ſupputatione belli pericula conſiderantes, ſed glorioſam mortem immortalitatem quandam eſſe, eò quòd poſt ſe relinquerent bonorum ſermones, iudicantes, hoſtium multitudinem non extimeſcebant, ſed eò magis propriæ virtuti confidebant.*) Et paulò pòſt, ἄνδρες δ' ἀγαθοὶ γενόμενοι, καὶ τῶν μὲν σωμάτων ἀφειδήσαντες, ὑπὲρ δὲ τῆς ἀρετῆς οὐ φιλοψυχήσαντες, καὶ μᾶλλον τοὺς παρ' αὐτοῖς νόμους αἰσχυνόμενοι, ἢ τὸν πρὸς τοὺς πολεμίους κίνδυνον φοβούμενοι, ἔστησαν μὲν τρόπαιον, &c. (*Viri boni cùm eſſent, corporiſque curam atque adeò vitam ipſam propter virtutem negligerent, magiſque leges ſuas venererentur, quàm pericula quæ milites manent, extimeſcerent, monimentum poſuerunt.*) Ex recentioribus quoque noſter Plutarchus ita Catonem philoſophum ad trecentos (qui ei erant à conſiliis) loquentem facit[4], vt eos ad bellum aduerſus Cæſarem fortiter ac ſtrenuè ineundum adhortaretur: ſe non modò laudibus, verùm etiam admiratione proſecuturum illorum virtutem eſſe, ſi aduerſis reſiſterent, & pro libertate belli periculum ſubirent: ἱσταμένων δὲ πρὸς τὰ δεινὰ (inquit) καὶ δεχομένων τὸν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας κίνδυνον, οὐκ ἐπαινεσόμενος μόνον, ἀλλὰ καὶ θαυμασόμενος τὴν ἀρετὴν, καὶ παρέξων ἑαυτὸν ἄρχοντα καὶ συναγωνιζόμενον ἄχρι οὗ τὴν ἐσχάτην τύχην τῆς πατρίδος ἐξελέγξωσιν. (*Si aduerſis reſiſterent & periculum belli pro libertate ſubirent, non modò laudibus, ſed & admiratione proſecuturum ſe hanc eorum virtutem, ſéque ſupremæ patriæ fortunæ tentandæ ducem atque commilitonem præbiturum.*) Idem auctor[5], vbi de Marco Catonis filio loquitur, qui vt amiſſum enſem recuperaret, denuo in hoſtes impetum fecit: οἷα δὲ νεανίας, inquit, συντεθραμμένος πλείστοις παιδεύμασι, καὶ μεγάλῳ πατρὶ μεγάλης ἀρετῆς ἀποδείξεις ὀφείλων, οὐ βιωτὸν ἡγησάμενος εἶναι προεμένῳ σκῦλον αὐτοῦ ζῶντος, τοῖς πολεμίοις ἐπέδραμε τὴν μάχην, (*Vtpote iuuenis plurimis præceptis inſtitutus, quique magno patre ortus, magnæ virtutis ſpecimina edere tenebatur, non viuendum illi ratus qui ſpolia ſe viuente ab hoſtibus ſibi auferri pateretur, aciem percurrit.*) & de Scipione[6], οὗτος δὲ Σκιπίων ὁ τοῖς ἐπιουμένοις Καρχηδόνα καὶ Νομαντίαν κατασκάψας, καὶ πολὺ πρῶτος ἀρετῇ τῶν τότε Ῥωμαίων γενόμενος καὶ δυνηθεὶς μέγιστον. (*Is eſt Scipio ille qui poſtea Carthaginem & Numantiam euertit, qui longè omnes Romanos tum temporis virtute antecelluit, præque omnibus authoritate valuit.*) & [7] de Antonianis militi-

1 lib. 11. & 13. biblioth.
2 lib. 2. 3. 4.
3 ἐν τῷ ἐπιταφίῳ τοῖς κορινθίων βοηθοῖς.
4 in Catone Vticenſi.
5 in vita Aemilij.
6 in vita Aemilij.
7 in Antonij vita. vide & in vita C. Marij.



militibus, quos Parthi victi laudabant, ἐκέλευον διαπεραιοῦν τοὺς Ῥωμαίους πολλὰ τὴν ἀρετὴν αὐτῶν ἐγκωμιάζοντες. (*Traycere iuſſerunt Romanos, virtute eorum magnopere laudata.*) Quibus locis equidem ἀρετὴν, id eſt, *virtutem*, τὴν ἐν ὅπλοις ἰσχὺν, (*in re armorum fortitudinem,*) vt Iuſtiniani verbo vtar, εὐψυχίαν τε καὶ ἀνδρείαν, id eſt, *fortitudinem* interpretor. Namque apud Lucianum[1] Paraſitus: οὗτοι πάλιν ὦ Τυχιάδη (ait) οἱ περὶ τῆς ἀνδρείας ὁσημέραι διαλεγόμενοι καὶ κατατρίβοντες τὸ τῆς ἀρετῆς ὄνομα, πολλῷ μᾶλλον τῶν ῥητόρων φανοῦνται δειλότεροι καὶ μαλακώτεροι. (*Hi rurſus, ô Tychiades, qui de fortitudine quotidie diſſerunt, & virtutis nomen ore terunt, Rhetoribus ipſis multò meticuloſiores atque molliores comperiuntur.*) & apud ipſum Plutarchum[2] ἀρετῇ δειλία, *ignauia virtuti* velut aduerſa opponitur: quo loco Æmilius ad Perſeum loquens: ἀρετὴ δὲ δυστυχοῦσι (ait) μεγάλην ἔχει μοῖραν αἰδοῦς καὶ παρὰ πολεμίοις, δειλία δὲ Ῥωμαίοις κἂν εὐποτμῇ, πάντη ἀτιμότατον. (*Virtus etiã in infelicibus venerationem magnam apud hoſtes ſortitur, at ignauia etſi fortunata Romanis ſemper fuit deſpicabilis.*) & ἡ περὶ πόλεμον ἀρετὴ ab ipſo Plutarcho, vt *belli virtutem* à Latinis vocati diximus, alicubi[3] nominatur. Qua ſignificatione verbum iſtud ἀρετῆς, *virtutis*, alio apud eundem Plutarchum loco reponendum eſſe interpretes non vidêre: nos verò quinque abhinc annis, aut eo amplius, non veterũ quidem (quibus iniquo animo caremus) librorum auctoritate adiuti, ſed validis & firmis rationibus adducti animaduertimus. Nam vbi de Marcello & Criſpino Coſs. aduerſus Annibalem, à quo tum deuicti atque interfecti ſunt, pugnaturis agit Plutarchus[4]: ita in excuſis & vulgatis libris legitur: ἐξῄει οὖν τόν τε συνάρχοντα Κρισπῖνον παραλαβὼν, καὶ τὸν υἱὸν χιλιαρχοῦντα καὶ τοὺς σύμπαντας ἱππεῖς εἴκοσι καὶ διακοσίους, ὧν Ῥωμαῖος οὐδεὶς ἦν, ἀλλ' οἱ μὲν ἄλλοι Τυρρηνοὶ, τεσσαράκοντα δὲ Φρεγελλανοὶ, πεῖραν ἀρχῆς καὶ πίστεως ἀεὶ τῷ Μαρκέλλῳ δεδωκότες. (*Eduxit ergo ſecum Criſpinum collegam, & filium ſuum tribunum, & ducẽtos viginti in vniuerſum equites, quorum nullus Romanus erat, ſed omnes Tyrrheni, præter quadraginta Fregellanos, qui imperij & fidei experimentum Marcello ſemper dederant.*) Qua de re locutus Liuius[5]: Adſentiente Criſpino (inquit) cum equitibus ducentis, & viginti, ex quibus quadraginta Fregellani, cæteri Hetruſci erant, proficiſcuntur. Appianus[6] trecentorum quidem equitum meminit, ſed de Tyrrhenis, aut Fregellanis verba non facit: Ad quem ea ratione, itémque ad Liuium adieram, vt ſciſcitarer quid illud eſſet apud Plutarchum, πεῖραν ἀρχῆς καὶ πίστεως δεδωκότες. (*qui imperij & fidei experimentum dederant.*) Nam cùm ἀρχὴ principium aut imperium ſignificet, quomodo Fregellani Marcello ſemper experimentum & ſpecimen, vt fidei ſuæ ſic imperij ſiue principij dediſſe dicerentur, non videbam: neque enim de Fregellanis Tyrrheniſve, tanquam de ducibus, ſed tanquam de militibus loquitur Plutarchus, qui eos ἱππέας, *equites*, non στρατηγοὺς, *duces* nominat: alioquin equidem illud ἀρχῆς πεῖραν διδόναι, *imperij experimentum dare*, non improbarem apud optimum auctorem, cùm Diodorus quoque Siculus id ipſum vſurparit[7]: quo loco Charidemus Athenienſis Dario ſuadet, αὐτὸν

1 in dialogo qui περὶ παρασίτου ὅτι ἡ τέχνη ἡ παρασιτικὴ inſcribitur.
2 in Aemilio.
3 in vita Cæſaris. ibi ἡ καὶ Πομπηΐοις αὐτὸν ἐξ κλέος ὑπονενοήκει λαῶν παντοίας περὶ τὸν πόλεμον ἀρετῆς παραβάλλοντες, οἱ Κάμιλλος ὑπερβάλλουσι περὶ ξεις.
4 in vita Marcelli ad finem.
5 lib. 7. decad. 3.
6 in Annibalico.
7 lib. 17. biblioth.

μετὰ τὸ βάρος καὶ τὴν τῆς Ἀσίας ἀρχὴν συνέχειν, ἐπὶ δὲ τὸν πόλεμον ἀποστέλλειν στρατηγὸν, πεῖραν δεδωκότα τῆς ἰδίας ἀρχῆς, (*vt ſibi quidem imperij Aſiatici onus reſeruet, in militiam verò mittat ducem, qui proprij imperij experimentum dederit*: ) hoc eſt ſe ſcire imperare iam oſtenderit. Sanè illud ἀρχῆς pro κατ' ἀρχὰς, vel ἐξ ἀρχῆς, id eſt ab initio ( vt quidam fecêre interpretes) accipere non poteram, ne articulus καὶ, qui nihil copularet, ſuperuacuus atque adeò reiiciẽdus eſſet. Ergo ſubiit animum cogitatio, quid Plutarchum eo in loco ſibi voluiſſe probabiliter defendi poſſet. Tandem verò Ἀρχῆς nomen amouendum, quódque illi tam ſcripturæ, quàm pronunciationis ratione affine ac geminum eſſet, Ἀλκῆς, *fortitudinis*, ( hoc enim à Diodoro[1] & Plutarcho[2] etiam ipſo vſurpatur, ita vt ei δύναμιν & ἀνδρείαν, *ſtrenuitatem & fortitudinem*, coniungant) vel potiùs Ἀρετῆς, *virtutis*, reſtituendum eſſe mihi perſuaſi: quippe cùm apud Diodorum quoque Siculum alicubi[3] ἀρετῆς πεῖραν διδόναι, *virtutis experimentum dare* ſcriptũ legiſſem: & ad πίστεως, *fidei*, vocabulum ( quod adhuc extaret apud Plutarchum ) aſpiciens, in militibus hæc duo cumprimis ἀρετὴν καὶ πίστιν, *virtutem & fidem* requiri, atque ab optimis auctoribus laudari meminiſſem. His verò integræ ſcilicet frontis & fidei ſpectatæ hominibus teſtimonium Plutarchus denunciat, vt amiſſum & ereptum ἀρετῆς nomen ſuum eſſe vindicet probétque. Igitur & citari eos, & licet per longum iter ex Latio in Græciam, attamen pro conſuetudine huius prouinciæ literariæ ad veritatem aſtruendam euocari ius ciuile patitur, vel ipſo Iuriſconſulto Calliſtrato auctore[4]: qui ſi probabitur ſæpe in aliam ciuitatem teſtimonii gratia pleroſque euocatos, non eſſe dubitandum ait, quin euocandi ſint, quos neceſſarios in ipſa cognitione deprehenderit qui iudicat. Sed producti adſunt Latini teſtes Salluſtius, Metellus, Tacitus Hirtius ſiue Oppius, Paterculus, Marcellinus, & Valerius: quorum fidem excuti & examinari nihil neceſſe eſt. Recitanda potius & cognoſcenda ipſorum teſtimonia, quæ velut actuarius aliquis hîc bona fide tranſcribere non recuſo. Et apud Salluſtium quidem Catilina ſic ad cõiuratos loquitur[5]: Niſi virtus atque fides veſtra ſatis ſpectata mihi foret, necquicquam opportuna res cecidiſſet, &c. ſed quia multis & magnis tempeſtatibus vos cognoui, fortes fidóſque mihi, eò animus auſus eſt, &c. Ex epiſtola verò Q. Metelli ( quam cum in exilio eſſet ad Cn. & L. Domitios dedit) hęc verba retulit Gellius[6]: At cùm animum, inquit, veſtrum erga me video, vehementer conſolor, & fides virtúſque veſtra mihi ante oculos verſatur. Audi nunc Tacitum[7]: Tum demum Tiberius ortum patratúmque bellum Senatui ſcripſit, neque dempſit aut addidit vero, ſed fide ac virtute legatos, ſe conſiliis ſuperfuiſſe. Itémque haud multò pòſt: Proximo Magnetes, inquit, L. Scipionis & L. Syllæ conſtitutis nitebantur, quorum ille Antiocho, hîc Mithridate pulſis, fidem atque virtutem Magnetum decorauêre. Præterea idẽ auctor alibi L. Vitellium Imperatori dixiſſę tradit[8]: Fruſtra Veſpaſianum timeri, quem tot Germanicæ legiones, tot prouinciæ virtute ac fide, tantũ denique terrarũ ac maris

1 lib. 12. & 17. biblioth.

2 in Tito Flaminio.

3 lib. 18. biblioth. vbi de Caſſandro Antipatri filio. καὶ ταῦθ' ἡμοῦ δυναμένου πραγμάτων ἡγεῖσθαι καὶ δεδωκότος ἤδη πεῖραν ἱκανὴν ἀρετῆς καὶ ἀνδρείας

4 l. 3. §. vlt. D. de teſtib.

5 in coniuratione Catilinæ.

6 cap. 13. lib. 15.

7 lib. 3. ann.

8 li. 19. ann.



ris immenſis ſpaciis arceat. In vrbe ac ſinu cauendum hoſtem, &c. Hirtius autem ſiue Oppius, vbi de Gabinio[1]: Adeóque eſt à barbaris contemptus, vt Salonam ſe recipiens in oppidum maritimum, quod ciues Romani fortiſſimi fideliſſimíque incolebant, in agmine dimicare ſit coactus. & aliquanto pòſt: Caſſius (inquit) fidei magis, quàm virtuti legionum confidebat. Velleius Paterculus, vbi de Mithridate[2]: Quo tempore neque fortitudine aduerſus Mithridatem, neque fide in Romanos quiſquam Rhodiis par fuit. Ammianus Marcellinus[3] Hariobaudem vacantem tribunum fidei fortitudiníſque notæ nullo conſcio, legationis ſpecie ad Hortarium miſerat regem iam pacatum. Reſtat vt Valerij verba proferantur. Fabius autem Maximus (ait[4]) cuius non dimicare vincere fuit, cùm præcipuæ fortitudinis Nolanum peditem dubia fide ſuſpectum in caſtris haberet, illum plenè pro tribunali laudando, omníque genere honoris proſequendo, animum ſuum à Pœnis ad Romanos coegit reuocare. Porrò vt virtutem ſiue fortitudinem & fidem, ita perfidiam & ignauiam ab auctoribus inter ſcribendum copulari animaduertimus, cùm de militibus ſermo fit. Tacitus[5]: Hortatur milites, ait, vt hoſtem vagum, neque paci aut prælio paratum, ſed perfidiam & ignauiam fuga confitentem exuerent ſedibus. & alibi[6]: Præerat claſſi Claudius Apollinaris neque fidei conſtans, neque ſtrenuus in perfidia. Præterea quemadmodum apud Plutarchum πεῖραν ἀρετῆς διδόναι, ſic experimentum virtutis dare apud Velleium Paterculum legimus[7], vbi de Germanico: Magna in bello Dalmatico experimenta virtutis, in multos ac difficiles locos præmiſſus Germanicus dedit. ſic apud Tacitum: Centuriones virtutis experta legimus. Tunc tripartitũ (inquit[8]) exercitũ plures in manus diſpergit, præponítque centuriones virtutis expertæ. Sic denique fidem & virtutem militum experiri dux dicitur à Cæſare, quem ipſe imprudens penè prætermiſi: etſi eũ haud dubiè nõ modò in aliorũ numerũ referre, ſed præ illis omnibus nominare debuerã, vel ideo quòd ſolus cõiecturam noſtrã auctoritate ſua omnino aſſerere atq. approbare potuit. Apud hunc[9] etenim milites vniuerſi diſcedentẽ ex cõcione Curionẽ cohortantur, magno ſit animo, neu dubitet pręlium cõmittere, & ſuã fidẽ virtutémq. experiri. Hæc ſunt itaq. peregrinorũ, & velut in aliam ciuitatem euocatorũ teſtimonia: domeſticorũ autem, id eſt Græcorũ, imò ipſius quoq. Plutarchi nonnulla ſuppetent, quæ nõ idcirco repudiaturi ſumus (meo quidẽ iudicio) quòd nullus idoneus teſtis in re ſua intelligatur: cùm de voluntate, déque ſentẽtia Plutarchi potiſſimũ quæramus, quæ (vt teſtamẽtis fieri aſſolet) nõ aliunde certiùs exquiri aut elici (vt mea fert opinio) quàm ex aliis eiuſdem Plutarchi locis vnà compoſitis atq. comparatis poteſt. Ex quibus aliquot à me inter legendum olim adnotatos proponã: ſed ita, vt cõiecturæ noſtræ firmãdæ ac ſtabiliẽdæ alios apud ipſum Plutarchum nonnullos reperiri poſſe inficias non eã, quibus cõquirendis otium nõ habeo. Is autem vt de Fregellanis & Marcello, ſic de Firmianis & Catone propemodum in candẽ ſententiam alibi[10]

1 in lib. de bello Alexandrino de commentar. Cæſar.

2 volum. 2.

3 lib. 18.

4 lib. 7. cap. 3. vbi de Fabio Maximo.

5 lib. 13. annal.

6 lib. 19.

7 lib. 2.

8 li. 3. annal.

9 lib. 2. commentar. de bello ciuili.

10 in M. Catonis vita.

ſcribit: οὕτως οὖν ἐπιστήσας ἐνταῦθα τὴν στρατιὰν ὁ Κάτων ἐκέλευσεν αὐτῷ προσελθεῖν ἄνευ τῶν ἄλλων τοὺς Φιρμιανούς, οἷς ἀεὶ πιστοῖς ἐχρῆτο καὶ προθύμοις. (*Ad hunc ergo modum, eò admota acie, Cato ad ſe accedere Firmianos iuſsit, quibus fidis & animoſis ſemper vtebatur,*) & de Antonianis militibus[1], οἱ δὲ στρατιῶται καὶ πόθον τινὰ καὶ προσδοκίαν εἶχον ὡς αὐτίκα ποθὲν ἐπιφανησομένου· καὶ τοσαύτην ἐπεδείξαντο πίστιν καὶ ἀρετὴν, ὥστε καὶ τῆς φυγῆς αὐτοῦ φανερᾶς γενομένης, ἡμέρας ἑπτὰ συμμεῖναι. (*Milites verò & eum votis expetebant, & ſperabant eum primo quoque tempore alicunde proditurum, tantámque fidem & virtutem erga eum præſtiterunt vt quamuis fuga ipſius ſatis innotuiſſet, tamen per ſeptiduum conſtantes in ea fide permanerent.*) Idem auctor ἀρετῆς ἀπόδειξιν παρέχειν, *Virtutis ſpecimen exhibere*, dixit alio[2] loco: id autem eſt, ἀρετῆς πεῖραν διδόναι, *experimentum dare virtutis*, & in Catonis philoſophi concione ad trecentos negotiatores ciues Romanos, ipſius in Africa cõſiliarios: ἐπεὶ δὲ συνῆλθον, inquit[3], ἀρξάμενος ἀπὸ τῶν τριακοσίων, καὶ διελθὼν πολὺν ἔπαινον τῆς προθυμίας αὐτῶν, καὶ τῆς πίστεως ἣν ἐπεδείξαντο καὶ χρήμασι, καὶ σώμασι, καὶ βουλαῖς ὠφελιμώτατοι γενόμενοι, παρεκάλει μὴ διαλυθῆναι ταῖς ἐλπίσι. (*Poſt quam conuenerunt exorſus à trecentis illis, & magna cum laude eorum animi præſentia, fidéque quam præſtiterãt quòd & facultatibus & corporibus & conſiliis Remp. magnopere iuuiſſent commemorata, hortabatur ne ſpem abijcerent.*) &c. vbi προθυμίας καὶ πίστεως, *animi & fidei* explico: Suetonius[4] in Othone, Animum fidémque prætorianorum erga ſe penè internicione ampliſſimi ordinis expertus eſt. Sequitur apud Plutarchum in eiuſdem concionis extremo: οὐ μὴν ἀλλ' ἐκείνους γε δεῖν ἔφη βουλεύεσθαι καθ' ἑαυτοὺς συνευχομένους ἀντὶ τῆς πρόσθεν ἀρετῆς καὶ προθυμίας αὐτοῖς τὰ δόξαντα συνενεγκεῖν. (*Inter ſe tamen deliberarent dixit, Diíſque ſupplicarent, vt in gratiam virtutis animíque quo eatenus fuerant, ea quæ ſtatuerent, vſui ſibi ipſis & commodo eſſent.*) & paulò antè, vbi de ſuſcepto à Catone poſt Pompeij mortem imperio loquitur: διὸ καὶ Κάτων αἰδούμενος καὶ οἰκτείρων ἄνδρας ἀγαθοὺς καὶ πίστεως δεδωκότας πεῖραν, ἐπὶ ξένης ἐρήμους καὶ ἀπόρους ἀπολιπεῖν, ὑπέστη τε τὴν ἀρχὴν, καὶ παρῆλθεν εἰς Κυρήνην. (*Catonem cùm & puderet & miſereſceret viros bonos quique fidei experimentum dediſſent, in regione extera omni ope & conſilio deſtitutos deſerere imperium ſuſcepit, & primò Cyrenem appulit.*) qui locus illi omnino reſpondet, quem non caſtigandum modò, ſed exponendum etiam atque illuſtrandum ſuſcepimus: nam quid eſt aliud ἄνδρας ἀγαθοὺς, καὶ πίστεως δεδωκότας πεῖραν, *viros bonos & qui fidei experimentum dederant*, niſi ἄνδρας ἀρετῆς καὶ προθυμίας καὶ πίστεως πεῖραν δεδωκότας; *viros qui virtutis animi fideique experimentum dederant?* Enimuero ἀρετήν τε καὶ εὔνοιαν, *virtutem & beneuolentiam*, Diodorus[5], cùm de re militari loquitur, plerunque copulat: Plutarchus verò & alij quoque vetuſtiores, ἀρετὴν καὶ προθυμίαν, *virtutem & animum*, vt ipſe[6] Thucydides: apud quem προθυμίαν, vt apud Plutarchum, alacritatẽ ac ſtudium (ſic Cæſar[7] vocat) exponimus: ea verò virtutis militaris eſt quædam ſpecies, cui ſegnitiem tarditatémque contrariam eſſe arbitramur, quam Thucydides ἀθυμίαν τε καὶ βραδυτῆτα quodam lo-

co

*1 in Antonij vita.*
*2 in comparatione Flaminij & Philopœmenis.*
*3 in Catonis Vticenſis vita.*
*4 cap.8.*
*5 lib. 19.17. & 18. bibliothecæ.*
*6 li.2. hiſt.*
*7 lib.4. commentar. de bello Gallico, & lib.3. de bello ciuili.*



co[1]nominat. Apud Plutarchum denique ἀγαθὸν, virum fortem interpretamur, τῇ κατὰ πόλεμον ἀρετῇ κεκοσμημένον, *bellica virtute præditum*: & militia bonum, vt Agrippam[2] Tacitus vocat: quod verbum in panegyrico ad Honorium vſurpauit[3] Claudianus, cùm ait:

*notis regimur fruimúrque quietis*
*Militiæque bonis, ceu bellatore Quirino,*
*Ceu placido moderante Numa.*

Sanè hac ipſa ſignificatione ἀγαθὸν alij quoque auctores Græci[4], & in his Lyſias dixit in eo, quem ope manuſcriptorum codicum adiuti antè attulimus, loco: vt in illo eiuſdem orationis[5] altero, cuius verba (quòd in excuſis libris hæc etiam deſiderantur) in ſtudioſorum gratiam adfero: ἐνόμιζον γὰρ ἀποθανεῖν μὲν αὐτοῖς μετὰ πάντων προσήκειν, ἀγαθοὺς δὲ εἶναι μετ' ὀλίγων, καὶ τὰς μὲν ψυχὰς ἀλλοτρίας διὰ τὸν θάνατον κεκτῆσθαι, τὴν δὲ ἐκ τῶν κινδύνων μνήμην ἰδίαν ἀπολείψειν. (*Sibi cum omnibus, moriendum, cum paucis, bonis viris eſſe oportere, vitámque tanquam non ſuam propter mortem, poſsidendam, at propriam periculorum memoriam poſt ſe relinquendam arbitrabantur.*) Sed & τὸ ἀγαθὸν ἀντὶ τῆς ἀρετῆς ἤγουν ἀνδρείας, *bonum pro virtute ſiue fortitudine*, illo in loco accipitur, quem non vtique omnes intelligunt apud Thucydidem[6]: οἷς δὲ βεβαίως τι πρόσεστιν ἀγαθὸν, inquit, μὴ προειδώς τις ἂν αὐτοῖς τολμηρότερον προσφέροιτο. (*Præſcire nemo poteſt, num iis, quibus aliquid firmiter ineſt boni audacius ſit congreſſurus*), nã alibi[7] quoque idem auctor ita loquitur, ὅταν τὴν ἐπιστήμην, ait, ἐς τὸ ἴσον καταστήσωμεν, τῇ γε εὐψυχίᾳ δήπου περιεσόμεθα· ὃ γὰρ ἡμεῖς φύσει ἔχομεν ἀγαθὸν, ἐκείνοις οὐκ ἂν γένοιτο διδαχῇ. (*Quum peritiam vtriſque parem fecerimus, fortitudine tamen vtique erimus ſuperiores. Quod enim bonum naturâ habemus nos, ipſi nec arte ſibi comparare poſſunt.*) Eadémque qua paulò antè ἀγαθὸν oſtendimus ratione, κακὸν καὶ κακίαν ἀντὶ τοῦ δειλοῦ καὶ δειλίας, *malum pro ignauo, vitium ſiue malitiam pro ignauia* dixit[8] ille ipſe Thucydides. Atque iſta quidem ὡς διὰ παχέων, *breuibus*, adnotare libuit. Nunc verò iam (ſi videtur) adhibeat modum oratio, & illuc vnde deflexit redeat.

Iure meritóque à nobis reſtitutum in illo Plutarchi loco virtutis vocabulum, vt fidei verbo iungeretur, inde apparet: quòd militi vt ignauia, ſic perfidia quoque maximo vitio vertitur: contrà verò & virtus, id eſt fortitudo fidéſque, atque animi alacritas in milite requiri, & ſi adſint, mirificè commendari ſolent, vt antè oſtendimus: ídque vel his verbis, ex oratione Commodi principis ad milites ab Herodiano[9] relatis, comprobari poteſt: ὅσα δ' ἂν σὺν ἐμοὶ βασιλεῖ νέῳ προθύμως ἐπιδείξησθε, τούτων τὴν δόξαν πίστεώς τε ἀγαθῆς καὶ ἀνδρείας ἀποίσεσθε. (*Eorum quæ mecum iuuene Imperatore animosè geſſeritis, gloriam bonæ fidei & fortitudinis referetis*), quibus addantur illa[10] ex Macrini concione ad milites: ἤρτηται δὲ νῦν πᾶσα ἡ Ῥωμαίων ἀρχὴ τῆς ὑμετέρας ἀνδρείας τε καὶ πίστεως. *A veſtra fortitudine & fide omne imperium Rom. pendet.* In duce alicuius exercitus & imperatore, virtus illa quam Quintilianus[11] imperatoriam, στρατηγικὴν ἀρε-

*1 lib.5. & 7. hiſtor.*
*2 lib. 1. annal. ſub initium.*
*3 in panegy. in 4. conſul. Honorij.*
*4 Thucydides li. hiſt. 2. 4. 5. & 7. Diodorus Siculus lib.19. & 20. Plutarchus in Antonio & Bruto. Xenophon li.3. de inſtit. Cyri.*
*5 ἐν τῷ ἐπιταφίῳ τοῖς Κορινθίων βοηθοῖς.*
*6 lib.4. hiſt.*
*7 lib.1. hiſto.*
*8 li.2. hiſto. in oratione Cnemi & Braſidæ ad Peloponneſios & lib. 5. in dialogo Melienſium & Atheniensium κακότης καὶ δειλία copulantur.*
*9 lib.1. hiſto.*
*10 apud Herodianum lib.4. hiſtor.*
*11 cap.10. li. 7. Inſtitut. orator.*

τὴν 1 Herodianus poſt 2 Diodorum Siculum nominat: & verò ea quæ multum(vt ait3 Cæſar)cùm in omnibus rebus, tum præcipuè in bello & in re militari poteſt fortuna ſiue felicitas,deſideratur atque laudatur.Itaque panegyriſtes 4 ad Theodoſium Imperatorem: Nam cùm duo ſint,ait,quæ claros duces faciant,ſumma virtus ſummáque felicitas,ſcire obuium eſt,qua fuerit felicitate præditus,qui te genuit. Appianus[5], vbi metu Annibalis qui ad XXXII.ab vrbe ſtadium caſtra poſuerat,magnum Romæ tumultum excitatum ait, illum στρατηγὸν δι' ἀρετὴν καὶ εὐτυχίαν ἄμαχον,*propter virtutem & felicitatem inuictum imperatorem vocat*.Cicero[6] quoque exiſtimare ſe ait, Maximo,Marcello,Scipioni,Mario,& cæteris magnis Imperatoribus,non ſolùm propter virtutem, ſed etiam propter fortunam ſæpius imperia mandata,atque exercitus eſſe commiſſos. & ad Plancum imperatorem 7 ſcribens: Omnia ſumma (inquit) conſecutus es,virtute duce, comite fortuna, & Fortuna ſuffragante videris res maximas conſecutus, quod quanquam ſine virtute non potuiſſes, tamen ex maxima parte ea quæ es adeptus, fortunæ temporibúſque tribuuntur,&c.Magna ſpes in te & in tuo exercitu, magna expectatio.& de Pompeio Imp.[8] Quid? noſter hic Magnus(in quit) qui cum virtute fortunam adæquauit, nónne Theophanem Mitylenæum ſcriptorem rerum ſuarum in concione militũ ciuitate donauit? Dio 9 quoque de Pompeio,itémque de Cæſare,vbi eos inuicem comparat: ἔργα τε ἀξιόλογα, inquit, ἀποδεδειγμένοι, καὶ πολλῇ μὲν ἀρετῇ, πολλῇ δὲ καὶ τύχῃ κεχρημένοι, καὶ ἀξιοστρατηγικώτατοι, καὶ ἀξιονικότατοι ἦσαν. (*Rebus memorabilibus geſtis & magna virtute multáque fortuna vſi,cùm Imperio tum victoria digniſſimi erant*) & alio loco[10]: ὥστε τό, τε δίκαιον ἔφερε καὶ τὸ δαιμόνιον ἦγεν ἄνδρα αὐτοὺς εὐεργέτην σφῶν (Cæſarem intelligit) ἐς τοσοῦτον καὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς τύχης προχωρήσαντα ἀποκτείναντας παθεῖν. (*Ita nimirum & iuſtitia poſtulabat, & Deus volebat eos interire qui virum ad id virtutis & fortunæ progreſſum ac inſuper benefactorem ſuum occidiſſent.*) Ruiſum Cicero de Muræna Imp. illam militum orationem quodam loco[11] exprimit:Me ſaucium recreauit,me præda donauit,hoc duce caſtra cepimus, ſigna contulimus,nunquam iſte plus militi laboris impoſuit,quàm ſibi ſumpſit: ipſe cùm fortis,tum etiam felix.Hirtius ſiue Oppius de Euphranore:Cui ſubſidium(ait[12])nemo tulit, ſiue quòd in ipſo ſatis præſidij pro virtute ac felicitate eius putarent eſſe,ſiue quòd ipſi ſibi timebant:itaque vnus ex omnibus eo prælio bene rem geſſit, ſolus cum ſua quadriremi victrice periit. Velleius Paterculus 13 vbi de P.Scipione Africano Æmiliano loquitur,Miſſúsque in Hiſpaniam fortunæ virtutíque expertæ in Africa,reſpondit in Hiſpania.& multo pòſt:Vſus Cæſar virtute & fortuna ſua,Peruſiam expugnauit:& poſteà vbi de bello Germanico ſub Auguſto: Moles deinde eius belli tranſlata in Neronem eſt,quod is ſua & virtute & fortuna adminiſtrauit: & aliquanto pòſt:Eadem & virtus & fortuna ſubſequenti tempore ingreſſa annum Imperatoris Tiberij fuit, quæ initio fuerat.

1 *lib.*1.
2 *lib.*16.*biblioth. vbi de Philippo.*
3 *lib* 6.*comment. de bello Gallico. & lib.*3. *de bello ciuili.*
4 *Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſij Auguſti.*
5 ἀννιβαϊκῇ.
6 *in oratione pro lege Manilia.*
7 *epiſt.*3. *&* 5.*lib.* 10.*familiar.*
8 *in oratione pro Archia poëta.*
9 *lib.*41.*hiſtor.*
10 *lib.*48.*hiſtor.ſtatim in ipſo initio vbi de Cæſaris interfectoribus.*
11 *in oratione pro Muræna.*
12 *de bello Alexandrino.*
13 *volum.*2.



fuerat.Denique,vt finem exemplis adferendis faciam, de M.Antonino philoſopho ſcribit Capitolinus[1] ſic fere:Speciale ipſe bellum Marcomannicum, ſed quantum nulla vnquam memoria fuit, tum virtute,tum etiam felicitate tranſegit:& eo quidem tempore, quo peſtilentia grauis multa millia & popularium & militum interemerat.Hæc profectò eſt felicitas rerum geſtarum, qua beneuolentiam, vt rebus aduerſis,odia exercitus Imperatoribus conciliari Curio apud Cæſarem docet 2. Cæterùm quomodo Cæſar ipſe dicebat 3, non minus ſe in milite modeſtiam & continentiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem deſiderare:quamuis fortitudinem duntaxat & fidem in milite plerunque requiri,variis auctorum teſtimoniis comprobatum anteà fuerit. Sic & in duce vel Imperatore,licet hæc duo potiſſimum experi atque laudari conſueuerint,virtus & felicitas,vt modò demonſtrauimus: nihilo minus tamen Cicero vbi de Imperatore ad bellum Mithridaticum deligendo diſſerit 4,in ſummo Imperatore ſcribit quatuor has res ineſſe oportere:ſcientiam rei militaris,virtutem,auctoritatem,felicitatem.& paulo pòſt:Neque enim illæ ſunt ſolæ virtutes Imperatoriæ quæ vulgo exiſtimantur,labor in negotiis, fortitudo in periculis,induſtria in agendo,celeritas in conficiendo,conſilium in prouidendo.& poſteà:Non enim ſolùm bellandi virtus in ſummo atque perfecto Imperatore quærenda eſt,ſed multæ ſunt artes eximiæ huius adminiſtræ comitéſque virtutis. Ac primùm quanta innocentia debent eſſe Imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quanta facilitate? quanto ingenio? quanta humanitate? Verùm Imperatoriæ virtuti multas artes veluti comites addit Cicero,quæ non ſunt Imperatoris propriæ, ſed in omnibus ferè bonis ac ſtudioſis viris,præcipuè verò in magiſtratibus elucere debent,ad quas vniuerſalis Iuſtitiæ nomen pertinet, vt initio diximus.Illud profectò admittendum,quod vt per ſe ſatis apertum & clarum eſt, ita ipſe Cicero innuit: Bellicæ virtutis arctiorem ſignificationem eſſe, cùm de milite, quàm cùm de duce exercitus vel Imperatore loquimur. Virtus militaris eſt fortitudo: Imperatoria virtus præter fortitudinem, alia permulta complectitur. In Imperatore enim & στρατηγίαν, ſiue στρατηγικὴν σύνεσιν (nam vtrunque à Diodoro 5 vſurpatur) καὶ τὴν κατὰ τὸν πόλεμον, vt Thucydides[6] loquitur, ἐμπειρίαν, id eſt *conſilium, reíque militaris peritiam* (vt omittam cætera) ineſſe oportet: in milite nihil neceſſe eſt. Gladio ſuperare militis eſt. Imperatoris autem, vt ait Cæſar 7, non minus conſilio quàm gladio: adeo quidem, vt Philippus ille Macedo maioribus ob Imperatorium conſilium, quàm ob virtutem militarem laudibus afficeretur atque commendaretur, vt Diodorus Siculus tradit[8]: φασὶ δὲ καὶ αὐτὸν (hæc optimi auctoris verba ſunt) τὸν Φίλιππον σεμνύνεσθαι μᾶλλον ἐπὶ τῇ στρατηγικῇ συνέσει καὶ τοῖς διὰ τῆς ὁμιλίας ἐπιτεύγμασιν ἤπερ ἐπὶ τῇ κατὰ τὰς συμμαχίας ἀνδρείᾳ. τῶν μὲν γὰρ

1 *in eius vita.*
2 *lib.*2.*comment.de bel. ciuili.*
3 *li.*7. *comment. de bello Gallico.*
4 *in oratione pro lege Manilia.*
5 *vide Diodorum Siculum li.*15.*biblioth.*
6 *lib.*6. *hiſt.*
7 *lib.* 1. *de bello ciuili.*
8 *lib.*16. *ad finem.*

κατὰ τοὺς ἀγῶνας κατορθωμάτων μετέχειν ἅπαντας τοὺς στρατευομένους, τῶν
δὲ διὰ τῆς ὁμιλίας γινομένων ἐπιτευγμάτων αὐτὸν μόνον λαμβάνειν τὴν
ἐπιγραφήν.(*Philippum aiunt magis de conſilio quod Imperatorem decet,
déque ſucceßibus pactionum ſuarum, quam de fortitudine militari glo-
riari ſolitum. Eorum enim quæ præclarè in prœliis geruntur, partem eſſe mi
litum ſed ſucceſſus ex pactionibus illis ſuis, ſibi inſolidum adſcribi.*) Præ
ſtantiſſimus apud Lacedæmonios olim dux fuit Braſidas: Hic verò,
1 li. 4. hiſtor. vt eſt apud Thucydidem 1: αὐτίκα ἑαυτὸν παρασχὼν δίκαιον καὶ μέτριον
ἐς τὰς πόλεις, ἀπέστησε τὰ πολλά, τὰ δὲ προδοσίᾳ εἷλε τῶν χωρίων.(*Cùm
enim ſtatim à principio æquitate & moderatione erga ciuitates vſus eſſet
loca multa ad defectionem compulit, partim proditione cepit*), quamob-
rem ab optimo auctore ſtatim ipſi vt ἀρετή, *virtus*, ſic etiam ξύνεσις,
*conſilium* tribuitur: & alibi ab eodem ipſo Themiſtocles Athenien-
ſis tanquam ἀνὴρ στρατηγὸς ξυνετώτατος, *Imperator prudentiſsimus*, lau-
2 li. 1. hiſtor. datur 2 in oratione ab legatis Athenienſium ad Lacedæmoniorum
3 lib. 6. hiſt. concilium habita. Itaque apud ipſum Thucydidem 3, vbi de Piſiſtra
tidis Athenienſium tyrannis ita ſcribit: καὶ ἐπετήδευσαν ἐπιπλεῖστον δὴ
τύραννοι οὗτοι ἀρετὴν καὶ ξύνεσιν, *plurimam virtuti atque prudentiæ ope-
ram dabant*, virtutem, non quomodo ſcholiaſtes Græcus facit, iuſti-
tiam, ſed ex ſuperioribus locis fortitudinem expono: præſertim
cùm ſubiiciat ſtatim: τήν τε πόλιν αὐτῶν καλῶς διεκόσμησαν, καὶ τοὺς πο-
λέμους διέφερον. *Vrbem eorum egregiè exornarunt & bella tolerauerunt*,
& non ita multo pòſt de Hermocrate Syracuſano: ἀνὴρ καὶ ἐς τὰ ἄλ-
λα ξύνεσιν οὐδενὸς λειπόμενος, καὶ κατὰ τὸν πόλεμον ἐμπειρίᾳ τε ἱκανὸς γενό-
μενος, καὶ ἀνδρείᾳ ἐπιφανής. *Vir cùm in cæteris rebus prudenter agendis
nulli ſecundus, tum in bellicis expertæ ſtrenuitatis, claræque fortitudinis.*
Cùm igitur neminem fere Imperatorem præſtantiſſimum fuiſſe,
qui non idem fortiſſimus miles fuerit hiſtoriæ doceant: nihilomi-
nus plerunque vſuuenit, vt qui miles optimus eſſet, idem tamen ob
imprudentiam reíve militaris imperitiam, ducis officio neutiquam
rectè fungeretur. Marcelli quidem interfecti transfixum lancea ca-
dauer aſpectans Annibal, etſi nec ore ac vultu lætitiam oſtentaſſe,
4 in Marcelli vita. nec inſolentius quidquam protuliſſe, à Plutarcho 4 traditur: Appia-
5 in Annibalica. nus 5 tamen auctor eſt, ab Annibale (dum intueretur vulnera quæ
pectore Marcellus exceperat) ipſum vt militem collaudatum, vt du
cem atque imperatorem irriſum, ac reprehenſum fuiſſe: καὶ αὐτοῦ, in-
quit, τῷ σώματι ὁ Αννίβας ἐπιστάς, ὡς εἶδε τὰ τραύματα ἐπὶ στέρνων, ἐπή-
νεσε μὲν ὡς στρατιώτην, ἐπέσκωψε δὲ ὡς στρατηγόν. Et ſanè Marcellus loci
ſpeculandi caſtris egreſſus, & hoſtilibus inſidiis deinde circumuē-
tus, nec pro ætate (maior iam enim LX. annis erat) neque pro vete-
ris prudentia ducis tam improuidè ſe collegámque & prope totam
6 lib. 7. decad. 3. Rempub. in præceps dederat, vt ſcribit Liuius 6. φρονίμου γάρ ἐστιν
ἄρχοντος (vt ait Xenophon) καὶ τὸ μήποτε κινδυνεύειν ἑκόντα, πλὴν ὅπου
7 in Hipparchico. ἂν πρόδηλον ᾖ ὅτι πλεῖον ἕξει τῶν πολεμίων. (*Prudētis ducis non eſt vltro
vnquam periclitari, niſi vbi perſpicuum ſit ſe hoſtibus eſſe potiorem.*) Va-
rum adeò temporibus Augusti grauem & bonæ voluntatis virum,
magis Imperatoris defectum cōſilio, quàm virtute diſtitutum mi-
litum,



litum, ſe magnificentiſſimúmque perdidiſſe exercitum Paterculus 1 1 volum. 2.
tradit. Denique alia eſt atque alia virtus Imperatoris & militis. A-
liud Imperatoris officium, aliud militis munus. Ille bene ac pru-
denter imperare, hic lubenter & cum animi quadam alacritate ſtu-
dióque parêre debet. Hoc facile atque ab innumeris, illud difficil-
limo negotio atque à perpaucis præſtari poteſt. Itaque laudat no-
ſter Plutarchus Æmilii Pauli factum, qui (cùm Imperator in Mace-
doniam veniſſet) id tantùm operam dare milites iuſſit, vt ſinguli
promptas & paratas manus, gladióſque præacutos & bene ſecantes
haberent: reliqua ſibi curæ futura eſſe dixit. Optimi auctoris hæc
verba ſunt 2: διὸ καὶ Παῦλον Αἰμίλιον λέγουσι τὴν ἐν Μακεδονίᾳ δύνα- 2 in Galba vita ſub initium.
μιν παραλαβόντα λαλιᾶς καὶ περιεργίας οἷον διαστρατηγούντων ἀνάπλεων,
παρεγγυῆσαι τὴν χεῖρα ποιεῖν ἑτοίμην καὶ τὴν μάχαιραν ὀξεῖαν ἕκαστον, αὐ-
τῷ δὲ τῶν ἄλλων μελήσειν. Antonius quoque dux Flauiani exercitus a-
pud Tacitum 3, cùm milites Cremonam expugnare cuperent, qua- 3 lib. 19. ann.
terénque arma rapturi imperium ni ducerentur, optima ratione,
veréque dixiſſe fertur: Diuiſa inter exercitum ducéſque munia, mi-
litibus cupidinem pugnandi conuenire, duces prouidendo, conſul
tando, conctatione ſæpius, quàm temeritate prodeſſe: vt pro virili
portione armis ac manu victoriam iuuerit, ratione & conſilio pro
priis ducis artibus profuturum. Ac de virtute quidem particulari,
quæ ἀνδρεία & ἀρετή, *fortitudo & virtus* nominatur, & τῇ δειλίᾳ καὶ μα-
λακίᾳ, *timiditati & ignauiæ* opponitur, ſatis ſupérque diſputatum
fuit: vt verear ne longiorem aliquis orationem faſtidierit, atque re-
ſpuerit: quæ tamen, ſi cum magnitudine vtilitatis comparetur, for-
taſſis etiam breuior videbitur. Nam περὶ πολιτικῆς ἀρετῆς, *de virtute
ciuili*, quam τῆς ἐν ἔργοις ἀρετῆς, *virtutis in rebus gerendis*, ab Herodia-
no 4 appellatæ, ſpeciem alteram eſſe arbitror, plenè ac luculenter a- 4 lib. 2. hiſt.
lio loco 5 diſſeruimus. At περὶ ἀρετῆς, *de virtute*, hoc eſt recta ratione: 5 in append. ad commentar. de regu. iuris.
cui contraria eſt κακία, quam Cicero 6 vitioſitatem, Seneca 7 mali-
tiam interpretatur, Græci πονηρίαν quoque & μοχθηρίαν nominãt,
ſcribere hoc loco non inſtituimus. Pleni ſunt philoſophorum li- 6 lib. 4. Tuſ. quæſt.
bri, qui patent omnibus: profeſſorum ſcholæ nihil aliud perſonant.
Id potius, quod iſtis ignotum puto, quódque vel prudentiſſimum 7 epiſt. 31.
alioqui ſcholiaſtem fugit, nedum vt incautum lectorem ac aliud a-
gentem non falleret, ὥσπερ ἀπὸ τῶν τραγημάτων τὴν εὐωχίαν σεμνυνό-
μενος (*tanquam menſis ſecundis epulum ornaturus*) admonebo. Quem-
admodum in Plutarcho fecimus, ita in Themiſtio ἀρετῆς nomen
(quod deletum atque obliteratum ita eſt, vt nuſquam appareat) re-
ponendum videri, quo loco de Socrate loquitur. Ait enim illum in
carcere vinctum, nihil egiſſe, aut amicis ad ipſum viſentibus dixiſ-
ſe illiberaliter, demiſſo atque abiecto animo, ſed de vita & anima
philoſophatum, déque iis quæ apud inferos gererentur, qualia &
quanta virtutem eo loci bona & præmia, quæ itidem ibi vitioſita-
tem & malitiam ſupplicia expectarent diſſeruiſſe. Sed ipſa Themi-
ſtii 8 verba (vt in impreſſo eruditiſſimi viri Henrici Stephani libro 8 in oratione 2.
leguntur) exſcribamus: ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὅτε κατεδίκασαν αὐτοῦ Ἀθηναῖοι, οὐδ᾽ ὅτε

ἐν τῷ ξύλῳ ὢν οὐδὲν ἀγεννὲς ἢ ταπεινὸν ἔπραξεν, ἢ εἶπε πρὸς τοὺς ἑταίρους τοὺς εἰς τὸ δεσμωτήριον συνιόντας· ἀλλὰ περὶ ψυχῆς ἐφιλοσόφει, καὶ περὶ τῶν ἐν ᾅδου ἐξηγεῖτο, ὁπόσα μὲν ἀγαθὰ ἐκεῖ περιμένει, ὁπόσα δὲ κακίαν τιμωρήματα καὶ κολαστήρια. Mancum & mutilum eſſe ſermonis huius extremum agnoſcent ſtatim, vt pronunciatum audierint, qui tereteis ac delicatas aureis habent, quíque in veterum Græcorum lectione vel mediocriter exercitati ſunt: nam cùm ὁπόσα μὲν ἀγαθὰ ἐκεῖ περιμένει, *quot quantáque bona ibi expectent*, ſi ad Socratem referantur, ſupplendum ſit neceſſariò relatiuum hoc αὐτὸν, *ipſum*, & περιέμενεν *expectaſſet*, legendum, non περιμένει, *expectat*. tum verò, quòd in ſecundo membro κακίαν *vitioſitatem*, legatur, ex eo ſi non veram, veriſimilem quidem certè coniecturam & minimè aſpernandam facio, aliquid in priore membro inſerendum & agglutinandũ eſſe, quod τῇ κακίᾳ *vitioſitati* opponatur atque reſpondeat. Igitur ἀρετὴν *virtutem* reſtituo, legóque ita: ὁπόσα μὲν ἀρετὴν ἀγαθὰ ἐκεῖ περιμένει, ὁπόσα δὲ κακίαν τιμωρήματα καὶ κολαστήρια. (*Quot quantáque virtutem bona at vitioſitatem pœnæ & ſupplicia expectarent.*) Quorum verborũ ſententiam modò Latinam fecimus, eſſe verò adeò perſpicuam exiſtimamus, vt ipſa ſe tueri apud omnes, eruditis autem & æquis iudicibus probare poſſit.

---

*Litis cauſa abeſſe. Defenſa vetus lectio apud Vlpianum, itémque duobus apud Ciceronem locis. Obſeruare, curare, colere, obſequi. Defenſa vetus & item noua locis aliquot reſtituta ex libro veteri apud Cæſarẽ lectio. Quintiliani locus expoſitus, vulgata lectione defenſa. Priuati ludi & Iuuenales. Publicum à priuato ſpectaculum quî diſcernitur. Attelani thymelici xyſtici, &c. vt non infames, ita notati & viles non admittuntur ad honores. Expoſita l. 1. C. de dignitat. lib. XII. conciliata l. 4. C. de ſpectacul. lib. XI. cum initio l. 4. D. de iis qui notant. infam. & prolato Tertulliani teſtimonio, in quo multa menda caſtigantur.*

## CAP. XX.

PRæclarè de re literaria illos mereri ſemper exiſtimaui, qui in caſtigandis veterum auctorum libris operam ponerent: ſunt verò aut fuerunt hac ætate in Gallia, Germania & Italia complures eruditi viri, ſummo Dei opt. max. beneficio ad reſtaurandam illorum intermortuam & prope ſepultam dignitatem velut è cælo demiſſi: quorum exemplo nos quoque ſedulò in idem ſtudium, ſi quando vacat incumbimus. Sed quod aut felicitate, aut ingenii bonitate atque induſtria nonnulli eorum ab aliis facilè ſuperabantur, haud peræquè omnibus laborem ſtudiúmque ſuũ ſucceſſiſſe pridem ipſi deprehendimus: id quod is quoque perſpiciet ac reipſa experietur, qui coniecturas illorum non leuiter & ſummis tanquam digitis attingere, ſed frequenti cogitatione, vt ait Seneca, pertractare, animóque attentiſſimo verſare voluerit: quod

qui



qui faciet, qui (vt veterem & aliquot iam ſeculis receptam, labaſcẽtem tamen lectionem aliqua ratione fulciat) aduerſus tantorum virorum auctoritatem depugnabit & vincet: non minore virtute ac ſolertia præditum eum eſſe oportere, nec minorem ei gratiam aut gloriam, quàm illis quos antè diximus, debitum iri arbitror. Quamobrem in eo militiæ genere lubenter ipſe me, tanquam arx aliqua tenenda ſit, interdum exerceo: quanto autem literarum bono id faciam, ex iis quæ nunc iam proponentur iudicari volo.

Vlpianus id Edictum [1] explicans, quo Prætor ei, & aduerſus eum qui ſine dolo malo Reipub. cauſa abſuit, ita ſuccurrit: vt ne vel obſit vel proſit ei, quod interim euenit: & Reipub. cauſa ſolos eos abeſſe, qui non ſui commodi cauſa, ſed coacti abſunt [2]: dolo malo autem abeſſe Reipub. cauſa intelligens eum, qui alicuius commodi captandi gratia id egerit, vt Reipub. cauſa abeſſet [3]. Hæc verba ſtatim ſubiicit: Sed & qui data opera, & ſine lucro hoc affectauit, vel qui maturiùs profectus eſt, vel qui litis gratia cœpit Reipub. cauſa abeſſe. Hunc igitur ait abeſſe dolo malo, non tantùm qui lucri faciendi cauſa, ſed & qui nulla ſpe commodi cuiuſquam propoſita, id egit: operámque dedit, vt abeſſet: itémque illum qui maturiùs & celeriùs profectus eſt, non videri Reipub. cauſa abeſſe ſine dolo malo: ac multo magis eum, qui litis euitandæ gratia id affectauit, vt Reipub. cauſa peregrè mitteretur: itaque non ſine detrectatione abeſſe inciperet: nihil enim commentum hoc abſentiæ illius ad auxilium reſtitutionis in integrum à Prætore obtinendum ei prodeſſe: qua ratione cum lege Iulia de adulteriis cautum ſit, ne quis inter reos referat eum, qui tunc Reipub. cauſa aberit: quòd æquum non ſit viſum, abſentem Reipub. cauſa inter reos referri, dum Reipub. operatur: neceſſariò adiectum in lege verbum hoc, Sine detrectatione, noſter Vlpianus tradit [4]: quia ſi quis euitandi criminis id egerit (ſic enim ex P. Florentinis legimus, vt cauſa vel gratia intelligatur more Græco, quem alij [5] pridem notarunt, non exprimatur) vt Reipub. cauſa abeſſet, nihil illi commentum hoc proficiet: quo nihil clarius demonſtrari poteſt. Sic igitur apud Vlpianum interpretamur, Litis gratia abeſſe Reipub. cauſa, vt apud Paulum [6], litis cauſa hæredem inſtitui, at apud Impp. Seuerum & Antoninũ litis cauſa militiam appetere in illo loco [7]: Non autem ignoratis eos qui litis cauſa militiam appetierũt, poſtulantibus aduerſariis, ſolui ſacramento ſolere: quod loquendi genus à Græcis fluxit, ex quorum aliqua peruetuſta lege Lyſias, ſi bene memini, hæc verba refert alicubi [8]: δίκης ἕνεκα δρασκάζειν. Apud Demoſthenem quoque, δίκης ἕνεκα ἀπεῖναι, litis gratia abeſſe legimus: vbi eum qui litis gratia militauerit, non modò cum detrectatione, dolóque malo abeſſe Reipub. cauſa, vt loquũtur noſtri, ſed omnino Reipub. cauſa nõ abeſſe ſubindicat, & verum eſt. Sed verba clariſſimi oratoris lubet appingere [9]: ἐπειδὴ δὲ ἐκάλει ὁ ἄρχων εἰς τὸ δικαστήριον ἅπαντας τοὺς ἀμφισβητοῦντας κατὰ τὸν νόμον, ὑπωμοσάμεθα ἡμεῖς τουτονὶ Ὀλυμπιόδωρον δημοσίᾳ ἀπεῖναι στρατευόμενον. ὑπομοσθέντος δὲ τούτου, ἀνθυπωμόσαντο οἱ ἀντίδικοι, ὡς δια-

1 Ex quibus cauſ. maiores in integ. reſtit.
2 L. reipublicæ. D. ex quib. cauſ. maior.
3 l. non verè. D. ex quib. cau. maiores.
4 l. ſi maritus. 15. §. legis Iuliæ. D. ad leg. Iul. de adulter.
5 Antonius Auguſtinus in emendat. & opinion. libris. poſt Priſcianum lib. 18.
6 l. penult. D. de hæred. inſtit.
7 l. 1. C. Qui militare poſſ. lib. 12.
8 in orationibus.
9 ἐν τῷ κατ' Ὀλυμπιοδώρου βλάβης λόγῳ.

βάλλοντες Ὀλυμπιόδωρον τουτονὶ, ὕστερον ἡμῶν λέγοντες, ἔπεισαν τοὺς δικαστὰς ψηφίσασθαι, τῆς δίκης ἕνεκα ἀπεῖναι τουτονὶ, καὶ οὐ δημοσίᾳ. (*Poſtquam Iudicij præſes ad tribunal omnes ex iure litigantes acciuit, nos iureiurando interpoſito Reip. cauſa, militantem abeſſe, huncce Olympiodorum excuſauimus. Quo iuramento præſtito, contra iurarunt aduerſarij, & Olympiodorum ſunt calumniati, cúmque poſteriores verba feciſſent, iudicibus perſuaſerunt vt decernerent Olympiodorũ nõ Reipublicæ, ſed litis cauſà abeſſe*) & poſteà, ἤδη ἐκλιπεῖν τὴν ἀμφισβήτησιν αὐτὸν ἑκόντα, ὅτε ἀπεδήμεις σύ. ἐπειδὴ καὶ ἡ σὴ διεγράφη δόξαντός σου ἕνεκα τῆς δίκης ἀπεῖναι καὶ οὐ δημοσίᾳ. (*Neque hanc litem deſeruiſſe eum vltro, cum peregrè tu abeſſes. Quandoquidem & tua quoque actio circum ducta eſt ex actíſque exemta, quod videretur te non publica ſed litis cauſa abeſſe.*) Quæ cùm ita ſint, quis non opinionem eorum [1] improbabit, qui Litis gratia, quo ſenſu ab Vlpiano dictum ſit adeo neſciunt, vt eius loco, Dicis gratia reſtituendum eſſe idcirco iudicent, quoniam in exſcribendo ſæpiſſimè librarios id verbum deprauaſſe ipſi aliíve [2] animaduerterint. Sed ſi quid obſcurum aut ignotum nobis eſt, non ideo tamen corruptum ac deprauatum ſtatim videri debet. Hoc tamen argumento ſane leuiſſimo commoueri quoſdam nimia forſitan eruditionis ſuæ opinione deluſos ſcimus, vt illa Ciceronis verba [3], Poſtea ſum cultus à te, tu à me obſeruatus in petitione quæſturæ (quæ ſine dubio Ciceroniana ſunt) pro ſuſpectis habeant: quoniam quid ſit Obſeruatus apud Ciceronem, non ſatis percipiunt: & in veteribus quibuſdam ſchidis Ouatus legitur. Itaque lubentius illi Ornatus, agnoſcerent (vt opinor) quòd Cicero ipſe quodam loco ſcripſerit [4], Semper te non modò tuendum mihi, ſed etiam augendum atque ornandum putaui: vel forſitan Iouatus, quod eſt iuuatus, mallent: propterea quòd apud eundem auctorem alibi legitur [5]: Se à te poſtea defenſum in periculo capitis, adiutum in petitione Præturæ. itémque [6]: Nihil te mihi gratius facere poſſe, quàm ſi omnibus tuis opibus, omni ſtudio Lamiam in petitione iuueris: quod vt facias, vehementer te rogo. & ad Catonem [7]: Nam quod ais nulla re allici hominum mentes oportere ad magiſtratum mandandum niſi dignitate, hoc tu ipſe, in quo ſumma eſt dignitas, non ſeruas. Cur enim quemquam vt ſtudeat tibi, vt te adiuuet rogas? Veruntamen cùm latiùs nonnunquam protendatur, vt aliorum complurium, ita huius quoque verbi vis & facultas, & adeo quidem vt non modò parentes à liberis, ſed liberi quoque à parentibus Latino & Iuriſconſultis familiari ſermone obſeruari dicantur [8], hoc eſt coli ac diligi: tum verò duarum Obſeruandi ſignificationum, quas vetuſtiſſimus interpres Aſconius alio ad Ciceronem loco [9] attulit, vt vel ſpeculari ſit vel venerari, poſteriorem ei de quo agimus optimè cõuenire quis nõ videt? vt obſeruare ſit venerari, officiis proſequi, demereri, atque hac ratione adiuuare candidatos: quo ſenſu Cæſar ſubleuare dixit, vbi de Lentulo [10]: Cæſaríſque (inquit) in ſe beneficia exponit quæ erant maxima, quòd per eum in collegium Pontificum venerat, quòd prouinciam Hiſpaniam ex Prætura habuerat,

quòd

1 *Duarenus ad. l. iuriſgẽtium. §. Do-lo malo. D. de pactis & cap. 47. lib. 1. diſputat. anniuerſar. & Vertranius Maurus ad lib. 5. Varronis de lingua Latina.*

2 *Antonius Auguſtinus lib. 2. emendat. cap. 2. Victorius cap. 24. li. 8. variar. lect. Vide Cuiacium ca. 43. li. 5. obſerua. & Pithœũ cap. 8. lib. 2. aduerſar.*

3 *ex Philip. 2.*

4 *epiſt. 17. li. 7. famil. epiſt. ad Trebatium.*

5 *in oratione pro Milone.*

6 *epiſt. 17. Lamia vno. lib. 11 familiar. epiſt.*

7 *in oratione pro Muræna*

8 *l. quidam cum filium. 132. de verbor. obligation.*

9 *in 2. orat. contra Verrem. vide Donatum quoque in Terentium in prologo Heautontimor.*

10 *lib. 1. de bello ciuili.*



quòd in petitione Conſulatus ab eo erat ſubleuatus. Reuera enim adiuuabant & ſubleuabant candidatos ij, qui eos obſeruabant: qui quòd erant tenuiores, plerumque ideo aſſectatorum, deductorum, & comitum officio fungebantur: nec ſolùm candidatos, ſed & oratores & magiſtratus quoque hoc obſeruantiæ genere proſequebantur, vt ipſius Ciceronis & item Taciti teſtimoniis locupletiſſimis confirmare poſſum. Multi, ait [1], obuiam prodierunt de prouincia decedenti, conſulatum petenti. Solet fieri, &c. &, Quid habet admirationis tali viro aduenienti, candidato, conſulari obuiam prodiſſe multos, quod ni eſſet factum, magis mirandum videretur: quid ſi etiam illud addam quod à conſuetudine non abhorret, rogatos eſſe multos? &c. &, Homines tenues vnum habent in noſtrum ordinem aut promerendi, aut proferendi beneficij locum, hanc in noſtris petitionibus operam atque aſſectationem. Neque enim fieri poteſt, neque poſtulandum eſt à nobis aut ab equitibus Romanis, vt ſuos neceſſarios candidatos ſectentur totos dies, à quibus ſi domus noſtra celebratur, ſi interdum ad forum deducimur, ſi vno baſilicæ ſpatio honeſtamur, diligenter obſeruari videmur & coli. Tenuiorum & non occupatorum amicorum eſt iſta aſſiduitas, quorum copia bonis & beneficis deeſſe non ſolet. & paulò poſt: Itaque & legi Fabiæ, quæ eſt de numero ſectatorum, & S. Conſulto, quod eſt L. Cæſare Conſule factum, reſtiterunt. Nulla eſt enim pœna, quæ poſſit obſeruantiam tenuiorum ab hoc vetere inſtituto officiorum excludere. Idem Cicero ad Gallum [2]: Miror cur me accuſes, cùm tibi ad facere non liceat: quod ſi liceret, tamen non debebas. Ego enim te (inquit) in conſulatu obſeruaram. Itaque clientes, tribuléſve qui candidatos aut magiſtratus deducebant atque comitabantur, ij & obſeruare atque etiam obſequi dicebantur. Hoc quidem vocabulum ea ſignificatione apud Senecam & Marcellinum legere memini: Seneca [3] vbi de Druſo Libone maiora ſperante quàm ipſius ſeculo quiſquam ſperare poterat aut ipſe vllo, Quum æger (inquit) à Senatu in lectica relatus eſſet non ſane frequentibus obſequiis. ita nanque legendum non vt male quidam reponunt exequiis: & obſequiorum nomen ad clientes & neceſſarios, qui officij cauſa deducere ac proſequi potentiores in publicum ſolebant referendum cenſeo. itaque ſubiicit Seneca, Omnes enim neceſſarij deſeruerant impiè iam non reum ſed funus. At Marcellinus vbi de Leontio præfecto vrbi loquitur [4]. Illuc de induſtria pergens (ait) præfectus ab omni toga apparitionéque rogabatur enixiùs, ne in multitudinem ſe arrogantem immitteret, & minacem ex commotione priſtina ſæuientem, difficiliſque ad pauorem recti tetendit: adeo vt eum obſequentium pars deſereret, licet in periculum feſtinantem abruptũ. Obſequentes enim togatos, qui præfectum vrbi comitabantur, interpretor: quos Tacitus proſequi dixit in illo loco [5]: Quis Saleium noſtrum egregium poetam, vel ſi hoc honorificentius eſt, præclariſſimum vatem deducit, aut ſalutat, aut proſequitur? Idem Tacitus [6] de obſeruantia & veneratione, qua togati proſequebantur

1 *in Orat. pro Muræna.*

2 *epiſt. 27. lib. 7. familiar. epiſt.*

3 *epiſt. 71.*

4 *lib. 15. rer. geſt.*

5 *in li. de oratoribus.*

6 *in ſupra d. loco.*

*1 lib.1.de oratore.*
*2 li.6.cap.8.*

oratores & patronos, eóſque qui à Cicerone 1 ac Vitruuio 2 forenſes atque diſerti nominantur, ita ſcribit: Iam verò qui togatorum comitatus & egreſſus, quæ in publico ſpecies? quæ in iudiciis veneratio? quod gaudium conſurgendi, aſſiſtendíque inter tacentes in vnum conuerſos? &c. & paulò pòſt: Ac me deiungere à forenſi labore conſtitui, nec comitatus iſtos & egreſſus, aut frequentiam ſalutationum concupiſco. Sed ad cādidatos reuertamur. Hi (vti diximus) à vicinis, à libertis, à clientibus, itémque à tribulibus ſuis ſalutatione, deductione, aſſectatione, comitatu, ſimilíque officij genere obſeruari ſolebant. Imo etiam à coloniis & municipiis. Itaque de Iulio Cæſare, & M. Antonio loquens Hirtius ſiue Oppius: Hunc etſi augurem, inquit 3, prius factum, quàm Italiam attingeret in itinere audierat, tamen non minus iuſtam ſibi cauſam municipia & colonias adeundi exiſtimauit, vt iis gratias ageret, quòd frequentiam atque officium ſuum Antonio præſtitiſſent. de aſſectatione illa etenim & obſeruantia qua de agimus, eum locum exponendum credo. Sed & ipſi candidati obſeruare tribus dicebantur ἐν ταῖς δεξιώσεσι, *In prehenſationibus*, quòd illas cum ambitionis tempora poſtularent, prehenſabant, & plurimis officiis, interdum etiam aduerſus leges de ambitu latas turpi largitione demerebantur, ipſarúmque tribuum ſuffragia venabantur quodammodo ac deuinciebant ſibi. Vtrumque horum ex ipſo Cicerone addidici: cuius verba more meo proferam, vt ſtudioſo lectori (huius etenim, vt fit, voluntatem & ingeniū ex meo metior) quod poterit gratificer: Dubitatis, inquit 4, quin eas tribus, in quibus magnas neceſſitudines habet Plancius, cùm ille non ediderit, iudicarit officiis ab hoc obſeruatas non largitione? &, Noli enim putare Laterenſis legibus iſtis, quas ſenatus de ambitu ſancire voluerit, id eſſe actum, vt ſuffragatio, vt obſeruantia, vt gratia tolleretur, &c. quæ ſequūtur. & ſtatim: Neque hoc liberis noſtris intercidendū eſt, ne obſeruent tribules ſuos, ne diligant, ne reficere neceſſariis ſuis ſuam tribum poſſint, ne par ab his munus in ſua petitione reſpectent, vbi, vt id obiter dicam, verbū Reſpectandi elegantiſſimum, non modò in Expectandi mutandū eſt, vt ſcholiaſtes vir alioqui doctus innuit, ſed & agnoſcendum & retinendū, &, vt ita loquar, amplectendum eſt: quippe quod multò maiorem, quàm illud vim habet, hanc nimirum retro & vice mutua expectandi. Sequitur apud Ciceronem: Hæc enim plena ſunt officij, plena obſeruantiæ, plena etiam antiquitatis. & poſtea: Noli tollere ex ordine noſtro liberalitatem, noli maleficium putare eſſe gratiam, noli obſeruantiam ſancire pœna. Quinti quoque Ciceronis Marcum fratrem admonentis, vt in petitione Conſulatus gerere ſe debeat, hæc ferè verba ſunt 5: quibus vt obſeruari ſolerent candidati, planè ac perſpicuè declarari puto. Et quoniam aſſectationis (inquit) mentio facta eſt, id quoque curandum eſt, vt quotidiana cuiuſque generis & ordinis & ætatis vtare: nam ex ea ipſa

*3 lib.8. de bello Gallico in commentar. Cæſaris.*
*4 in oratione pro Cn. Plācio.*
*5 in libello de petitione conſulatus.*



ipſa copia coniectura fieri poterit, quantum ſis in ipſo campo virium ac facultatis habiturus. Huius autem rei tres partes ſunt vna ſalutatorum cùm domum veniunt, altera deductorum, tertia aſſectatorum. Deinde adiicit Quintus, maius eſſe deductorū quàm ſalutatorum officium. Hi autem omnes ac multo magis aſſectatores ſiue comites vt Obſeruare Latino vocabulo, quod nobis Gallicè loquentibus erit *courtizer, ou faire la court*: ita θεραπεύειν à Græcis auctoribus dicebantur: ex quibus & Thucydidem 1 & Dionem 2 mitto, Plutarchum lubet aſſumere. Is ait 3 Ciceronem circa palatium habitaſſe, conceſſis fratri ſuo paternis ædibus: quò ſalutatores quotidiani (à quibus obſeruabatur & in his à Pompeio) minus laboris ac moleſtiæ caperent: id quod his verbis tradit: οἰκίαν δὲ τὴν μὲν πατρῴαν τῷ ἀδελφῷ παρεχώρησεν, αὐτὸς δ' ᾤκει περὶ τὸ παλάτιον, ὑπὲρ τοῦ μὴ μακρὰν βαδίζοντας ἐνοχλεῖσθαι τοὺς θεραπεύοντας αὐτόν. ἐθεράπευον δὲ καθημέραν ἐπὶ θύρας φοιτῶντες, &c. Πομπήϊος δὲ καὶ Κικέρωνα ἐθεράπευε. Similiter quòd tribus à candidatis magiſtratum ambientibus obſeruari ſolitas ex Cicerone docuimus, id Plutarchus idem ὄχλον ἀλίσκεσθαι, καὶ θεραπεύεσθαι. (*Populum prehenſare & obſeruare*) quodam loco 4 dixit: vbi ſic eſt: ποιούμενος τὰς δεξιώσεις, μήτε τοὺς φίλους ἐάσας, οἷς ὄχλος ἁλίσκεται καὶ θεραπεύεται, ποιεῖν, ἀπέτυχε τῆς ἀρχῆς. (*Ipſemet prehenſationibus dedit operam neque permiſit amicos populum prehenſare vel obſeruare, ſic repulſam à conſulatu eſt paſſus.*) Græco autem iſti vocabulo cùm Latinum curandi verbum omnino reſpondeat, eadem quoque ſignificatione qua θεραπεύειν diximus, à Plinio vſurpatur 5, vbi de quodam Regulo: Eſt enim locuples (inquit) factioſus, curatur à multis, timetur à pluribus, quod plerunque amore eſt fortius. Id verò ſic apud Iabolenum 6 etiam Iuriſconſultum accipi debere ſentio, quod ab interpretibus animaduerſum non fuit: & inſuper alio Latino itidem vocabulo dici Colere. Seneca 7: Quemadmodum (ait) non placet ſibi ſi illum mendicus coluerit, nec contumeliam iudicabit, ſi illi homo plebis vltimæ ſalutanti mutuam ſalutationem non reddiderit. Suetonius 8: Poſt patris deinde mortem, libertinam aulicam, gratioſam, quò efficaciùs coleret, etiam diligere ſimulauit, quamuis anum, ac pene decrepitam: vbi, Quo efficaciùs coleret, ita equidem interpretor, ne fruſtra obſeruaret, ſed pro ſui obſequij præmio vel honores, vel aliud quidpiam conſequeretur. Atque ita forſitan eo in Ciceronis loco ex quo diſputationis huius initium fecimus, id verbi exponi debet: Poſteà ſum cultus à te, tu à me obſeruatus, &c. Hæc omnino ſunt, quæ de poſteriore Obſeruandi ſignificatione ab Aſconio relata dicere ad illum Marci Tullij locum omni ratione fulciendum ac ſtabiliendum oportuit. Nam ad priorem, Speculandi ſcilicet (quod τηρεῖν παρατηρεῖν & ἐπιτηρεῖν Græci 9 vocant, & φυλάττειν quoque 10 Thucydides) illud Quinti fratris verbum pertinere conſtat, vbi de candidatis

*1 lib. 6. hiſt.*
*2 lib.38. & 45.*
*6 in vita Ciceronis.*
*4 in Catone Vticenſi.*
*5 li.1.epiſtol.*
*6 l. vtrum. 107. in fi. D. de verb. obligat.*
*7 lib. 2. de trāquil. vitæ ca.13. & de breuit. vitæ cap.2.*
*8 in Othone cap.2.*
*9 Thucydid. li.1.4. & 8. Dio lib.42. & 43. & alibi ſæpe.*
*10 li. 6. hiſto. 7. & 8.*

etiam loquitur:Fac vt te bene noris:id eſt,vt intelligas eum eſſe te,
qui iudicij ac periculi metum maximum competitoribus afferre
poſſis:fac vt ſe abs te cuſtodiri atque obſeruari ſciant:cùm diligen-
tiam tuam tum auctoritatem vimque dicendi,tum profectò eque-
ſtris ordinis erga te ſtudium pertimeſcent. Eadémque ſignificatio-
ne hoc noſtrum Obſeruandi verbum ex veteri meo codice apud
*1 lib.1.commentar de bello ciuili.* Cæſarem reſtitui oportere cenſeo, vbi, Veritus (ait[1]) ne militum
introitu & nocturni temporis licentia oppidum diriperetur, eos
qui venerant collaudat,atque in oppidum dimittit, portas muróſ-
que obſeruari iubet. & ſtatim: Tribunos militum & præfectos cir-
cummittit,atque hortatur non ſolùm vt ab eruptionibus caueant,
ſed etiam ſingulorum hominum occultos exitus obſeruent.In im-
preſſis libris vt non malè Aſſeruari,ſic Aſſeruent peſſimè profectò
legitur.

Sed quando Ciceroni eloquentiæ parenti ac principi auxilium
tulimus, & verò Cæſarem ab illo ſecundum adiuuare cœpimus,
pergamus porrò ipſúmque à correctorum(penè dixi corruptorum)
temerariis aliquot ictibus vindicemus. Eius de Arari hæc verba
*2 li.1.cōmēt. de bello Gallico ſub initium.* ſunt[2]:Flumen eſt Arar,quod per fines Heduorum & Sequanorum
in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita vt oculis in vtrã par-
tem fluat,iudicari non poſſit. Quæ non modò in omnibus impreſ-
ſis,verum etiam in meo vetuſtiſſimo & optimo libro extant:à quo-
dam tamen erudito ſcholiaſte,qui variarum lectionum libellum ad
Cæſarem excudi & peruulgari non ita pridem curauit, adeò con-
curritur(ſi diis placet)oppugnatúrque integerrima lectio, vt eã niſi
quis fulcierit,ſtatim ruituram exiſtimes. Ait non lenitate legendũ,
ſed leuitate:quoniam nihil minus quàm lenitas Arari congruere vi
deatur,nimia leuitate fieri aliquando poſſit,vt viſus fallatur: & a-
pud Lucretiũ leuitatis nomen ea ſignificatione poſitum reperia-
tur. At ſcholiaſtem illum nec Ararim vidiſſe, nec in Gallia vn-
quam fuiſſe deierauero.Quis enim neſcit,niſi fortè Parthus aliquis
qui nunquam Ararim biberit,ſegnem,tardum,lentum, & lenem il
lum eſſe,ac tum maximè talẽ videri,cùm Iſaræ,Druentiæ,aut ei qui
*3 lib.3.ca.4.* vicinior eſt,& in quem influit Rhodano cõparetur? Plinius[3] qui-
dem ſic ſcribit: Rhodanus fluuius ex Alpibus ſe rapiens per Le-
manum lacum,ſegnémque deferens Ararim,nec minus ſe ipſo tor-
rentem Iſaram & Druentiam. eodémque pertinet illud Clau-
*4 ex li.2.de Ruffino.* diani[4]:

*Inde truces flauo comitantur vertice Galli,*
*Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit.*

*5 ex Panegy. in conſulat. Manlij Theodori.* itémque illud eiuſdem poetæ[5]:

*Diuerſóque tuas coluerunt vertice voces*
*Lentus Arar, Rhodanúſque celer, & diues Iberus.*

Tum verò quis aliqua ratione aut aliquo ſenſu præditus, non ſta-
tim dicet, vt oculis in vtram partem aqua fluat iudicari non poſ-
ſit, hoc non celeritate ipſius aut leuitate,ſed ſegnitie potius ac le-
nitate fieri? Equidem ita ſentio: qui & alio apud ipſum Cæſarem
loco



loco[1] (ad quem veluti ſcopulum plerique omnes impingere atque *1.lib.5.comment.de bello Gall.*
adhæreſcere ſolent) vetuſtiſſimi mei libri auctoritate fretus, veram
& germanam lectionem repono. Nam cùm ita paſſim ſcriptum ſit:
Omnes verò ſe Britanni gladio inficiunt, quod cæruleum efficit
colorem:neque ita legendum, neque reſtituendum eſt ex Florenti-
no codice,vltro glaſto inficiunt, vt rectè Pet. Victorius Italorũ do-
ctiſſimus notat[2],qui non glaſto in veteribus exemplaribus, ſed vl- *2 lib.19.variar.lect.c.3.*
tro vt apud Pomponium Melam legi teſtatur: neque verò immu-
tandum Vltro in Luteo, vt ille de quo nunc agebam ſcholiaſtes o-
ptimè vidit:qui tamen in eo valde hallucinatus eſt, quòd pro Gla-
ſto,reponendum Glauco. & illa, Quod cæruleum efficit colorem,
tanquam ſpuria,& à ſtudioſo quodam interprete adiecta, obliterã-
da eſſe coniicit. Quid igitur? Ex nitri flore & arena contuſis & æri
Cyprio miſtis cæruleum colorem temperari Vitruuius[3] auctor eſt. *3 lib.7.c.11.*
Ex quo facilè perſpicitur, illius mei clariſſimis literis perſcripti li-
bri omnino integram & incorruptam eſſe lectionem, quam ex ſuo
itidem vetuſto codice doctor meus antè protulerat[4]:neque ambigi *4 Cuiac. c. 11.lib.5. obſeruat.*
amplius oportere (licet de vitro herba, quæ Iſatis dicitur, potius
quàm de nitro locutum Cæſarẽ Turnebus quodam loco cenſeat[5])
quin ita Cæſar ſcripſerit: Omnes verò ſe Britanni nitro inficiunt, *5 cap.17.lib.6.aduerſar.*
quod cæruleum efficit colorem.Silurum profectò in Britannia co-
loratos vultus, & tortos plerunque crines fuiſſe Tacitus[6] tradit. *6 in Agricola.*
Britannos Lucanus ad crinium & barbæ colorem aſpiciens, flauos
nominat,vbi ſic ait[7]:

*--celſos vt Gallia currus* *7 lib.3.*
*Nobilis & flauis ſequeretur miſta Britannis.*

Eſt etiam apud Quintilianum[8] locus vnus, qui cùm in diſcrimen *8 lib.3.Inſt.orator.c.6.*
& periculum haud exiguum ab eruditiſſimo Iuriſconſulto familia
ri meo adductus ſit,opem atque auxilium noſtrum implorat:vti ne
inuito &(quod caput eſt)ſano ac bene valenti audacẽ potius quàm
artificem medicámve manum adhiberi ſinam. Cùm enim ita ſcri-
ptum ſit in omnibus libris:Qui artem ludicram exercuerit,in qua-
tuordecim primis ordinibus ne ſedeat: Qui ſe Prætori in hortis o-
ſtenderat,neque erat productus,ſedit in xi v.ordinibus.Nempe in-
tentio eſt,Artem ludicram exercuiſti.Depulſio,Non exercui artem
ludicram. Quæſtio,quid ſit artem ludicram exercere. Ille amicus
meus verba hæc,Prætori in hortis,corrupta eſſe autumat:& conie-
cturam probat, quam octo anni ſunt aut eo amplius, cùm ipſi ego
in familiari ac domeſtico ſermone indicaram: quemadmodum in-
ter amicos eoſdémque literarum amatores fieri aſſolet,vt quidquid
in buccam venerit de literis ſuauiter garriant, quod tamen effutitũ
& publicatum nolint. Dixeram igitur apud Quintilianum,pro Præ
tori legendum videri P.R.id eſt populo Romano. Adiecit ipſe[9] (vt *9 libr.2. aduerſar.ſubſeciuor.ca.17.*
error ex errore gignitur) pro, in hortis, reponendum in orchiſtra:
propterea quòd apud Auſonium quoque hoc illius vice verbum ex
veteribus libris reſtitutum fuerit. Veruntamen vt vera & integra
eſt vulgata lectio,ſic planam (niſi fallor) & perſpicuam ſententiam

continet. Nanque ita cenſeo, verbum Produci hanc plerunque vim habere, vt foras in publicum prodire, & (vt Cicero[1] loquitur) in proſpectum populi produci ſignificet, quod & in publicum produci Cæſar [2] quodam loco inquit: eóque verbo Suetonius vtitur, vbi ſic ſcribit[3]: In circo aurigas curſoréſque & confectores ferarum, & nõ nunquam ex nobiliſſima iuuentute produxit: & Hieronymus aduerſus Pelagianos [4]: Diuerſis (inquit) teſtimoniis ſcripturarum eandem quæſtionem teris in theatrales præſtigias, quæ vnum eundémque hominem, perſonatum varietate mutata, in Martem Venerémque producunt: vt qui priùs rigidus & truculentus inceſſerat, poſtea ſoluatur in mollitiem fœminarum: ideóque producti dicuntur ſcenici mimi & pantomimi, qui ludorum cauſa in theatrum & (vt eſt in edicto Prætoris [5]) qui artis ludicræ pronuntiandíve cauſa in ſcenam prodeunt[6]. Igitur hanc à Quintiliano quæſtionem propoſitam fuiſſe autumo, vtrùm is qui non eſſet productus, qui in publicum non prodiiſſet, quo loco paſſim homines (vt Iuriſcõſultus ait[7]) ſpectaculi cauſa admittantur, ſed in hortis tantummodò & priuatis ſpectaculis operam inter ſcenicos dediſſet, lege theatrali, aut Senatuſconſulto circa illam Auguſti temporibus facto, teneretur: quaſi artem ludicram exercuiſſet, etiam ſi nondum ſe publicaſſet, nondum ſe vniuerſorum oculis præbuiſſet, ſed Prætore forſitan pretiũ offerente copiam ſui feciſſet, eíque ſe in hortis & priuatis ſpectaculis oſtendiſſet. Opponuntur horti publico. Itaque Pamphilippus quidam apud Plautum[8]:

*Non metuo,* inquit, *per hortum tranſibo, non prodibo in publicum.* Vt verò publicos ludos curabat Prætor, vnde ludorum gratia prodire à Iuriſconſulto dicitur[9]: ita etiam priuata ſpectacula nonnunquam in conſpectu prætoris celebrata fuiſſe accepimus. Suetonius de Nerone: Non dubitauit etiam (inquit[10]) in priuatis ſpectaculis operam inter ſcenicos dare, quodam prætorum HS decies offerente. Illa eadem domi aut in hortis exhibebantur: quamobrem de ipſo Nerone Suetonius[11]: Flagitantibus, inquit, cunctis cæleſtem vocẽ, reſpondit quidem in hortis ſe copiam volentibus facturũ. & paulò pòſt: Mox & ipſe aurigare atque etiam ſpectari ſæpius voluit, poſitóque in hortis inter ſeruitia & ſordidam plebem rudimento, vniuerſorũ ſe oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappã vnde magiſtratus ſolent. Tacitus quoque optimus hiſtoriæ Romanæ auctor, de ipſo Nerone ſic ſcribit[12]: C. Lexanio M. Licinio Coſs. acriore in dies cupidine adigebatur Nero, promiſcuas ſcenas frequentandi: nam adhuc per domum aut hortos cecinerat Iuuenalibus ludis: quos vt parum celebres & tãtæ voci anguſtos ſpernebat: vbi animaduertendum eſt, Iuuenales ludos priuatos fuiſſe, atque adeò publico theatro velut aduerſos opponi ab ipſo Tacito, cũ ait[13]: Ne tamen adhuc publico theatro dehoneſtaretur, inſtituit ludos Iuuenalium vocabulo, in quos paſſim nomina data. Iuuenalibus enim, vt eſt apud Suetonium[14], Nero ſenes quoque conſulares, anúſque matronas recepit ad luſum. Iuuenalium verò ac Priuatorum

ludorum

1 libr. 3. in Verrem.
2 lib. 1. comment. de bel. ciuili.
3 in Octauio cap. 43. vide & in Nerone cap. 4.
4 lib. 3 adu. Pelagian.
5 de iis qui notantur infamia.
6 vide Briſſoniumnoſtrũ libr. 14. de verb. ſignif. vbi alios his omiſſis locos indicat.
7 l. 2. §. vlt. D. de iis qui not. infam.
8 in Sticho act. 4. ſc. 2.
9 l. non eſt. 7. D. de manu miſ. vind. facit l. 1. C. de pretorib. li. XII. Plutarchus in Bruto. Dio li. 48 54. & 55.
10 in Nerone cap. 21.
11 in Nerone cap. 21.
12 lib. 15. annal.
13 lib. 14. annal.
14 in Nerone cap. 12.



ludorum Sidonius meminit in Narbone his verſibus 1:

*Ianus forte ſuas bifrons Kalendas*
*Anni tempora circinante Phœbo*
*Sumendas referebat ad curuleis,*
*Mos eſt Cæſaris hîc die bis vno*
*Priuatos vocitant parare ludos:*
*Tunc cœtus iuuenum, ſed aulicorum*
*Elei ſimulachra torua campi*
*Exercet, ſpatiantibus quadrigis.* & paulo pòſt:
*Iam verò Iuuenalibus peractis,*
*Quem te præbueris ſequente in æuo*
*Intra aulam ſoceri mei expetitus,* &c.

Ad priuatos ludos illud etiam pertinet, quod de Heliogabalo Imperatore Lampridius memorat 2 in hæc verba: Quadrigas Circenſium in tricliniis & in porticibus ſibi ſemper exhibuit, pranſitans & cœnitans, &c. Item: Inde itum eſt in hortos, vbi varius inuenitur certamen aurigandi parans. Cæterùm, vt vrbanum aut ruſticũ prædium, itémque familia non loco, ſed materia, genere, opere & genere vſus à Iuriſconſultis omnibus, excepto Neratio, diſtinguebantur[3]: ita non loco, ſed ſpectatorum raritate aut frequentia, publicũ à priuato ſpectaculum diſcernebatur. Nam & in circo ſiue hippodromo (qui locus erat publicus, ὅπου μάλιστα, vt eſt apud Herodianum 4, τὸ πλῆθος συνιὸν ἐκκλησιάζει (*quo potiſſimùm populus conueniẽs conciones habere ſolet.*) priuatum ſpectaculum nonnunquam fuiſſe celebratum, & in priuato loco paſſim homines ſpectandi cauſa potuiſſe admitti didicimus. Itaque Lampridius: Iunxiſſe etiam camelos, inquit 5, quaternos ad currus in Circo priuato ſpectaculo. Serpẽtes per Marſicæ gentis ſacerdotes collegiſſe fertur. & Vlpianus 6: Scena eſt, inquit, vt Labeo definit, quæ ludorum faciendorum cauſa quolibet loco, vbi quis cõſiſtat moueatúrque ſpectaculum ſui præbiturus, poſita ſit: in publico priuatóve vel in vico, quo tamen loco paſſim omnes ſpectaculi cauſa admittantur. Vbi etſi pleniùs accipi ſcenæ vocabulum videtur, attamen vt apud Tacitum 7 & Suetonium 8 non ad priuatam, & vt cum ipſo Tacito 9 loquar, domeſticam, ſed ad promiſcuam ſcenam theatrúmque publicum referri conuenit. Publico enim theatro & promiſcuo ſpectaculo non priuatæ ſcenæ qui operam exhiberet, apud Romanos fœdatum dehoneſtatum & ignominia notatum fuiſſe docet Æmilius Probus: In ſcenam verò prodire (inquit 10) & populo eſſe ſpectaculo, nemini in eiſdem gentibus (de Lacedæmoniis & Graiis loquitur) fuit turpitudini, quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honeſtate remota ponuntur: & Vlpianus noſter illis verbis innuit, quæ modò retulimus: Quo tamen loco (ait) paſſim omnes ſpectaculi cauſa admittantur. Ex quibus illud etiam colligo: quæſtioni à Quintiliano propoſitæ ita reſponderi poſſe: Eum qui prætori in hortis & priuatis ſpectaculis ſe oſtenderit, non vſque adeò videri artem ludicram exercuiſſe, vt in XIIII. ordinibus ſedendi ius non habeat,

1 carmine 23
2 in Heliogabalo.
3 l. quẽadmodũ. de ſupel. lega. l. vrbana. 1. & 2. D. de verb. ſignif. cum ſimilibus.
4 li. 2. hiſto.
5 in Heliogabalo.
6 l. 2. §. ait prætor. D. de iis qui not. infa.
7 lib. 14. annal. vbi de Nerone. Ratúſque dedecus amoliriſi plures fœdaſſet, nobilium familiarũ poſteros, egeſtate vænales in ſcenam deduxit, & Notos quoque equites Rom. operas arenæ promittere ſubegit donis ingentibus niſi quod merces ab eo qui iubere poteſt vim neceſſitatis adfert.
8 in Domitiano cap. 7. Interdixit hiſtrionibus ſcenam, intra domum quidem exercendi artem iure cõceſſo.
9 ſic loquitur Tacitus lib. 15.
10 in princip. libelli de vita Imperatorum.

quippe quem edicto prætoris de infamibus non apprehendi conſter. Cuius edicti verbis ita conceptis: Qui artis ludicrę, pronuntiãdíve cauſa in ſcenam prodierit, pantomimos atque hiſtriones non etiam Attellanos cõtineri verius eſt. Hoc enim genus ludorum ab Oſcis acceptum tenuit iuuentus, nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt, vt Liuius ſcribit [1]. Et verò Italica ſeueritate temperatum, idcóque vacuum nota fuiſſe, neque tribu moueri, neque à militaribus ſtipendiis repelli ſolitum Valerius Maximus auctor eſt [2]. Sanè Suetonius Attellanarum actorem Datum quendam & philoſophum, & eundem hiſtrionem καταχρηστικῶς alicubi [3] vocat, ſed ideo nihil de veteri more aut iure immutatum cenſuerim. Attellanis addendi ſunt athletæ, thymelici, xyſtici, agitatores, & qui aquã equis ſpargunt, cæteráque eorum miniſteria, qui certaminibus ſacris deſeruiũt, quos ignominioſos non haberi Vlpianus [4] ait. Hos autẽ omnes etſi, cùm infames non ſint, honores petere militiæ (vt verbo Menandri [5] vtar) ideſt ad militiam aſpirare, legíque atque in numeros recipi non prohibeantur, attamen quòd vilia iſta & ab honeſtate propemodum remota munia, miniſteriáque obeunt atque artificia profitentur, non vſque adeo vacuos nota & macula omni eſſe crediderim, vt ad alios equitum ſenatorúmve honores admitti debeãt: non magis quàm eos, qui ſunt ex vltimis negotiatoribus, vel monetariis, abiectíſque officiis, vel deformibus miniſteriis ſtationariis, omníque officiorum fæce, diuersíſque turpibus lucris paſcuntur: quos à dignitatibus repelli Theodoſius & Valentinianus Impp. pręcipiunt [6]. Ac de illis potius, quàm (quod Græci facere videntur interpretes) de iſtis exponendum reor, quod Conſtantinus [7] ait famoſis & notatis, & quos ſcelus vitæ aut turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis portas non patere: notatorum enim vocabulum ſi non ad athletas, quoniam & ipſis meritò coronatis tribui ciuilium munerum vacationẽ ſolere Diocleti. & Maximia. Impp. aiunt [8]: at certè ad quadrigarios ſiue agitatores, & Xyſticos, reliquáſque huiuſmodi viles humiléſque perſonas (quas Theodoſius Arcadius & Honorius Imppp. etiam inhoneſtas vocant [9], licet artem ludicram, auctore Vlpiano [10], non faciant, & ignominioſæ non habeantur) pertinere puto: de quibus etiam vt de ſcenicis & arenariis, Tertullianus loquitur, cùm ob vitæ turpitudinem eos à dignitatibus & honoribus arceri tradit [11]. Sed verba optimi auctoris, vt caſtigentur quæ deprauata ſunt, proferam. Etenim ipſi actores & adminiſtratores ſpectaculorum, quadrigarios, ſcenicos, Xyſticos, arenarios illos amentiſſimos, quibus viles animas fœminæ, vt illis etiam (ſic malo quàm quod eſt in vulgaris, amantiſſimos quibus viris animas fœminis aut illis etiam) corpora ſua ſubſternunt, propter quos in ea committunt, quæ (ſic lego non quia) reprehendunt ex eadem arte (ſic malo quàm parte) quam magnifaciant, deponunt, & deminuunt, immò manifeſtè damnant ignominia & capitis minutione: arcentes curia, roſtris, ſenatu, equite, cæteríſque honoribus omnibus ſimul & ornamentis quibuſdam. Quãta per-

1 li. 7. ab vrbe condita.
2 li. 2. cap. 1.
3 in Nerone cap. 39.
4 l. 4. in princip. D. de iis qui not. inf.
5 l. 4. §. ad tempus. D. de re milit.
6 l. nequis. 6. C. de dignitat. lib. 12.
7 l. 1. C. eod. tit.
8 l. 1. C. de athletis lib. 10.
9 l. 4. C. de ſpectacul. & ſcenic. lib. 11. vbi pantomimorum & hiſtrionũ, ſcenicorum ſcilicet, itémque agitatorum imagines honeſto loco, quo principũ ſtatuæ collocantur, poni prohibent Imppp. in aditu verò circi vel in theatri proſceniis collocari non vetant.
10 d. l. 4. in princip. D. de iis qui not. infa.
11 in lib. de ſpectaculis.



peruerſitas, Amant quos multant, depreciant quos probant. Artem magnificant, artificem notant. Quale iudicium eſt, vt ob ea quis offuſcetur per quæ promeretur? Imò quanta confeſſio eſt malæ rei, quarum (forſitã qua re vel qua tum) auctores cùm acceptiſſimi ſint, ſine nota non ſunt. Cùm igitur humana recordatio etiam obſtrepente gratia voluptatis damnandos eos cenſeat, ademptis bonis dignitatum in quendam ſcopulum famoſitatis, quanto magis diuina iuſtitia in eiuſmodi artifices animaduertit? Hactenus Tertullianus. Atque hoc quidem veteris iuris veſtigium, quoniam ab interpretibus iuris ciuilis obſeruatum non fuit, ipſe hoc loco indicatum, & adnotatum eſſe volui.

---

*De præſcriptione rei iudicatæ. Iuriſconſultorum formulæ quædam apud Ciceronem explicatæ. Scribere, præſcribere. De plurimorum Ciceronis locorum lectione diſputatum: itémque de lectione l. ait prætor. in princ. D. quæ in fraud. credit.*

## CAP. XXI.

PAulus ait [1], Singulis controuerſiis ſingulas actiones, vnúmque iudicati finem ſufficere probabili ratione placuiſſe, ne aliter modus litium multiplicatus ſummam atque inexplicabilem faciat difficultatem: & addit, parere ergo exceptionem rei iudicatæ frequens eſt. Hoc ſcilicet ſignificans, quia iudicati finis vnus ſufficiat, ideò ex ſententia & re iudicata ſæpenumero præſcriptionem oriri, quæ rem eandem in iudicium deducere denuo volenti opponatur: nec enim eadem de re iudicium bis adipiſci quenquam ius ſinit. Quamobrem Phormio apud Terentium [2]:

*At tu qui ſapiens es, magiſtratus adi,*
*Iudicium de eadem cauſa iterum vt reddant tibi,*
*Quandoquidem ſolus regnas, & ſoli licet*
*Hic de eadem cauſa bis iudicium adipiſcier.*

Exceptione itaque rei iudicatæ excluditur, qui rem, quæ antè in iudicium venerit, petit. Huc referendum eſt illud Ciceronis [3]: Quid his paucis diebus, nonne nobis in tribunali Q. Pompeij Prætoris vrbani familiaris noſtri ſedentibus, homo ex numero diſertorum poſtulabat, vt illi vnde peteretur vetus atque vſitata exceptio daretur, Cuius pecuniæ dies fuiſſet? quôd petitoris cauſa comparatum eſſe non intelligebat, vt ſi ille inficiator probaſſet iudici, antè petitam eſſe pecuniam quàm eſſet cœpta deberi, petitor rurſus cùm peteret ne exceptione excluderetur, quòd ea res antè in iudicium non veniſſet. Huc quoque pertinet Quintiliani locus ille, in quo: Super eſt (inquit [4]) an etiam in publicis cauſis bis de eadem re agere liceat (vbi malim agere non liceat. nam ſequitur) in quo illud dicitur priuatis litibus, quando & minus momenti & plus numeri habeant

1 l. ſingulis. 6. D. de except. rei iudicatæ.
2 in Phormione act. 2. ſc. 2.
3 lib. 1. de oratore.
4 in ſermons declamat. 266.

ſuccurſum eſſe hac lege, Publicas actiones maioris, quàm vt cadant exceptione. Eadem verò res cauſáve eſſe intelligitur, cùm idem eſt corpus, quantitas eadem, idem ius eadem cauſa petendi & eadem conditio perſonarum: quæ niſi omnia cõcurrunt, alia res eſt, vt Paulus & Vlpianus tradunt [1]. At hæc omnia ſi concurrant, alio tamen ac diuerſo iudicij genere agatur, quæſitum eſt vtrùm eadem res ſit, & tanquam de eadem re alio modo agenti præſcribi atque vtiliter obiici poſſit rei iudicatæ exceptio. Et generaliter definit Iulianus exceptionem rei iudicatæ obſtare, quoties inter eaſdem perſonas eadem quæſtio reuocatur, vel alio genere iudicij: & ideo ſi quis hæreditate petita ſingulas res petat, vel ſingulis rebus petitis hæreditatem petat, parte fundi petita, familiæ herciſcundæ vel communi diuidundo agat, exceptione ſummouebitur. Idem erit probandum, & ſi quis debitum petierit à debitore hæreditario, deinde hæreditatem petat, vel contrà: quæ omnia Vlpianus retulit [2], ego huc congeſſi, vt intelligatur quid ſibi velit Cicero cùm ita ſcribit [3]: Quæ cùm Zeno didiciſſet à noſtris, vt in actionibus præſcribi ſolet, de eadem re dixit alio modo. Nam quod quidam vir alioqui doctus contra omnium codicum fidem mauult legere, Vt in actionibus fieri ſolet, de re eadem ſcripſit alio modo, probare non poſſumus: qui actionibus plerunque præſcribi, quod etſi alio modo, id eſt alio actionis aut iudicij genere, de re tamen eadem agatur, ſcimus, &(vt noſtri loquuntur) actiones excludi oppoſita exceptione rei iudicatæ: quam vt Græci προγραφὴν, ſic noſtri quoque Iuriſconſulti præſcriptionem rei iudicatæ multis locis nominant [4]: eadémque ratione doli præſcriptionem [5], quæ plerũque doli exceptio dicitur. Prætoriis quidem exceptionibus multas excludi actiones ait Tullius [6]. Eas exceptiones ideo præſcriptiones nominatas putauerim, quòd, cùm ex iis penderet lis (vt eſt apud Quintilianum [7]) à Prætore dictari ante actiones, ipſiſque actionibus præponi & præſcribi ſolerent. Præſcribere namque apud Ciceronem [8] & Cæſarem [9] eſt, antè ſcribere. Actione autem mutata eandem rem perſequentibus, atque adeò de re eadem licet alio modo agentibus, præſcribi ſolitum de re iam antè iudicata, his verbis ab Vlpiano perſpicuè demonſtratur: De eadem re agere videtur (inquit [10]) & qui non eadem actione agit, qua ab initio agebat: ſed etiam ſi alia experiatur, de eadem tamen re: vt puta quis mandati acturus, cùm aduerſarius ei iudicio ſiſtendi cauſa promiſiſſet, propter eandem rem agat negotiorum geſtorum, vel condicat, de eadem re agit. Rectéque ita definietur eum demum de eadem re non agere, qui prorſus rem ipſam nõ perſequitur. Cæterùm cùm quis actione mutata experitur, dummodo de eadem re experiatur, etſi diuerſo genere actionis quàm inſtituit, videtur de ea re agere. Et hactenus quidem Vlpianus. Verùm ei quem expoſuimus Ciceronis loco retenta vulgata, eadémque integra lectione, poteſt alia quoque nec à priore multum remota, nec minus commoda interpretatio ex noſtro Pandectarum iure adhiberi, hæc ſcilicet: Eiuſdem rei cauſa complures olim actiones cõpete-

1 l. cùm quæritur. 12. & duab. ſeqq. l. cũ de hoc. D. de except. rei iudicat.
2 l. ſi quis cũ totum. 7. D. de except. rei iudic.
3 li. 5. de finibus.
4 l. ſi ſeruus quem. 42. in fi. D. de liber. cã. l. penult. §. is verò. D. de re iudic. l. iudicatæ. 29. D. de excep rei iudic. l. 1. C. Quib. res iudica. nõ noc. l. 1. C. ſi ex falſ. inſtru. quæ citatur in l. qui agnitis. D. de except.
5 l. ſi debitor tuus. 95. D. de ſolut.
6 li. 2. de inuentione.
7 li. 7. Inſti. orat. ca. 6.
8 li. 2. de finib. oratio præſcribere primùm debet, vt quibuſdam in formulis qua de re agatur
9 li. 2. de bello ciuili. atque hæc ad eum latiùs atque inſtatiùs Afranius præſcribebat.
10 l. de eadẽ. 5. D. de excep. rei indic



petebant, non quo ſimul omnes eodem iudicio rectè vtiliterque dictarentur, ſed potius quo laxior agendi facultas eſſet, vnáque ex pluribus electa intenderetur [1]: vt puta legati nomine, in rem vel in perſonam [2]: ex contractu cum ſeruo qui negotiatur in peculiari merce habito, tributoria vel de peculio [3]: ex noxa ſciente domino data, cùm vtroque modo aut ſuo ſcilicet, aut ſerui nomine teneatur dominus [4], pura noxaliſve actio exerceretur [5]. Ex iis verò concurrentibus actionibus cùm electa vna regreſſus ad alteram conſumptam ſcilicet ac peremptam non daretur [6], vt plenè planéque in regularum iuris commentario demonſtrauimus [7]: intererat tamen aliquando vna potius quàm altera experiri, vt puta legatario qui rem quàm æſtimationem cõſequi mallet, vindicatione potius, quàm cõdictione vtendum: & tamen ei qui hac expertus eſſet illa non dabatur, aut ſi forte datam intenderet exceptione rei iudicatæ repellebatur. Ergo vt neque plus peteret actor, ne forſitan cauſa caderet, neque non interim ius ſuum integrum perſequeretur atque obtineret, antè debebat rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere, vt Caius admonet [8]. Quamobrem adibatur olim ad Iuriſperitos: ij conſultoribus & clientibus ſuis vt reſpondere vt cauêre, ita ſcribere & præſcribere iura, formulas, actiones dicebantur. Et cauêre quidem plurimis locis à Briſſonio noſtro [9] animaduerſis, quibus alios ex primo Ciceronis de oratore, ac tertio epiſtolarum libro [10] addendos moneo. Scribendi autem & cauendi & reſpondendi verba (vnde Iuriſperitorum cautiones & reſponſa prudentũ appellata ſunt) Iuriſconſultorum eſſe propria nos idem addocet Cicero, vbi de Seruio Iuriſc [11]. Seruius hic nobiſcum hanc vrbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cauendi, plenam ſolicitudinis ac ſtomachi ſequutus eſt, Ius ciuile didicit, &c. Eodem ſcribendi verbo in Topicis [12] ad Trebatium Iuriſconſultum idem auctor vtitur: Cùm multis multa ſæpe ſcripſiſſes (ait, ſic enim ex veteribus non cauiſſes lego) veritus ſum ne ſi eo grauarer, aut ingratum id aut ſuperbum videretur. Et in epiſtola quadam ad eundem [13]: Quod ſi ſcribere oblitus es, minus multi iam te aduocato cauſa cadent. Pomponius quoque noſter, vbi ſucceſſionem iuris auctorum percenſet [14], Maſſurius Sabinus (ait) in equeſtri ordine fuit, & publicè primus ſcripſit, poſteáque hoc cœpit beneficiũ dari à Tiberio Cæſare. Appium denique Claudium actiones ſcripſiſſe traditum, vt idem Põponius refert [15]. Atque hoc quidem forenſe verbũ, Actiones ſcribẽdi, non modò Iuriſconſultorum qui formulas dictabant, ſed oratorũ etiã qui cauſas cùm egiſſent, plerunque retractabant, munus moremq. ſignificat: vt apud [16] Pliniũ, cuius illud eſt ad Capitonem: Dices, potes ſimul & ſcribere actiones & componere hiſtoriã? Apud Senecam [17] profectò quod legimus quodam loco, Denique vt breuiter tibi formulam ſcribam, Talis animus ſapientis eſſe viri debet, qualis Deum deceat: tanquam è Iuriſconſultorum non item ora-

l 1. cum filius. §. pen. D. de leg. 2. l. pluræ §. 1. D. de oblig. & act. l. nemo ex his. 43. §. vlt. D. de diuer. reg. iur. aut.
2 l. huiuſmodi. §. vlt. & l. ſeq. & l. ſi ſeruus. §. cùm homo. D. de leg. 1.
3 l. quod in hærede. §. 1. D. de tributo. act.
4 l. 2. in fi. & l. 4. §. cũ dominus D. de noxal. act.
5 d. l. §. ſi de tracta. D. de nox. actio.
6 d. §. 1. l. quod in hærede. l. pro ſocio. §. vlt. D. pro ſocio.
7 ad d. l. nemo ex his. & l. nunquam actiones 133. D. de reg. iur.
8 l. qui in alterius. 42. in fi. D. de diuer. reg. iur.
9 lib. 3. de verb. ſignif. in lexico.
10 epiſtola. 1. li. 3. famil.
11 in orat. pro Murena.
12 in proœmio Topic.
13 epiſt. 14. li. 7. famil. epiſt.
14 l. 2. §. vlt. D. de orig. iur. 15 d. l. 2. §. Iuris ciuilis. verſ. fuit autem. de orig. iuris. 16 in epiſt. Suades. li. 5. epiſt.
17 epiſt. 93. lib. 14.

torum penu(nec enim vt actionis,ita formulæ nomen ad vtroſque pertinet)mutuatum quomodo alia pleraque apud eundem auctorẽ accipimus,& tranſlationem recognoſcimus.Præſcribere autem dicebantur Iuriſconſulti,cùm ſuis clientibus præcipiebant,quibus actionibus ius ſuum experirentur,quas quòd certæ ſolemnéſque olim eſſent,formulas quoque nominabat.Itaque Cicero præſcribendi verbo vſus eſt quodam in loco [1]:Nihil Sex.Ælius tale(inquit)nihil multis annis antè T.Coruncanius,nihil modò P.Craſſus,à quibus iura ciuibus præſcribebantur. Cùm autem apud Romanos olim eadem de re complures periti viri,vt hodiéque in foro patroni cauſarum litiúmque ordinatores, quos aduocatos dicimus, aut ſimul aut ſeparatim conſuli ſolerent: Ad quem ſecundo aut poſteriore loco adibatur,is vel idem ſibi videri quod alius quoque antea reſpondiſſet, profitebatur ( indéque forſitan illa formula promanauit:Idem Q.Cornelio videbatur,de qua ſtatim dicemus ) vel de eadem re alio modo agendum pronunciabat,& ſcripto teſtabatur,ac fortaſſis etiam opinioni ſuæ(quod veriſimile eſt) hunc quaſi titulum pręſcribebat præponebátque:De eadem re alio modo:tum deinde formulam quæ ſibi ad ius conſultoris perſequendum ex cõcurrentibus variis actionibus aptior commodiórque videretur, nõ indicabat modò,verùm etiam literis mandabat. Hoc erat ſcribere, illud præſcribere : ſiue quòd Iuriſconſultus alia vt intenderetur actio præciperet,aut certè admoneret alio modo , id eſt, alio iudicij genere agi poſſe ac debere: nam alibi quoque Tullius [2] præſcriptũ & formulam coniunxit , actiones autem à Iureconſultis formulas plerunque nominari conſtat:ſiue quòd ad ſeparandas actiones à ſe aut ab aliis prolatas,illa ſolemnia verba tituli vice poſt primam inſererentur,ac ſecundæ itémque tertiæ atque adeo reliquis præponerentur.nõ modò à conſultis pluribus,ſed vel ab vno. Quis enim dubitat , quin quod frequenter apud nos vſuuenire certum eſt, olim quoque accideret,vt omnes vnus idémque iuriſperitus de aliqua facti ſpecie conſultus enumeraret formulas?Igitur illas eo titulo quem diximus præpoſito diſtinguebat,vt quam vellet potiſſimũ cliens eligeret.Equidem cùm hæc omnia,quæ modò tractauimus, à mente ac ſenſu Ciceronis aliena non eſſe arbitror,tum etiam non video quæ probabilior interpretatio adferri poſſit ad illud quod ait Tullius,in actionibus præſcribi ſolitum à Iuriſconſultis:De eadem re alio modo:εἰ δέ τῳ ταῦτα μὴ ἀρέσκει, παραβάλλων τὰ ἑαυτοῦ πρὸς ταῦτα οὕτω κρινέτω. (*Quòd ſi huic iſta non placent,collatis iis quæ pro ſe affert,cum iſtis ſic iudicetur.*) Cæterùm ei quo de agimus loco aſſimiles aliquot apud eundem auctorem à nobis olim animaduerſos, quod nemo alius deſignauerit,hîc proferre iuuat.Ergo ita in epiſtolis [3] :Sed tamen non parcam operæ(inquit ) & vt vos ſoletis in formulis,ſic ego in epiſtolis de eadem re alio modo. Huc etiam ſpectat quod eſt in quæſtionibus Tuſculanis [4] : Itaque illius veræ elegantiſque philoſophiæ,quę ducta à Socrate,in Peripateticis adhuc permanſit: & idem alio modo dicentibus Stoicis, cùm Academici

eorum

*1 in lib. dè Senectute.*

*2 in oratore ibi, Quid eſt quo præſcriptũ aliquod aut formulã exprimas quum in ſuo quodque genere præſtet & genera plura ſint?*

*3 li.13.famil. epiſt.300.*

*4.li. 4.Tuſcul. quæſt. ſub initium.*

Des Sosas despues.



prouincia abiret, pecuniam quæ penes ſe eſſet ad ærarium profeſſus retinuerit,non eſſe reſiduæ pecuniæ actionem: quia eam priuatus fiſco debeat:& ideo inter debitores eum ferri, &c. Verba ſunt Pauli Iuriſconſulti [1] ex libro ſingulari de iudiciis publicis:quæ cùm vno propemodum ſpiritu legi debeant, diuulſa tamen illa & ſeparata,duas vt leges aut certè paragraphos(quomodo noſtri loquuntur)conſtituant,in impreſſis omnibus etiam Florentinis libris videas.Vt autem intelligantur,ſciendum eſt ad legem Iuliam de reſiduis ea pertinêre:qua lege tenetur is,apud quem ex locatione, emptione,alimentaria ratione,ex pecunia quã accepit,aliáve qua cauſa,pecunia publica reſedit.Sed & qui pecuniam publicam in vſum aliquem delegatam atque acceptam retinuerit, nec in eum erogauerit,hac lege tenetur:qua lege dãnatus, amplius tertia parte quam debet,punitur.Et hæc quidẽ ex ipſo Paulo [2] & Martiano [3] licet addiſcere:quos cùm publicã pecuniã nominãt,de pecunia pop. Rom. locutos cẽſeo,nõ de alicuiꝰ Reip.ſiue ciuitatis, quę ſub ditione po. Rom.eſt,quæque adeo priuatorum inſtar habet. Nã curator Reip. penes quem eſt adminiſtratio rerum ad ciuitatẽ aliquam pertinentium,ſi quid pecuniæ per fraudem ciuitati ſubtraxerit, non publici alicuius criminis reus eſt ex lege Iulia,ſed furti, hoc eſt priuati delicti,quaſi priuato cuipiam furtum fecerit,pœnali actione in duplũ cõuenitur [4] .Igitur pecuniæ po.Ro.publicæ debitor ex ratione adminiſtrationis,non quaſi priuatus tenetur de reſiduis:Quaſi priuatus debet,neque lege Iulia de reſiduis conuenitur , qui rationibus redditis,cùm adminiſtratione finita ex prouincia diſcederet ( ſic enim interpretor)quam pecuniam in ſinu habebat, eam ad ærarium profeſſus ſit,ac deinde retinuerit:Sed hoc intra annum ſcilicet,quo elapſo,pecuniam eadem lex Iulia reſiduam eſſe iuſſit, vt Paulus refert [5] .Cuius ſententiam nullo modo aſſecutus eſt Accurſius:ego ſatis expoſuiſſe videor. Veruntamen huc etiam aliquid lubenti animo è ſcriniis Tullij conferam , quæ vt aliorum quoque auctorum veterum arculas Iuriſprudentiæ locupletandæ atque illuſtrandæ cauſa,cùm opportunum eſt,compilare ſoleo:ſi prius adiecero,hallucinatos fuiſſe in hoc loco explicando Græcos quoque interpretes,quod non Prouincia abiret,ſed in prouinciam abiret,perperam legiſſe videantur [6] .Nam quòd ait Paulus noſter Ad ærarium profeſſus,ſic exponendum puto,vt rationes per Quæſtorem aut præfectum delectum à ſenatu,éxve prætorum numero ſorte ductum prætu_ráve perfunctum confectæ,conſolidatæ, atque in prouincia relictæ ex lege Iulia de reſiduis, totidem poſteà verbis ad ærarium in vrbem,ab eo qui prouinciam adminiſtraſſet,réferrêtur.Ac per Quæſtorem quidem aut Proquæſtorem,qui pecunias curabat,ad Auguſti vſque tempora confici ſolitas rationes apparet ex his, quæ apud Ciceronem legimus , quo loco ad Atticum ita ſcribit [7] : Ego Laodicee Quæſtorem Meſſinium exſpectare iuſſi,vt confectas rationes lege Iulia apud duas ciuitates poſſim relinquere. & ad Caninium Salluſtium Proquæſtorem [8] : De rationibus referendis , non erat

*1 ex l.ſacrilegi. IX §. vlt. D. ad leg.Iul.peculat. aliàs eſt l.cum eo.D. ad leg.Iul. peculat.*

*2 l.2.D.eod tit.*

*3 l.lege Iulia. 4.§.lege Iulia.D. eod.*

*4 l.1.§.1.D. de adminiſt. rer.ad ciuit. pertinent.*

*5 d.l. 4.§. vlt.*

*6 lib.60.baſilicôn.ti.45. them.II.*

*7 epiſt.7.li. 6. epiſt. ad Atticum.*

*8 epiſt.17.li. 2.fam.epiſt.*

incommodum te nullam referre, quam tibi ſcribis à Bibulo fieri poteſtatem: ſed id vix mihi videris per legem Iuliam facere poſſe, quam Bibulus certa quadam ratione non ſeruat: tibi magnopere ſeruandam cenſeo. & paulò pòſt: Rationes mei Quæſtoris nec verum fuit me tibi mittere, nec tum erant confectæ: eas nos Apameæ deponere cogitabamus. & poſtea: Omnis enim pecunia ita tractatur, vt præda à Præfectis, quæ autem mihi attributa eſt, à Quæſtore curetur. Ex veteri autem conſuetudine, legéque Piſonis non ſolitas deponi rationes in prouincia, ſed ad vrbem referri: contrà verò ex lege Iulia & in prouincia relinqui, & poſtea totidem verbis ad ærarium referri ex eodem auctore didicimus: cuius in Piſonem 1 hæc verba ſunt: Rationes ad ærarium continuò, ſicut tua lex iubebat, detuli: neque alia vlla in re legi tuæ parui: quas rationes ſi cognoris, intelligi nemini plus quàm mihi literas profuiſſe: ita enim ſunt perſcriptæ ſcitè & literatè, vt ſcriba ad ærarium qui eas retulit, perſcriptis rationibus ſecum ipſe caput ſiniſtra manu perfricans, commurmuratus ſit: Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται: & ad Rufum 2: Si rationum (inquit) referendarum ius vetus, & mos antiquus maneret, me relaturum rationes niſi tecum pro coniunctione noſtræ neceſſitudinis contuliſſem, confeciſſémque nõ fuiſſe. Quod igitur feciſſem ad vrbem ſi conſuetudo priſtina maneret, id (quando lege Iulia relinquere rationes in prouincia neceſſe erat, eaſdémque totidem verbis referre ad ærarium) feci in Prouincia, &c. Illud quidem certè factum eſt quod lex iubebat, vt apud duas ciuitates Laodicenſem & Apamenſem, quæ nobis maximæ videbantur, quoniam ita neceſſe erat rationes confectas & conſolidatas deponeremus. Hactenus Cicero. Hæ verò rationes ita confectæ ad ærarium referebantur vti diximus, in tabulis publicis: in quibus ſi quidpiam aliquis deleret vel induceret, lege Iulia peculatus teneri Venuleius 3 auctor eſt. Ad eas tabulas illud Ciceronis pertinet: P. Seruilius quæ ſigna atque ornamenta ex vrbe hoſtium & virtute capta, belli lege atque imperatorio iure ſuſtulit, ea populo Rom. apportauit, per triumphum vexit, in tabulas ad ærarium perſcribenda curauit. Porrò tabularum publicarum curam à Quæſtoribus Neronem ad Præfectos tranſtuliſſe: cúmque variè habita iam inde ab Auguſto ac ſæpe immutata eius rei forma olim fuiſſet, prætura perfunctos Tacitus & experientia probatos illum delegiſſe 4 ſcribit. Auguſtum quidem auctorem fuiſſe, vt cura ærarij à Quæſtoribus vrbanis ad Prætorios Prætoréſve tranſiret, Suetonius 5 retulit: ſed hic de Quæſtoribus illis veteribus legitimis & annuis loquitur, ille verò de Quæſtoribus à Claudio principe impoſitis, quibus extraordinè honores in triennium integrum permittebantur. Quæſtores enim de quibus in lege Iulia fit mentio (vt antè diximus) ſuffragio populi creabantur, & in annum ſorte ducti prouincias obtinebant: qua de re accipiendum quod Dio 6 ſcribit, vbi de Imp. Claudio in hæc verba: καὶ τοὺς στρατηγοὺς τοὺς ἐπὶ τῆς διοικήσεως καταλύσας, τὰ ταμιείας αὐτὰς

*1 orat. 37.*
*2 epiſt. 20. lib. 5. familiar. epiſtol.*
*3 l. qui tabulam. 8. in fine. D. ad leg. Iul. pecul.*
*4 lib. 13. annal.*
*5 in Octauio cap. 36.*
*6 lib. 60. hiſtor. meminit & lib. 43. & initio lib. 53.*



τὰς κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐπέτρεψεν, οὐχ ὥστε καὶ ἐτησίους σφᾶς (ὅπερ ἐπί τε ἐκείνων πρότερον καὶ ἐπὶ τῶν στρατηγῶν μετὰ ταῦτα ἐγίγνετο) ἄρχειν, ἀλλ' οἱ δύο οἱ αὐτοὶ τρία ὅλα ἔτη αὐτὴν διῴκουν, καὶ οἱ μὲν στρατηγίας εὐθὺς ἐλάμβανον, οἱ δὲ καὶ μισθὸν ἔφερον ὅπως ποτὲ καὶ ἔδοξαν ἄρξαι. τοῖς μὲν οὖν ταμιείαις τὴν διοίκησιν ἀντὶ τῶν ἀρχόντων ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ἔξω τῆς πόλεως ἀντέδωκεν. (*Prætores qui pecuniæ publicæ curandæ præfuiſſent abrogauit, quæſtoribus eo munere vt antiquitus inſtitutum fuerat mandato: non quidem vt annui ij eſſent (ſicut olim & quæſtores & hi deinde prætores fuerant) ſed vt duo ad triennium huic negotio præeſſent: atque hi ſtatim prætores deinde creabantur pecuniámque pro eo ac viſi fuiſſent ſuum munus obiiſſe accipiebant: Præfecturas autem Italiæ extra Romam omnes aboleuit, ac Quæſtoribus mandauit.*) Eodem pertinet ille Suetonij locus 1, in quo ſic eſt de Claudio ſcriptum: Collegio Quæſtorum pro ſtratura viarum, gladiatorium munus iniunxit. Detractáque Oſtienſi & Gallica Prouincia, curam ærarij Saturni reddidit, quam medio tempore Prætores aut vtique Prætura functi ſuſtinuerant. Atque hæc quidem ad illum ex titulo XIII. 2 libri XLVII. Pandectarum locum abundè ſufficiunt.

Sed ad alios aliquot eiuſdem tituli difficiliores locos nonnulla ſunt à me olim animaduerſa & adſcripta, quæ lubet ad Iuris ſtudioſorum vtilitatem ſtatim depromere. Ait Vlpianus 3: Is autem qui furanti ſinum præbuit, perinde habetur, atque ſi manifeſti furti cõdemnatus eſſet, & famoſus efficitur. Sic legendum ex Pandectis Florentinis, & ex ipſo (quantum aſſequi coniectura poſſumus) Accurſij libro: non, quod paſſim reperias in impreſſis Digeſtorum libris, Signum præbuit. Signum dare 4 non item præbere dicimus. Sinum verò præbere furanti, eſt partem veſtimenti laxiorem (quæ ſolebat in humerum reiici) pecuniæ ſcilicet reive alterius furtiuæ ſuſcipiẽdæ atque in occulto habendæ gratia, furi accommodare: illóque modo furtum facienti opem ferre, id eſt miniſterium atque adiutorium (vt Vlpianus 5 interpretatur) ad ſurripiendas res præbere. Sinum ita rectiſſimè 6 Turnebus, Quintiliani 7 verbis prolatis apud Suetonium 8, expoſuit. Addo illa Gellij 9, quibus ea quoque confirmantur, quæ de publicis rationibus ad ærarium ab Imperatore Præſide prouinciæ legatóve referendis antè diximus, & ſinum, togæ partem eſſe oſtenditur: Petilij quidam Trib. pleb. à Marco, vt aiunt, Catone inimico Scipionis comparati, in eum atque immiſſi deſiderabant in Senatu inſtantiſſimè, vt pecuniæ Antiochenæ, prædæque, quæ in eo bello capta erat, rationem redderet. Fuerat enim L. Scipioni Aſiatico fratri ſuo Imperatori in ea prouincia legatus. Ibi Scipio exurgit: & prolato è ſinu togæ libro, rationes in eo ſcriptas eſſe dixit omnis pecuniæ, omníſque prædæ: Illatum vt palam recitaretur, & ad ærarium deferretur. Sed enim id non faciam inquit, nec me ipſe afficiam contumelia: cúmque librum ſtatim diſcidit ſuis manibus & concerpſit. Sic accipio ſinum apud 10 Senecam, vbi: Nam quid aliud (inquit) virtute me-

*1 in Claudio cap. 24.*
*2 ad leg. Iul. repet. & peculat. & de reſiduis.*
*3 l. ſacrilegiis 6. §. vlt. D. eod. tit.*
*4 l. 1. §. vlt. D. ad le. Iuliam maieſt. Cice. 7. Ver. Terent. Eunucho. Cæſar lib. 2. & 7. comment. de bel. Gal. & lib. 2. de bel. ciuili. Liuius lib. 2.*
*5 l. in furti. §. 1. §. opẽ fert. D. de furtis.*
*6 cap. 26. li. 2. aduerſar.*
*7 quem vide li. 12. Inſti. c. vlt.*
*8 in Iulio c. 82.*
*9 ex lib. 4. noct. Attic. cap. 18. vbi de Scipione.*
*10 epiſt. 75.*

lius putat, aut vllum præter illam bonum, ad hæc quæ à fortuna ſparguntur ſinum expandit, & ſolicitus miſſilia eius expectat: itémque quo loco[1] ait: In magnis erroribus ſunt, qui ingentis animi credunt, proferre, donare, plurium ſinum ac domum replere, cùm iſta interdum non magnus animus faciat, ſed magna fortuna. & item alio apud Suetonium[2] loco, vbi: Congeſto (inquit) per milites in prętextæ ſinum luto, non defuerunt qui interpretarentur, quandóque proculcatam deſertámque Rempub. ciuili aliqua perturbatione in tutelam eius (de Veſpaſiano loquitur) ac velut in gremium deuenturam. Poſtremò, id verbum ea ſignificatione Claudianus accepit, his verſibus[3],

*Mentitóque ferox incedit barbara greſſu,*
*Carbaſeos induta ſinus.*

Apud Lampridium[4] autem (vbi Perennem ſpoliaſſe plurimos, omnia iura ſubuertiſſe, prædam omnem in ſinum contuliſſe tradit, & agi tum omnia per alios ſolita, qui etiam condemnationes in ſinum vertiſſe dicerentur) id vocabuli μεταφορικῶς ſumitur, vt in ſinu idem quod in occulto & in poteſtate ſignificet: ídque ita plerunque accipi oportere Budæus,[5] Eraſmus[6], Briſſonius,[7] adductis quamplurimis auctorum bonorum teſtimoniis, comprobarunt: & verò Scæuolæ noſtri, apud quem talia quædam teſtamenti verba recitantur[8]: Titio centum do lego, quæ mihi pertulit: quæ ideò ei non caui, quòd omnem fortunam & ſubſtantiam, ſi quam à matre ſuſceperat, in ſinu meo habui ſine vlla cautione. Quibus addo, quod Tacitus ſcribit[9] ſic ferè: Sed opes Cremonenſium in ſinu Præfectorum, legatorúmque fore: expugnatæ vrbis prædam ad militem, deditæ ad duces pertinere. Item quod Paulus Iuriſc.[10] his verbis: Ariſto reſpondit à debitore fiſci, qui ſoluendo non erat, manumiſſum ita reuocari in ſeruitutem debere, ſi non diu in libertate fuiſſet, id eſt, non minus decennio: planè ea quæ in fraudem fiſci in ſinus eius collata ſunt, reuocanda. Sic enim omnino ex Pandectis Florentinis legi debet, quo loco vulgati codices nullo ſenſu, In funus eius, ſcriptum habent. Sed vt ad Vlpianum noſtrum redeamus, in mente ipſius exponenda interpretes Græci[11] ſibi mera ſomnia fingunt, quòd eum qui ſurreptum ex metallis Cæſarianis aurum vel argentum ſuſceperit, ſimilem eſſe damnato furti manifeſti actione in duplum, & famoſum effici tradunt. Etenim conſtat inter omnes, furti manifeſti pœnam eſſe quadruplum, nec manifeſti duplum[12]. Cæterùm in furto quidem is qui facit, manifeſtus aut nec manifeſtus eſſe poteſt: is verò qui opem furtum facienti fert, nunquam manifeſtus eſt, ſed furti nec manifeſti duntaxat actione, quæ dupli eſt, tenetur[13]. At contrà, in peculatus crimine ad pœnam infligendam, non diſtinguimus vtrùm id manifeſtum ſit nécne, ſed extra ordinẽ quidem pro qualitate delicti, & perſonæ dignitate, leuiùs & remiſſiùs, aut etiam ſeueriùs ad deportationem vſque vel metallum, atque adeo capitaliter in peculatores vindicatur, ex principum reſcriptis, conſtitutionibus aut edictis: iure autem ordinario quadrupli

pœna

1 li.6. de benefic. ca. 43.
2 in Veſpaſiano.
3 li. 2. in Eutropium.
4 in Commodo.
5 in annot. in Pandect. ad l. qui teſtamentum. de probat.
6 Adag. chil. 1. cent. 3. prouerb. 13. & chil. 2. cent. 10. prouerb. 32.
7 lib. 17. de verb. ſignific. in Lexico.
8 l. qui teſtamentum. 27. D. de prob.
9 lib. 19. annal.
10 l. ſi cum fideicommiſſa. 16. §. Ariſto. D. Qui & à quib. manum. lib. non fiant.
11 li. 60. baſilic. tit. 45.
12 l. in furti actione. 51. in princip. l. ſi pignore. 56. §. cũ furti. D. de furtis. §. conceptum. verſi. pœna. Inſti. de obligat. quæ ex del. naſc. §. ex maleficiis. Inſt. de actionib.
13 l. is qui opem. 34. D. de furt. §. interdũ. Inſtit. de obli. quæ ex del. naſc.



eorum controuerſias diſceptarent. Et in libris de finibus[1]: Quæ eſt igitur iſta philoſophia, quæ communi more in foro loquitur in libello ſuo? præſertim cùm quod illi verbis ſuis ſignificent, in eo nihil mouetur de ipſis rebus, nihil mutetur, eædem res maneant alio modo? vbi pro Mouetur, equidem Nouetur lubentiùs legerim: vt eiuſdemmodi ſit verbum hoc, cuius illa ſunt Mutetur, Maneant, quæ verba ſtatim ſubiecta video. Nam & nouandi verbo alibi vtitur Cicero[2], & hoc loco vt alibi quoque reprehendit Stoicos, eorúmque familiæ ductorem atque auctorem Zenonem: qui cùm idem ſentiret quod omnes, quibus rebus eandem vim tribueret, iis alia noua & commenticia nomina imponeret, verba modò mutaret, de opinionibus nihil detraheret: hoc eſt, nihil nouaret. Quid intereſt (inquit[3]) niſi quod ego res notas notis verbis appello, illi nomina noua quærunt, quibus idem dicant? & poſteà: Hæc igitur cùm ego tot nominibus à Stoicis appellata partim nouis & commentitiis, vt iſta, Producta & Reducta, partim idem ſignificantibus, &c. &: Audebo igitur quæ ſecundum naturam ſunt, bona appellare, nec fraudare ſuo veteri nomine potius, quàm aliquod nouum exquirere. & alibi[4]: Quamquam ex omnibus philoſophis (inquit) Stoici plurima nouarunt, Zeno quoque eorum princeps non tam rerum inuentor fuit, quàm nouorum verborum.

Poteſt etiam è noſtris, id eſt Iuriſconſultorum libris illuſtrari, quod Cicero ad Trebatium Iuriſperitum expreſſit[5]: Hoc quemadmodum vos ſcribere ſoletis (inquit) in veſtris libris, idem Q. Cornelio videbatur. Ad veterem nanque Iuriſconſultorum conſuetudinem, æqualium aut ſuperiorum auctoritatem ſententiis atque opinionibus ſuis adiungendi, aſpexiſſe Ciceronem certum eſt: quæ ad recentiores quoque Iuriſconſultos, quorum in Pandectis reſpõſa extant, permanauit atque retenta eſt, vt exemplis penè innumeris in eam rem prolatis confirmare poſſum. Celſus quodam loco ſic ſcribit[6]: Verùm conſtitit, vt quà primùm viam direxiſſet, ea demum ire agere deberet, nec amplius mutandæ eius poteſtatem haberet, ſicuti Sabino quoque videbatur, &c. Paulus ad Sabinum[7] ita: Iulianus ſcribit valere talem ſtipulationem, Cùm morieris dotis nomine tot dari? quia & paciſci ſoleant ne à viua exhibeatur: quod non eſſe ſimile accepi: aliud eſt enim differre exactionem, aliud ab initio in id tempus ſtipulari, quo matrimonium futurum non ſit. ídque & Ariſtoni, & Neratio, & Pomponio placet. Idem auctor alio loco[8]: Si ego & ſeruus meus, vel filius hæres inſtitutus ſit, ſi iuſſero filio vel ſeruo adire, ſtatim & ex mea inſtitutione me hæredem eſſe Pomponius ſcribit, idem & Marcellus probat & Iulianus. Valens quoque alicubi[9]: Si poſtulante me ſuſpectam hæreditatem (inquit) ex decreto Prætoris adieris, & nec ego poſteà eam mihi reſtitui velim, nec bonis me immiſcere: hoc fieri debet, vt quod Octaueno non ineleganter videbatur, à Prætore perinde actiones in me dentur, ac ſi hæreditatem recepiſſem, quod eſt iuſtius. Denique vt alios omittam, Neratius[10] poſtquam dixit ei legatorũ nomine ſatiſdari,

1 libr. 4. de finibus.
2 lib. 3. de oratore. Verba nouamus & facimus ipſi. & lib. 3. de leg. Nihil habui ſanè non multum quod putarem nouãdum in legibus. & libr. 15. epiſt. fam. & li. 3. de finib. ſub initium.
3 lib. 5. de finib.
4 lib. 3. de finib. bonor. & malor. ſub initium.
5 epiſt. 17. li. 7. famil.
6 l. ſi cui ſimplicius. 9. D. de ſeruitut.
7 l. Iulianus 20. D. de iure dot.
8 l. ſi ego. 26 D. de acq. hæred.
9 l. ſi poſtulãte 67. D. ad Trebellianũ
10 l. ei quoque 13. D. vt legat. vel fideicom. nom. caueat.

cui datur actio in eum qui prætermiſſa inſti tutione, ab inteſtato hæreditatem poſſidet, hæc ferè ſubiicit. Et niſi ſatiſdabitur, in poſſeſſione legatorum ſeruandorum cauſa mittitur: nam hæc quoque Prætor perinde ſalua eſſe vult, atque ea quæ iure ciuili debentur: Idem Ariſtoni placet. Sed quid exemplis in re perſpicua opus eſt? Alium potius locum apud ipſum Ciceronem indicemus, qui ex illo veterum Iuriſconſultorum more ſolemni explicandus videtur. In quadam eius ad Trebatium epiſtola, ita ſcriptum legimus[1]. Valde metuo ne frigeas in hibernis (inquit) quamobrem camino luculento vtendum cenſeo. Idem & Mucio & Manilio placebat, præſertim qui ſagis non abundares. Nam illa verba, Idem & Mucio & Manilio placebat, cùm Cicero literis ad Iuriſconſultum exaratis aſperſerit, non dubito quin eius conſuetudinis memor id fecerit, cuius & alia ad eundem Trebatium epiſtola commeminit, vt antè oſtendimus. Et quoniam de actionibus & formulis veteribus iuris ex Cicerone dicere cœpimus, hanc quoque, Qua de re agitur proferamus. Scribentis ad Trebatium Iureconſultum Ciceronis hæc verba ſunt[2]: Sed quæ ex ſtatu contentio efficitur, eam Græci κεινόμενον vocant, Mihi placet id, quoniam quidem ad te ſcribo, Qua de re agitur vocari. Quibus autem hoc, Qua de re agitur continetur, hæc continentia vocentur, quaſi firmamenta defenſionis: quibus ſublatis, defenſio nulla ſit. Ait Cicero τὸ κεινόμενον à ſe vocari, Qua de re agitur, quoniam ad Trebatium ſcribat, qui Iuriſconſultus atque adeò formularum iuris ciuilis peritus fuit. Quintilianus in Inſtitutionibus hac de re loquens: Paulum in his ſecum (inquit[3]) etiã Cicero diſſentit: nam in Rhetoricis quemadmodũ ſuprà dixi, Hermagoram eſt ſecutus: in Topicis, ex ſtatu effectam contentionem κεινόμενον exiſtimat, ídque Trebatio qui Iuris erat conſultus alludens, Qua de re agitur appellat. Et ſanè verba hæc ſolemnia fuêre in formulis edictorum, exceptionum, & ſtipulationum, quæ venditionibus aliíſque contractibus adhibebantur. In Edicto de operis noui nuntiatione, Prætor ait[4]: Quem in locum nuntiatum eſt, ne quid operis noui fieret, Qua de re agitur, &c. In Edicto, Quæ in fraudem creditorum facta ſunt, vt reſtituantur[5], ait Prætor: Quæ Lucius Titius fraudandi cauſa, ſciente te, in bonis quibus de ea re agitur fecit, ea illis ſi eo nomine quo de agitur, actio ei ex Edicto meo competere eſſéve oportet, ei ſi non plus quàm annus eſt, cùm de ea re, qua de agitur, experiundi poteſtas eſt, reſtituas, &c. In Edicto interdicti, Vti poſſidetis[6], ait Prætor: Vti eas ædes, quibus de agitur, nec vi, nec clàm, nec precario alter ab altero poſſidetis. Sic in Edictis interdictorum de ſuperficiebus[7], de itinere actúque priuato[8], de aqua quotidiana & æſtiua[9], de fonte[10], de cloacis[11], vtrubi[12] & de migrando[13]. Sic in Edicto interdicti, Quod vi aut clàm, Prætor ait[14]: Quod vi aut clàm factum eſt, Qua de re agitur id cùm experiendi poteſtas eſt reſtituas. Itémque de precario, ait prætor[15]: Quod precario ab illo habes, aut dolo malo feciſti, vt deſineres habere, Qua de re agitur id illi reſtituas. Extat hæc exceptionis

formula,

1 *epiſt. 10. lib. 7. famil.*
2 *ex lib. Topic. ad finem*
3 *lib. 3. Inſtitut. orator. c. 11.*
4 *l. prætor ait. 20. in princ. & §. deinde ait prætor. D. de oper. no. nunciat.*
5 *l. ait prætor 10. D. quæ in fraud. cre.*
6 *l. 1. in prin. D. vti poſſidetis.*
7 *l. 1. in prin. D. de ſuperf.*
8 *l. 1. in prin. D. de itinere actúque priuato.*
9. *l. 1. in prin. & §. deinde ait prætor. D de aqua quo tid. & æſti.*
10 *l. 1. in pr. & §. deinde ait prætor. D de fonte.*
11 *l. 1. in prin D. de cloacis*
12 *l. 1. D. Vtrubi.*
13 *l. 1. D. de migrando.*
14 *l. 1. in pr. D. quod vi aut clàm.*
15 *l. 2. in pr. D. de precario.*



formula, hodiéque apud Iulianum[1]: Si ea pecunia, qua de agitur, non pro ea re petitur quæ venit, neque tradita eſt, vt & ſtipulationis in ouium emptione adhibitæ apud Varronem[2], cuius hæc verba ſunt: Cùm emptor dixit, Tanti ſunt mihi emptæ? & ille reſpondit, Sunt, & expromiſit numos: emptor ſtipulatur priſca formula ſic: Illáſce oues, qua de re agitur, ſanas rectè eſſe, vti pecus ouillum quod rectè ſanum eſt extra luſcam ſurdam minam, id eſt ventre glabro, neque de pecore morboſo eſſe haberéque rectè licere, hæc ſic rectè fieri ſpondes? Ait, Illáſce oues, qua de re agitur. quo exemplo apud Vlpianum illa Edicti Prætorii verba, quæ paulò antè retulimus, Quæ Lucius Titius fraudandi cauſa, ſciente te, in bonis, quibus de ea re agitur, fecit, caſtigari ſic debent, vt legatur, In bonis qua de re agitur. Niſi fortè quis malit, In bonis quibus de agitur, deletis illis, Ea re, quòd ita quoque paulò pòſt loquatur Prætor, Eo nomine quo de agitur. &, De ea re qua de agitur. Sed hoc nihil moror. Priſcis profectò Pr*e*torum, & Iuriſconſultorum formulis hæc verba, Qua de re agitur, quibus de ipſi agimus, includi ſolita manifeſtum eſt. Eóque aſpexiſſe Ciceronem[3] credimus, quo loco, Itaque (inquit) ſi mihi homini vehementer occupato ſtomachum moueritis, triduo me Iuriſconſultum eſſe profitebor. Etenim quæ de ſcripto aguntur, ſcripta ſunt omnia, neque tamen quicquam tam anguſtè ſcriptum eſt, quo ego non poſſim, Qua de re agitur, addere. Sed hæc ipſa verba etiam cùm philoſophum ageret, non modò cùm ad Iuriſconſultum ſcriberet, aut de Iuriſprudentia loqueretur, vſurpauit Cicero[4], vbi de Chryſippo: Hæc diſſerens (inquit) qua de re agatur, & in qua cauſa conſiſtat, non videt. Quamobrem iure meritóque apud eundem auctorem[5], vbi ſic omnes libri ſcriptum habent: Omnis autem in quærendo, quæ via quadam & ratione habetur oratio, præſcribere primùm debet, vt quibuſdam in formulis, ea res agatur: vt inter quos diſſeritur, conueniat quid ſit id, de quo diſſeritur. Hoc poſitum in Phædro à Platone probauit Epicurus, ſenſítque in omni diſputatione id fieri oportere. Iure, inquam, & meritò Dionyſius Lambinus, illorum verborum loco, Ea res agatur, hæc reſtituit, Qua de re agatur: quod ipſe quoque fieri debere iampridem animaduerteram, & probaui ſemper, non item hoc, Ea de re agitur, quod ille in ſcholiis ad Ciceronem ſuis, id eſt laborioſiſſimis & eruditiſſimis attulit, neque id, quod Adr. Turnebo[6] placet, Ea res agitur. Ad ita ſentiendum vt facio, aduerſus omnium quos viderã librorum fidem, præter quàm quòd illa ſubiiciuntur, Conueniat quid ſit id de quo diſſeritur, his rationibus commoueri me atque adduci paſſus ſum: primùm, quòd formularum Cicero meminit, Iuriſconſultorum formulas intelligens, in quibus non Ea res agitur, aut Ea de re agitur, ſed Qua de re agitur, aut Quo de agitur inſeri ſolitum didiceram. Deinde verò, quod Platonis[7], quem ſententiæ illius auctorem ibi laudat Cicero, verba hæc in memoriam reuocaueram: περὶ παντός ὦ παῖ μία

1 *l. qui pendentem. 25. D. de actio. emp.*
2 *ex lib. 2. cap. 2. de re ruſt.*
3 *in oratione pro Murena*
4 *in lib. de Fato.*
5 *lib. 2. de finib. bon. & mal. ſub initium.*
6 *ca. 17. lib. 2. aduerſar.*
7 *in Phædro*

ἀρχὴ τοῖς μέλλουσι καλῶς βουλεύεσθαι, εἰδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλή, ἢ ἅπαντος ἁμαρτάνειν ἀνάγκη. (*De re omni quæ in conſultationem venit, ô puer, id primo omnium rectè iudicare volentibus cognoſcendum eſt, qua de re agatur ſecus tota via aberrare neceſſe eſt:*) quę cùm Latinè interpretari voluerit, non potuit illa περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλὴ, niſi hoc modo, Qua de re agitur, bene, propriè, atque vt Quintiliani verbum vſurpem, ſignificanter dicere. Summum atque firmiſſimum illud argumentum erat (quod ipſum per ſe ſatis ad coniecturam noſtram approbandam, vt reliqua omnia deficerent, valere videbatur) non modò ex Ciceronis auctoritate, ac loquendi conſuetudine, ſed ex alterius penè gemini loci ſimilitudine deſumptum. Etenim vbi M. Callidij oratoris optimi facultatem in dicendo laudibus proſequitur, ita ferè ſcribit [1]: Erant autem & verborum & ſententiarum illa lumina, quæ vocant Græci σχήματα, quibus tanquam inſignibus diſtinguebatur omnis oratio. Qua de re agitur autem illud quod multis locis in Iuriſconſultorum includitur formulis, & vbi eſſet videbat. Ergo cùm vtrobique formularum iuris habeatur mentio, quidni vt hîc, Qua de re agitur, ita ibi quoque legemus, Qua de re agatur: præſertim cùm hoc ipſum ſententiæ ratio expoſcat? Quidni etiam exiſtimabimus, cùm, hoc & altero vbi de Chryſippo loquitur loco iam antè à nobis indicato, id verbi, Qua de re agatur videre, vſurpauerit Cicero, alibi [2] quoque vbi ſic erat: Et ego Piſo, inquam, ſi eſt quiſquam qui in cauſis acutè videre ſoleat quæ res agatur, optimè ab ipſo Lambino, Qua de re agatur eſſe reſtitutum? Hoc equidem exemplo, vbi apud eundem Ciceronem ſcriptum eſt [3]: Hæc refelli poſſunt, ſed pugnare nolo: ad id enim quod agitur, nihil intereſt, omnibúſne partibus viſa res nihil differat, an internoſci non poſſit etiam ſi differat: ſi quis, Ad id enim quo de agitur, malit reponere quàm retinere Quod agitur, ei aſtipulabor atque aſſentiar. Sed ne manum quidem ideo verterim: nec enim hoc loco de formulis loquitur, & verò alibi [4] quoque idem auctor ſic ſcribit, non quibus verbis quidque dicatur quæritur, ſed quæ res agatur. Ac de illis ſanè formulis hactenus: de aliis quoque poſteà ſi commodum videbitur, dicemus.

1 in Bruto.
2 lib. 5. de finibus.
3 li. 4. Academ. quæſt.
4 in oratione pro Cæcinna.

---

*Complures Pandectarum loci ex tit. ad leg. Iul. peculat. & de ſacrileg. & de reſiduis contra Græcos & Accurſium exponuntur. Publicæ rationes in Prouincia per quem confectæ, vbi relictæ, quò relatæ. Quæſtores veteres & noui. In Pauli & Vlpiani reſponſis nomen Sinus reſtitutum, & quid ſignificet oſtenditur. Pœna peculatus ordinaria & extraordinaria. Explicatur aduerſus Accurſium l. 1. c. de crim. peculat. & l. ob pecuniam. 81. D. de furt.* CAP. XXII.

EVm quoque qui pecuniam publicam in vſus aliquos retinuerit, nec erogauerit, hac lege teneri Labeo libro trigeſimo octauo poſteriorum ſcripſit. Cum eo autem, qui cùm pro-



pœna irrogatur ex lege Iulia [1]. Atque hoc nimirum illud eſt, quod Imppp. Theod. Arcad. & Honorius Rufino Præfecto prætorio in hæc verba reſcripſerunt [2]: Pridem fuerat conſtitutum, vt hi iudices qui peculatu prouincias quaſſauiſſent, multæ diſpendio ſubiacerēt (quadruplum lege Iulia ſancitum intelligit) ſed quoniam nec condigna crimini vltio eſt, nec par pœna peccato, placuit tam ſeueram animaduertendi eſſe cenſuram: vt, cùm vix par pœna his poſſit flagitiis inueniri, neque condignis tantum nefas cruciatibus expiari, capitale hoc eſſe præcipiamus, atque animaduerſione ſeueriſſima coerceri. Ex hac conſtitutione Imperatorum pœna capitalis vſque ad vitæ ademptionem infligitur peculatui. Ante hos Imperatores, ex aliorum principum conſtitutionibus, pœna peculatui præſtituta non egrediebatur deportationem, aut metallum [3]. Itaque Pius quidem imperator, ſi quis ex metallis Cæſarianis aurum vel argentum furatus eſſet, eum exilio vel metallo puniri, vt apud Vlpianum eſt [4], edixit: quamuis ſi quis fiſcalem pecuniam attrectauerit, ſubripuerit, mutauerit, ſeu in ſuos vſus conuerterit, in quadruplum eius pecuniæ quam ſuſtulit, condemnari ordinario ſcilicet iure, ex lege Iulia Paulus in receptarum ſententiarum libris doceat [5]. De illo autem qui fiſcalem pecuniam furanti opem tuliſſet, quíve aurum ex metallo habuiſſet illicitè, hoc eſt qui ab alio puta ſurreptum ſciens ſuſcepiſſet & conflaſſet, nihil ſeuerius conſtituit: ſed ordinariam, id eſt quadrupli pœnam retinendam cenſuit: & hanc eius loci ſententiam eſſe credo. Sanè ex Imperatorum Honorij & Theodoſii conſtitutione [6] eadem pœna plectitur, qui peculatum admiſit, & is qui miniſterium peculatori ad hoc adhibuerit, vel qui ab eo ſubtractū aliquid ſciens ſuſceperit: Pœna verò, capitali: quam deportationis eſſe Accurſius interpretatur, ego vitæ ademptionem continere cenſeo, qui capitis & vitæ iacturam peculatus reos inuoluere conſueuiſſe ab Grat. Valentin. & Theod. Imppp. [7] reſcriptum ſcio. Addo Impp. eoſdem Theodoſium & Valentinianum capitalem pœnam diſtinxiſſe ac ſeparaſſe à deportatione, alio in loco [8], tanquam illa de vltimo ſupplicio propriè intelligatur. Quæ de pecunia ſurrepta modò diximus, de publica ſiue fiſcali accipienda ſunt, non de ciuitatis pecunia: ob quam, veluti ſi priuato cuipiam ſubtracta eſſet, nō peculatus crimine, ſed actione furti aliquem teneri à Papiniano rectè reſponſum eſt [9]. Lex enim Iulia de pecunia tantùm publica, ſacra, vel religioſa loquebatur, non de re ciuitatis, non de fiſcali: ſed conſtitutionibus tamen Imperatorum mens legis Iuliæ ad fiſcalem pecuniam (quæ propria & priuata eſt principis, cui & in quem omne ius ſuum tranſtulit populus) & ad rem non item ad pecuniam ciuitatis producta eſt, vt ſtatim declarabitur. Quod autem ab Vlpiano libro 68. ad edictum traditur [10]: Qui perforauerit muros, vel inde aliquid abſtulerit, peculatus actione teneri: hanc rationem habet, quam ne leuiter quidem attigit Accurſius, quod lex Iulia peculatus non ad publicam modò, ſed multò magis ad religioſam & ſacram pecuniam pertinet [11], vt modò diximus. Muri autem ſan-

1 l. 3. l. ſacrilegij. 6. §. vl. l. penult. D. ad leg. Iul. pecul.
2 l. 1. C. Theod. de crimine peculat. t. 28. lib. 9. iuncta l. 5. C. Theo. ad leg. Iul. repet. tit. 27. lib. 9.
3 l. 3. D. ad leg. Iul. peculat.
4 l. ſacrilegij 6. §. ſi quis ex metallis. D. ad leg. Iul. peculat.
5 lib. 5. ſent. tit. 27. ad le. Iul. pecul.
6 l. 1. C. de crimine peculat.
7 l. 5. C. Theod. tit. 27. li. 9.
8 l. vlt. C. de bon. proſcri.
9 l. ob pecuniam. 81. D. de furtis.
10 l. qui perforauerit. 12. D. ad le. Iul. pecul.
11 l. 1. in pri. & l. 4. D. ad leg. Iul. pec.

cti ſunt,& quodammodo diuini iuris[1], adeò vt muros municipales nec reficere liceat, nec aliquid eis coniungere, vel ſupponere, ſine Principis vel Præſidis auctoritate, quemadmodum idem auctor eodem libro ſcribit[2]: in quo, vt de aliis interdictis, ita de illo egit[3], quo Prætor in loco ſacro facere, ſive eum immittere quid vetat: ad quod interdictum pertinere ſi quid in muris factum ſit, Hermogenianus & Paulus tradunt, vt in muris, itémque portis, & aliis ſanctis locis aliquid facere, ex quo damnum aut incommodum irrogetur, non permitti: neque muros, neque portas habitari ſine permiſſu Principis, propter fortuita incendia, poſſe definiant[4]. Sanè ſi quis violauerit muros, ſicut ſi quis tranſcendat, ſcalis admotis, vel alia qualibet ratione, eum capite puniri Pomponius ſcribit[5]. Cùm igitur ſancti ſint & ſacri muri, non tantùm vrbis Romæ, ſed aliarũ quoque ciuitatum & municipiorum (de municipalibus etenim muris diſertè Vlpianus loquitur) ſi quid inde quis abſtulerit, aut ſi quis eos perforauerit, vt ſacrilegum ſiue peculatorem puniri, non eſt quare ab æquitate ac ratione iuris alienum eſſe videatur: præſertim poſt Imperatorum Traiani, & Hadriani conſtitutiones, quibus generaliter cauetur. Peculatus crimen committi, ſi de re ciuitatis aliquid ſurripiatur[6]: ante quas idem iuris obtinuiſſe arbitror in re ciuitatis, quod in pecunia ex Papiniano adhuc obſeruari oſtendimus: ſed Impp. legem ſacrilegii, ſiue peculatus, ad rem, non ad pecuniam ciuitatis pertraxerunt: propterea quòd illam cùm eſſet in vſu publico, commercio quoque hominum exemptam eſſe oportuit, ac diuini quodammodo iuris cenſeri: pecuniam non itidem, ſed humani potius ac propemodum priuati iuris, vt æquale in ſubripienda, ſubtrahendáve ſingulorum atque ciuitatum pecunia delictum admitti videretur. Adde quod Reip. po. Romani permultum intererat, vel ad ciuium & prouincialium tutelam atque defenſionem, vel ad ipſos iuriſdictione, religione, cærimoniis, & ſpectaculis, omníque alia ratione in officio, & pop. Rom. ditione continendos, vt ſingulis ciuitatibus[7], quæ ſub imperio eius eſſent, loca publica & religioſa, veluti palatia, prætoria, fora, baſilicæ, curiæ, ſtadia, theatra, horrea[8], fana, templa, ſtatuæ, aræ, muri, portæ, aliáque eiuſmodi ſarta tecta & integra conſeruarentur: quamobrem de Proconſulis officio Vlpianus agens, eum ait[9] ædes etiam ſacras & opera publica circumire inſpiciendi gratia an ſarta tecta ſint, & quę ſint vel an aliqua refectione indigeant: & ſi qua cœpta ſunt, vt conſummentur, prout vires eius Reip. permittunt, curare debere, curatoréſque operum diligentes ſolemniter præponere: miniſteria quoque militaria, ſi opus fuerit, ad curatores adiuuandos dare. De pecunia ciuitatum, in qua talis profectò nulla po. Ro. verſabatur vtilitas, non æquè laborandum fuit. Atque hoc quidem ita eſſe probabile, vt verius nihil adferri poſſit, adhuc exiſtimo.

1 l. 1. §. 5. l. 8. §. vlt. D. de rer. diuiſ.
2 l. ſacra. 9. §. vlt. D. de rer. diuiſ.
3 vt apparet ex l. 1. D. Ne quid in loco ſacro fiat quæ eſt ex eodem libro 68. ad edict.
4 l. 2. & 3. D. Ne quid in loco ſacro fiat.
5 l. vlt. D. de rer. diuiſ.
6 l. 4. §. vlt. D. ad le. Iul. peculat.
7 l. ciuitatibus. D. de legat. 1. iuncta l. 3. & 6. D. de operibus publ. l. eius qui. 27. D. ad municip.
8 l. 2. C. de condi. in publ. hor.
9 l. ſi in aliquã. 7. §. 1. D de offic. procõſ.

---

*Ordo verborũ non naturalis indicatur in quibuſdam Vlpiani, Pauli, Calliſtrati, Hermogeniani, Papiniani Iuriſc. reſponſis, & Imperatorũ duobus reſcriptis, quæ omnia exponũtur, conſeruata veteri lectione, eadémque vt apud Senecam duobus, ita vno apud Sidonium loco reſtituta.*



## CAP. XXIII.

REgulam Iuris[1], quæ ſtatuit Non defendere videri non tantùm qui latitat, ſed & eũ qui præſens negat ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem: quod olim apud Vlpianum ita expoſuimus[2]: Nõ defendere videri non tantùm qui pręſens negat ſe defendere, aut non vult ſuſcipere actionem, ſed & eũ qui latitet: rectè opinor & ex mente Iuriſconſulti feciſſe nos fatebitur, qui ad naturã horum articulorum Non tantùm ſed &, aliorúmque conſimilium aſpexerit: quorum ea vis eſt, vt quæ faciliora, clariora, notiora ſunt prius proponi, tum deinde (vt creſcat oratio) ad difficiliora, obſcuriora, ignotiora progreſſum fieri, atque vt ita loquar, aſcendi oporteat: nam artificioſum illum, hunc naturalẽ verborum ordinẽ eſſe illico deprehendet. Artificioſo Iuriſconſulti plerunque orationis comendæ atque ornandæ gratia vtuntur: quod qui nõ intelligunt, eos in quamplurimis Pandectarũ locis, vel interpretatione planiùs explicandis, vel aſſequendis intelligentia, cæcutire hallucinaríque neceſſe eſt. Eorum locorum nonnullos pridẽ Cuiacius noſter indicauit[3]: cuius ductu atque exemplo ipſe quoque mox aliquot alios aliquãto difficiliores & obſcuriores demõſtraturus ſum. Vlpianus ita ſcribit[4]: Quæ in adulterio deprehenſa eſt, quaſi publico iudicio damnata eſt. Proinde ſi adulterii condemnata eſſe proponatur, non tantùm quia deprehenſa eſt erit notata, ſed quia & publico iudicio damnata eſt. Quæ verba ſic accipi debent, quaſi hoc modo ſcripta ſint: Non tantùm quia publico iudicio damnata eſt, erit notata: ſed & quia deprehenſa eſt. Nã de damnata publico iudicio nulla eſt dubitatio, ſed de deprehenſa in adulterio, propterea quòd non hanc, ſed illã ipſis Senatuſconſulti verbis apprehendi cõſtat: ſi quidẽ Senatus, auctore Vlpiano[5], cenſuit non conueniens eſſe vlli Senatori vxorem ducere, aut retinere damnatã publico iudicio. Veruntamen cùm factum & crimen lex, id eſt mens legis non ſentẽtiam & rem iudicatam notauerit, illi quoque notam obeſſe debere ſentit Vlpianus, quæ deprehenſa ſit, licet poſt deprehenſionem abſoluta fuerit. Sic etiam illa Pauli verba[6] expono: Agente te familiæ herciſcũdæ iudicio non veniet, nõ ſolùm hoc quod pro hærede poſſidetur, ſed nec id quod pro emptore. Cùm. n. dubitatio maior incideret de re pro hærede poſſeſſa, quàm de ea quæ pro emptore poſſidetur, certiúſq. ſit hãc quàm illã in propoſita ſpecie nõ venire in familiæ herciſcũdæ iudiciũ, in quod hæc nunquã illa plerunq. venit[7]: ordo verborũ naturalis hic erat: Nõ ſolùm hoc quod pro emptore poſſidetur, ſed nec id quod ꝑ hærede. Verùm artificioſo Paulus vti maluit, vt & Calliſtr.[8] quo loco Solidũ ait, nõ ſoluitur nõ minus quãtitate, quàm die: hoc. n. ſine dubio ſenſit Iuriſcõſultus, nõ minus die quàm quantitate ſolidũ non ſolui: atque vt re ipſa manifeſtũ eſt, ſo-

1 l. 52. D. de reg. iuris.
2 in commẽ. ad ti. de reg. iur. l. nõ defendere 52.
3 ad tit. de lege Aquil. Inſtit. lib. 4. & obſeruat. lib. 3. cap. 5.
4 l palàm. 43. D. de ritu nupt.
5 d. l. 43. §. Senatus.
6 l. hæredes eius. 25. §. i- dẽſcribit. D. famil. herciſ.
7 d. l. hæredes eius. §. quod pro emptore. & l. ſi quid contendis. eod. tit.
8 l. ſolidum. 85. D. de ſolut.

lidum non ſolui ſi quid quantitati deſit, ſic etiam verum eſſe non ſolui ſolidum, ſi quantitas quidem ipſa non tamen ad diem dictam ſoluta ſit. Atque id ipſum his verbis Vlpianus extulit [1]: Minus ſoluit qui tardius ſoluit, nam & tempore minus ſoluitur. Vim facio in articulo Et, vt Iuriſconſultum hoc ſenſiſſe intelligam, non modò quantitate, ſed etiam tempore minus ſolui: nam quantitate minus ſolui, & ſolidum non ſolui, nemo vnquam, niſi planè ſtolidus & rationis expers, in controuerſiam adduxerit: quamobrem ita interpretatio facienda eſt, tanquam hoc priore, illud poſteriore loco ſit poſitum. Vt quo loco Vlpianus inquit [2]: Tam principales, quàm ſecundas tabulas edicto quemadmodum teſtamenta aperiantur & inſpiciantur contineri, hoc eſt tam ſecundas quàm principales, de quibus nulla eſt dubitatio. Sic pecuniæ nomine, ait Hermogenianus [3], tam corpora, quàm iura cõtineri: hoc eſt tam iura, quàm corpora. Sic denique Papinianus tam iuris, quàm facti quæſtionem moueri ſcribit [4]: intelligens tam de facto quod rarum eſt, quàm de iure de quo plerunque interrogari & reſpondere Iuriſconſulti ſolent, in propoſita quæſtione diſpici oportere: id quod ea quæ ſubiicit ſatis oſtendunt, nos breuitatis gratia omittimus. Eadem ratione quoddam Arcadii & Honorii reſcriptum, quod in codice Iuſtiniani extat [5], interpretamur: in eo ſic eſt, Iudices tam Latina quàm Græca lingua ſententias proferre poſſunt: nam cùm olim decreta interponi Latinè non Græcè oporteret, vt Triphoninus docet [6], poſteà tranſlato Byzantium imperio placuit Imperatoribus, vt quæ Iuris ciuilis erant non modò ciuilibus & legitimis, atque adeò Latinis verbis conciperentur, ſed etiam Græcis, propter vtilitatem publicam, quod hæc quàm illa Byzantino populo notiora erant: quam ob rem Imperatores quoque Valentinianus & Theodoſius non modo Latinè, ſed etiam Græcè teſtari omnibus permiſerunt [7]. Ergo apud Arcadium & Honorium, tam Latina quàm Græca, pro tam Græca, quàm Latina, id eſt non modò Latina, ſed etiam Græca. Cæterùm eruditus alioquin & acutus Iuriſconſultus [8] fallitur, qui reſcriptum iſtud verborum tranſpoſitione vitioſum, atque vti nos explicamus ita ipſe reſtituendum aſſerit. Poſtremò ita quoque accipiendum eſt illud Iuſtiniani, vbi: Nam cùm neceſſitas (inquit [9]) patri vel matri, qui ad ſecunda vota migrauerit, tantum præſtare per quamcunque cauſam ſecundo marito vel nouercæ, quantum filio vel filiæ ex anterioribus nuptiis progenitis, qui partem minimam habiturus eſt reliquerit. Refert enim ius introductum Leonis conſtitutione, atque edictali lege, qua pater materve procreatis ex priore matrimonio liberis, ſi alias affectauerit nuptias, tantum cuicunque ex iis liberis, quantum vitrico, vel nouercæ ipſorum dare iubetur, plus donare, aut relinquere vitrico vel nouercæ, quàm vnus ex prioris matrimonii liberis habiturus ſit, cui minimum datum eſt, prohibetur [10]. Cæterùm non modò Iuriſconſultis, verùm etiam auctori grauiſſimo Senecæ, id loquendi genus perfamiliare fuiſſe reperio: quod qui non animaduerterant, Deus bone, quàm fœdè turpitér-

1 l. ſi cui. 12. §. vlt. D. de verb ſignifi.
2 l. 2. §. 1. verſ. ad cauſam. D. Teſtamenta quẽadmod. ape.
3 l. pecuniæ. 222. D. de verb. ſign.
4 l. miles. 11. §. mulier. D. ad leg. Iul. de adulter.
5 l. iudices 12. C. de ſenten. & interloc. iudic.
6 l. decreta. 48. D. de re iudica.
7 l. hac cõſultiſſima. §. vl. C. de teſta. l. directas. C. de teſta. manum.
8 Iac. Rauar. cap. 2. li. 4. varior.
9 l. vlt. §. 1. C. de ſecund. nupt.
10 l. hac edictali. C. eod. tit.



pitérque lapſi ſunt, dum in emẽdandis, vt ipſi exiſtimarunt, at quemadmodum ipſe iudico deprauandis Senecæ ſcriptis laborarunt! Equidem interpretis eruditiſſimi [1] factum nec excuſare, nec ferre poſſum, qui teſtatur ſe apud Senecam [2] horum verborum: Alioquin tam mali exempli eſſet occidere dominum quàm prohibere, ita ordinem immutaſſe contra probatorum & veterum codicum fidem, vt legatur in excuſis, Prohibere dominum quàm occidere: & ſi enim Senecæ ſententiam interpres omnino aſſecutus eſt, illum tamen loquendi morem non percepit, & ideò perperam optimi auctoris verba loco mouit, atque vt ex animi ſui ſenſu tranſpoſita ederentur curauit. Cur perperam? quia ſcilicet alibi quoque haud infrequenter vti diximus, ita loquitur Seneca, veluti cùm ait [3]: Hæc nempe ſunt alimenta, quibus hic mundus adminiſtratur: Aqua, Terra, Spiritus. Omnia iſta tam cauſa viuendi ſunt, quàm viæ mortis. voluit dicere, Omnia iſta tam vias eſſe mortis, quàm viuendi cauſas. Subiicit enim: Itaque quamprimùm moriar. Quamprimùm iſtud quod eſſe vis? quem illi diem ponis? Citiùs fieri quàm optas poteſt. & paulò antè poſuerat: Homo demens optas rem tuam, Ita quamprimùm moriar. Fortaſſe inter has voces ſenex factus es. Alioqui quid in mora eſt? Nemo te tenet, euade quà viſum eſt. Elige quamlibet rerum naturæ partem, qua tibi præberi exitum iubeas. Non eſt abſimile genus loquendi, quod ab eodẽ auctore vſurpatur, vbi ait [4]: Æquè enim offendiſſe illum quàm amaſſe periculoſum fuit. & alibi [5]: Æquè dignus eſt pœna qui ipſe vim adhibet, vt qui ab alio admota ad lucrum ſuum vtitur: æquè dignum eſſe pœna ſignificans eum, qui admota vi vtitur, ac eum qui adhibet. Item [6]: Æquè laudabilis eſt virtus in corpore valido ac libero poſita, quàm in morbido ac vincto: pro in corpore morbido ac vincto poſita, quàm in valido ac libero: ſiquidem ſtatim ſubiicit: Ergo tua quoque virtus non magis laudabilis, ſi corpus illæſum tibi & integrum fortuna præſtiterit, quàm ſi ex aliqua parte mutilatum. & alio loco [7]: Æquè enim timent ne apud inferos ſint, quàm ne nuſquam: pro ne nuſquam ſint, quàm ne apud inferos: ſed vt ſimiliora ei quod è Seneca primùm attulimus exempla proponamus, ſic is ipſe loquitur alibi [8]: Hic tam turpe putat mortem fugere, quàm ad mortẽ confugere: pro ad mortem confugere, quàm mortem fugere, qui rectus verborum ordo fuit: etenim paulò antè dixerat: Ipſe vitæ plenus eſt, cui adiici nihil deſiderat ſua cauſa, ſed eorũ quibus vtilis eſt: Liberaliter facit quod viuit: Alius iam hos cruciatus finiſſet. Itémque vbi de Alexandro [9]: At hic à pueritia latro, gentiúmque vaſtator, tã hoſtium pernicies quàm amicorum, qui ſummum bonum duceret terrori eſſe cunctis mortalibus: pro, Tam amicorum pernicies quàm hoſtium: quippe cùm apud Iulianum Imperatorem [10] ita Iulius Cæſar de ipſo Alexandro loquatur: ὁ δ᾽ πρὸς τοῖς πολεμίοις οὐδὲ τῶν φίλων ἀπέχετο. (*qui præterquam hoſtibus etiam ab ipſis amicis non ſibi temperabat.*) Sed alibi quoque idem Seneca [11]: Denique illius demum magnitudo ſtabilis fundatáque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quàm pro ſe

1 Er. Rot.
2 epiſt. 78.
3 epiſt. 118.
4 epiſt. 56.
5 declamat. 8. lib. 4.
6 epiſt. 67.
7 epiſtol. 83.
8 epiſt. 99.
9 lib. 1. de beneſic. cap. 13.
10 in libro qui συμπόσιον ἢ κρόνιον inſcribitur, quẽ ipſe calamo exaratum habeo.
11 lib. 1. de clemẽtia c. 3.

ſciunt:ſic dixit,illud ſcilicet intelligens: Tam pro ſe eſſe,quàm ſupra ſe ſciunt.Subiicit enim,cuius curam excubare pro ſalute ſingulorum atque vniuerſorum quotidie experiuntur.Et alio loco [1] :Erras enim,ſi putas animoſiùs detrimenta diuites ferre : Maximis minimíſque corporibus par eſt dolor vulneris. Bion eleganter ait:Nõ minus moleſtum eſſe caluis,quàm comatis pilos velli:pro, comatis quàm caluis:vt & apud Iuſtinianum noſtrum alicubi [2] :Nam alioqui non minus ex dolo , quàm ex culpa quiſque hac lege tenetur. Sic enim eſt in omnibus impreſſis & manuſcriptis:quamobrem ita inuerti verba non debent,vt legatur : Non minus quàm ex dolo ex culpa:ſed retenta vulgata eadémque germana lectione,ſic ea interpretari verba conuenit,quaſi naturali ordine ſcripta eſſent hoc modo:Non minus ex culpa,quàm ex dolo.Simile eſt enim illud Calliſtrati:Non minus quantitate,quàm die,quod antè retulimus.itémque illud Senecæ:Non minus caluis,quàm comatis. Apud quẽ ita etiam explicandũ,quod ait alibi [3] : Maiora aut certè paria conatur animus magnus ac perditus:voluit dicere maiora aut paria perditũ animum,ac magnũ conari:nam paulo antè, Nullus (inquit) pernicioſior hoſtis eſt,quàm quem audacem anguſtiæ faciunt, longéque violẽtiùs ſemper ex neceſſitate,quàm ex virtute corrigimur. Poſtremò idem auctor more ſuo ita ſcripſerat in lib.VI.de beneficiis [4]:Ideò non eſt trepidandum,quàm cito reponamus , nec properandum intempeſtiuè, quia æquè delinquit qui ad referendam gratiam ſuo tempore ceſſat,quàm qui alieno properat. Quamobrẽ non poſſum non improbare,quod vir alioqui doctus [5] ,qui cagiſtationes ad Senecam edidit,ſed eius figuræ immemor,quam in ſcribendo vſurpare Seneca conſueuerat,verborum ordinẽ ſic immutauit:vt, naturalem potius,quàm artificioſum ſequutus, & ſola coniectura nullius veteris libri auctoritate nixus,reponendum curaret id quod paſſim excuſis in libris hodie legitur : AEquè delinquit qui ad referendã gratiam properat tempore alieno,quàm qui ſuo ceſſat. Ergo apud Senecam auctore me reſtituatur vetus lectio, vt & apud Sidonium Apollinarem [6] :quo loco impreſſus liber habet:Cùm fortè pergens vrbem ad Aruernam publicum ſcelus è ſupercilio vicini collis aſpexi,méque equo effuſo tam per abrupta quàm per æquata proripiẽs, & moræ exiguæ, ſic quoque impatiens antè quàm peruenirem, facinus audax præuio clamore compeſcui.Nam in meo vetuſtiſſimo & optimo codice manu exarato legitur : Tam per æquata , quàm per abrupta proripiens:quod haud dubiè ſcripſit Sidonius , eadem illa ſcilicet loquendi formula,de qua cùm exemplorum affatim protulerimus,nihil eſt cur amplius loquamur.

1 *lib. I. de tranquil. vitæ cap.8.*
2 *§.Iniuria. Inſtit. de lege Aquilia.*
3 *lib.2. natural. quæſtio. cap.vlt.*
4 *ca.43 & vlt.*
5 *Fern.Pincia.*
6 *lib.3.epiſt. 12.*

---

*Menda ob verborum tranſlationẽ conflata tolluntur ex Vlpiani & Pauli Iuriſconſultorum reſponſis.Bona fide ſoluere, dicere , ſcribere. Vel tranſpoſitum in Pand.Florent.Explicatur & emendatur l.I.c.Ne fideiuſſor.vel mandat.dot.dentur.& de iure,lege,& conſuetudine.Mendũ apud*



*apud Zonaram vnum , & alterum apud Dionem ex illa verborum tranſlatione ortum indicatur.*

## CAP. XXIIII.

SEd quoniam de peruerſo verborum ordine agere cœpimus, quales inde natos in Pandectarũ libris errores meus doctor ſuſtulit [1],tales ipſe aliquot,ſi potero,caſtigare atque corrigere nunc iàm conabor.Ex Vlpiani reſponſorum libris hoc in Pandectas relatũ eſt [2] :Idem Frontoni reſpondit perſeueranti tutori in tutelæ adminiſtratione,licet capitis reo,potuiſſe id quod pupillo bona fide debetur exolui. Legendũ videtur verbis loco mutatis, Potuiſſe id quod pupillo debetur bona fide exolui:vt illud Bona fide,non ad obligationem,ſed ad ſolutionem referatur.quod ſic demonſtro:Tutori conceſſum eſt à debitoribus pupilli pecuniam exigere, vt ipſo iure liberentur [3] :hoc ideò quoniam tutor domini loco habetur [4], adeò vt pupillo ſolui ſine ipſius auctoritate non poſſit [5] :quòd ſi poſtulato criminis reo interim nihil prohibet rectè pecuniam à debitoribus ſolui [6] ,dummodo perduellionis reus non ſit,quod crimen magni Antonini reſcripto exceptũ eſt,cuius Martianus Iuriſc. meminit [7] :cur non etiã rectè atque vtiliter tutori , licet criminis etiã capitalis poſtulato ſoluetur pecunia pupillo debita , ſi bona fide id fiat?Bonã fidem interuenire neceſſe eſt,quo modo ex parte tutoris, vt quæ ab eo geſta ſunt,rata habeantur atque ſeruentur [8] : quod in re pupilli tũc domini loco habetur,cùm tutelã adminiſtrat,nõ cùm pupillũ ſpoliat,auctore Iuliano [9] : ita etiã ex parte eius qui ſoluit: quãobrẽ in hac facti ſpecie,cùm quis filiũ impuberem hæredẽ inſtituit,& Stichũ ratione argenti quod ſub cura eius eſſet reddita liberũ eſſe iuſſit,ſi ſeruus partẽ argenti ſubtractam cũ tutore diuiſit, atq.ita tutor parem ei rationẽ adſcripſit,conſultus Africanus an Stichus liber eſſet,reſpondit [10],non eſſe liberũ:quia ſcilicet non bona fide ſeruus rationẽ reddiderit:& adiicit Iuriſconſultus , quod cùm emendationẽ noſtram,tũ de bona fide omnia quæ tractauimus modò,mirificè probat atq.confirmat,ſi vt oportet expendatur : ideóq. hîc inſerã:Nã quod alioquin placet(inquit) ſi ſtatuliber pecuniam dare iuſſus tutori det, vel ſi per tutorẽ ſtet quominus pareatur cõditioni,peruenire eũ ad libertatẽ:ita accipiendũ,vt bona fide & citra fraudẽ ſtatuliberi & tutoris id fiat , ſicuti & in alienationibus rerũ pupillariũ ſeruatur.Itaq.& ſi offerente ſtatulibero pecuniã tutori in fraudem pupilli accipere nolit,nõ aliter libertatẽ cõtingere, quàm ſi ſeruus fraude careat.Eadémq.& in curatore dicẽda.Hæc Africanus [11] & rectè:Igitur ſi quid in fraudẽ geſtũ fuerit,quẽadmodũ interdicto fraudatorio tenetur is,qui cũ tutore conſiliũ fraudis participat,in ſpecie quam Papinianus alicubi proponit [12],quemadmodũ qui pluris alteri fundũ locauit,quàm Titio pupilli patri antea locauerat,ex conducto tenetur in id , quod pupilli interfuit , in ſpecie quadam à Iuliano tractata [13] ,ſi locator,cũ tutore colluſerit [14] : ſic etiã cùm quid pupillo debitũ,reo criminis tutori ſoluitur,ita demũ

1 *Cuiacius cap. 38.li.1. obſeruat.*
2 *l.quãuis. 45.§.vlt.D de ſolutionib.*
3 *l.Lucius Titius, 47. §.vlt. D.de adminiſt. tut.*
4 *l.interdũ. 58.§.qui tutelam. D.de furtis.*
5 *l.pupillo. 15.D. de ſolut.*
6 *l.reo criminis.41.D.de ſolutionib.*
7 *l.vlt.D. ad leg.Iul. maieſt.*
8 *l.quidam decedens. 6. l.cum plures.13.§. quæ bona. D.de adminiſt. tut.*
9 *l.qui fundum.7.§.ſi tutor.D.pro emptore.*
10 *l.qui filiũ 22. in princip. D. de manum.teſt.*
11 *d.l.qui filium.§.1.D. de manum. teſt.*
12 *l.pupilli debitor. in princip.D. de ſolution.*

rectè ſoluitur, hoc eſt, tunc demum contingit liberatio, ſi non malum conſilium is qui ſoluit habuerit: propter quod in fiſci, vel pupilli fraudem aliquid factum ſit. Atque ita intelligimus bona fide ſoluere, hoc de quo agimus in loco: in quo quemadmodum traditur, ſecundum eam quam reſtituimus lectionem, Tutori qui adminiſtrationem adhuc rerum pupillarium habeat, licet capitis reo, ſi bona fides interuenerit, vtiliter ita vt ſequatur liberatio, ſolui pecuniam pupillo debitam. Sic etiam Hermogenianus de alio, quàm tutore loquutus generaliter definit[1]: In reatu conſtitutum bona ſua adminiſtrare poſſe, eíque debitorem rectè bona fide ſoluere: hoc eſt, ita demum ſolutionem illam efficacem eſſe, atque vtilem ad liberationem pariendam, ſi non malo fraudandi fiſci animo fiat, ſed bona eius qui ſoluit fide. Cæterùm non videtur bona fide ſoluiſſe, atquè adeò ne rectè quidem, ita vt à pupillo liberetur is qui ſoluerit, aut ei tutori cui ſit interdicta bonorum pupilli adminiſtratio (qualis eſt damnatus & relegatus: in cuius locum curator ſubſtitutus ſit) aut ei quem ſciebat eſſe ſuſpectum poſtulatum, aut alij quàm tutori: vt puta matri fortaſſe, quæ ius adminiſtrationis non haberet, aut cuiuis alij, qui non tutor, ſed pro tutore negotia gerat, & cuius dolum pupillo non nocere verum eſt[2]. Hæc quæ diximus, Vlpianus latè ac diligenter quodam loco[3] explicat: quibus addatur quod ad Scæuolam Claudianus notauit[4]: Argentarios non videri pretia rerum pupillarium per eos, iuſſu matris, venditarum (quæ ſcirent eſſe pupillæ) bona fide ſoluiſſe matri, quam ius adminiſtrationis nõ habere ſcirent: ideóque tali ſolutione non eſſe liberatos, ſcilicet ſi mater ſoluendo non ſit. His autem omnibus in locis vtuntur eo loquendi genere Iuriſconſulti, quod apud Vlpianum ipſi reſtituimus, vt bona fide ſolui aliquid dicant: quod hanc vim habet, vt cui debuit, atque vti debuit, nullo fraudis, doli mali, vel ſimulationis interuentu, non perfunctoriè, non imaginatoriè, ſed omnino reuera facta ſit ſolutio.

1 l. auſertur. 46. §. In reatu. D. de iure fiſci.
2 l. apud Celſum 4. §. Illa etiam. verſi. ſi quis nõ tutor. D. de doli except.
3 l. quod ſi fortè. 14. §. 1. in princi. & verſ. quid ergo. D. de ſolutionib.
4 l. filiæ 38. D. de ſolut.

Eadem ſignificatione illud Bonæ fidei verbum, apud alios quoque Latinos auctores veteres reperias. Apud Plautum in Moſtellaria[5]:

5 act. 3 ſc. 1.

*--- de vicino hoc proximo*
*Tuus emit ædes filius. Te. bona fide?*
*Tr. Siquidem es argentum redditurus, tum bona:*
*Si redditurus non es, non emit bona.* & in Aulularia[6]:
*Eu. Dic bona fide, tu id aurum non ſurripuiſti? Ly. non, bona.*
& in Captiueis[7]:
*Dic, bonan' fide tu mihi iſthæc verba dixiſti? Er. bona.*
& in Pſeudolo[8]:
*Bonan' fide iſtuc dicis?*

6 act. 4. ſce. vlt.
7 act. 4. ſc. 1.
8 act. 4. ſc. 6.

Bona fide autem dicere eſt, quod ait Cæſar[9], ſincerè pronunciare: cui contrarium dolo dicere, hoc eſt non verè, non ex animi ſententia, apud ipſum Plautum[10]: vbi

9 lib. 7. comment. de bel. Gall.
10 in Trinummo, act. 2. ſc. 4.

*Ph. Rem fabulare. St. non tibi dicam dolo,*

Decedam



*Decedam ego illi de via, de ſemita,*
*De honore populi, verùm quod ad ventrem attinet,*
*Non hercle hoc longè niſi me pugnis vicerit, &c.*

Bona fide autem, eo quo dixi ſenſu, legas apud Senecam frequenter in epiſtolis, vt quo loco, Ita eſt (inquit[1]) mi Lucili paucos ſeruitus plures ſeruitutem tenent, ſed deponere illam in animo eſt, & libertas bona fide placuit. Item: Et auaritiam itaque (inquit[2]) & ambitionem, & cætera mala mentis humanæ tunc pernicioſiſſima ſcias eſſe, cùm ſimulata ſanitate ſubſidunt. Ocioſi videmur & non ſumus. Nam ſi bona fide ſumus, ſi receptui cecinimus, ſi ſpecioſa contempſimus, vt paulò antè docebam, nulla res nos auocabit. & [3], Nulli non virtus & viuo & mortuo retulit gratiam, ſi modò illam bona ſequutus eſt fide, ſi ſe non exornauit & pinxit, &c. adiicit ſtatim, Nihil ſimulatio proficit, paucis imponit leuiter extrinſecus inducta facies, veritas in omnem partem ſui ſemper eadem eſt. Itémque[4]: Tigres leoneſque nunquam feritatem exuunt, aliquando ſubmittunt: & cùm minimè expectaueris, exaſperatur toruitas mitigata. Nunquam bona fide vitia manſueſcunt. Sexcentis denique locis[5] id verbi ea ſignificatione Seneca vſurpauit: à quo etiam quæ vera & ſolida eſt gloria, miniméque fallax, ea fidelis, ſtabiliſque nominatur alicubi[6], & fideliter ſedere[7] quod hæret nec eximi poteſt, & fidelis intentio[8] quæ conſtans firmáque eſt. & fidelius ridere dicitur, cuius hilaritas ficta non eſt, & cui nulla ſolicitudo in alto eſt, qui malis, vt eſt apud Horatium, alienis non ridet. Statius quoque Papinius Bona fide cùm dixit, quod Reuera & ex animo dicimus intellexit in illo loco[9]: Nam qui bona fide Deos colit, amat & ſacerdotes. & Quintilianus in Inſtitut. orator.[10] Neque enim ſe bona fide in multa ſimul intendere animus totum poteſt, & quocunque reſpexerit, deſinit intueri quod propoſitum erat. & in declamat.[11]: Non quoniam ſemel conſueueramus, & bona fide ferarum eſſe ciuitas cœperat, hic primus nobis ex tam tardo commeatu placuit cibus? Sed vt domum redeamus Apud Martianum noſtrum[12], vbi nõ eſſe credendum Irenarcharum literis tradit, quia non omnes ex bona fide elogia ſcribere compertum ſit, Bona fide ita interpretor, vt ſignificet, ex officio, & (quemadmodum Iuriſconſultus idem paulò pòſt[13] loquitur) non malignè, nec parum prudenter, ſed diligenter ac fideliter. Hæc ad illuminandum & explanandum Vlpiani reſpõſum abundè mea quidem opinione ſufficiunt: in quo vt mendum à verborum tranſlatione profectum notaui, & caſtigandum eſſe docui, ſic & in altero Pauli ad Sabinum loco eſſe corrigendum ſtatim ſentiet, qui iudicio in literis aliquo præditus in eum locum inciderit, vbi ſcriptum[14]: Si filiafam. res amouerit, Mela & Fulcinius aiũt de peculio dandam actionem, quia diſplicuit eam furti obligari, vel in ipſam ob res amotas dari actionem. Atqui non ideo datur de peculio in patrem actio, quod filiam furti obligari diſplicuerit: nã & ex furtiua cauſa pater filijfa. nomine tenetur de peculio, quatenus videlicet ipſum locupletius effectum eſt, vt capite XII. docui-

1 epiſt. 22.
2 epiſt. 57.
3 epiſt. 30.
4 epiſt. 86.
5 epiſt. 72. & cap. 1. li. 1. de tranq. vitæ, & de conſolatione ad Albinum ca. 16.
6 epiſt. 21.
7 epiſt. 51. ad fin.
8 epiſt. 72. ad fin.
9 in præfatione lib. 5. ſyluarum.
10 ca. 3. lib. 10.
11 declam. 11. paſti cadaueris.
12 l. Diuus Adrianus. in princi. D. de cuſtod. reor.
13 d. l. diuus. §. vlt.
14 l. 3. §. ſi filiafa. D. rer. amot.

X j

mus:nec ob res à filio filiáve familias amotas pater in amplius conueniri poteſt:in peculium etenim condictio competit:ſed aduerſus filiamfam. quæ vxor fuit, & diuortii cauſa res amouit, atque ita veritate (vt Triphoninus loquitur[1]) furtum fecit, ſingulare iudicium rerum amotarum introductum eſt: quamuis enim furtum fecerit, furti tamen actionem (quæ ſcilicet famoſa & turpis eſt) aut furtiuã condictionem aduerſus eam quæ vxor, atque adeò vitæ ſocia fuit, in honorem matrimonii denegari placuit, vt alio loco traditur[2]: ídque manifeſtiſſimum eſt. Quamobrem erit (vt opinor) nemo adeò peruicax, qui mihi non aſſentiatur, immutato verborum ordine ita legenti: Si filiafa. res amouerit, Mela & Fulcinius aiunt de peculio dandam actionem, vel in ipſam ob res amotas dari actionem, quia diſplicuit eam furti obligari: niſi quis forſitan malit hoc modo, vt articulus ille VEL duntaxat in aliam ſedem transferatur, ſed eodẽ quo dixi ſenſu reſtituere, De peculio dandam actionem, vel quia diſplicuit eam furti obligari, in ipſam ob res amotas dari actionem. Nam aliis etiam in locis Florentinæ Pandectæ ſcriptum habent[3]: In inſulam deportatus, ſi effugiens militiæ ſe dedit, lectus vel diſſimulauit, pro vel lectus diſſimulauit, & [4] qui in ius dominium vel alterius ſuccedit, pro qui in ius vel dominium. Sed ne quis Pandectas duntaxat illo laborare malo exiſtimet, libenter faciam, vt mendum in quodam Imperatorum reſcripto haud abſimile, quod olim deprehendere viſus ſum, oſtendam. Verba hæc ſunt Imppp.[5] Gratian. Valentin. & Theod. AAA. ad Cynegium Præf. prætò. Siue ex iure, ſiue ex conſuetudine lex proficiſcitur, vt vir vxori fideiuſſorem ſeruandæ dotis exhibeat, tamen eam iubemus aboleri. Ego autem etſi vulgatam ſcripturam librorum veterum auctoritate ſtabilitam ſció, ipsíque hanc & nouam & ſatis commodam interpretationem adfingi poſſe, ſi legem ad pactum ex continenti dotis conſtitutioni adpoſitum referamus: vt ea pactio ſiue ex iure ſcripto, id eſt legibus, ſiue ex non ſcripto, id eſt conſuetudine proficiſcatur, quæ vetat fideiuſſorem ſeruandæ dotis cauſa vxori à marito exhiberi, abolenda omnino & extinguenda ſit: præſertim cùm Valentin. Theodoſ. & Arcad. Imppp. omnium ſponſorum vel fideiuſſorum in cauenda dotis ſponſione promiſſiones à ſe abſolui poſtea reſcripſerint[6]: nihilominus tamen vt cum Accurſio, Bartolo, & aliis legem hoc loco ius ſiue ſanctionem aliquam Imperatorum non contrahentium pactionem exponamus, illa Proficiſcendi & Abolendi verba faciunt: quo poſito, illud ſtatim accedet, locum, qui à verborum tranſlatione mẽdoſus eſt, ita potius legendũ eſſe, Siue ex lege ſiue ex cõſuetudine ius proficiſcitur, &c. id iubemus aboleri. Nã ius quidem vt ex legibus, ita ex longa conſuetudine proficiſcitur: & (vt ait Vlpianus[7]) Diuturna cõſuetudo pro iure & lege in iis quæ nõ ex ſcripto deſcendunt obſeruari ſolet: cui cõgruit quod Tertul. ita extulit alicubi[8]: Cõſuetudo autẽ etiã in ciuilib. verbis pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex: nec differt ſcriptura an ratione conſiſtat, quando & legẽ ratio cõmendet. At profectò cõſuetudo lex nõ eſt, ſed diuturni

mores

1 *l. pen. D. D. rer. amot.*

2 *l. 1. & 2. eod. tit.*

3 *l. 4. §. in inſulam. D. de re milit.*

4 *l. qui in ius. 177. D. de reg. iur.*

5 *l. 1. C. Ne fideiuſſor. vel mandat. dotdentur.*

6 *l. 1. C. Theod. de fideiuſſor. dot. tit. 15 lib. 3.*

7 *l. diuturna 32. D. de legib. iuncta l. de quibus l. ſed ea. & l. ſeq. eod. tit.*

8 *in li. de corona militis unde ſumptus eſt can. 5. diſt. 1.*



mores conſenſu vtentium comprobati, qui conſuetudinem efficiũt legem imitantur, vt eſt apud Iuſtinianum[1]: hactenus ſcilicet (Hermogeniano[2] auctore) vt ea quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſeruata, velut tacita ciuium conuentio non minus quàm ea quæ ſcripta ſunt iura ſeruentur. Sed neque lex proficiſcitur à conſuetudine, à qua omnino ſeparatur, adeò vt ei aduerſari exiſtimetur: ideóque Cicero: Conſuetudinis autem ius (inquit[3]) eſſe putatur, id quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobarit. In ea autem iura ſunt quædam ipſa iam certa propter vetuſtatem. Ait Cicero Sine lege meritò: nam cùm ius noſtrũ (ait Vlpianus[4]) conſtet aut ex ſcripto, aut ſine ſcripto, vt apud Græcos, τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι. *lex quidem ſcripto conſtat, ſine ſcripto ius venit*, quod vſus, id eſt conſuetudo approbauit[5]. Quamobrem Quintilianus omne ius quod eſt certum, aut ſcripto, aut moribus conſtare tradit[6]: & Cicero ius quod eſt lege, ſeiungit atque diſtinguit ab eo, quod eſt conſuetudine ſiue moribus in ſupra d. loco: & Diogenes Laertius in Platone[7]: νόμου διαίρεσις δύο. ὁ μὲν γὰρ γεγραμμένος, ὁ δὲ ἄγραφος. ᾧ μὲν ἐν ταῖς πόλεσι πολιτευόμεθα, γεγραμμένος ἐστίν. ὁ δὲ κατὰ ἔθη γινόμενος, οὗτος ἄγραφος καλεῖται, οἷον τὸ μὴ γυμνὸν πορεύεσθαι εἰς τὴν ἀγορὰν, μηδὲ γυναικεῖον ἱμάτιον περιβάλλεσθαι. ταῦτα γὰρ οὐδεὶς νόμος κωλύει, ἀλλ᾽ ὅμως οὐ πράττομεν διὰ τὸ ὑπὸ ἀγράφου νόμου κωλύεσθαι. τοῦ ἄρα νόμου ἐστὶν ὁ μὲν γεγραμμένος, ὁ δὲ ἄγραφος. (*Legis gemina eſt diſtributio, altera ſcripta, altera verò non ſcripta. Prior illa eſt ciuilis, qua Remp. adminiſtramus, quæ verò citra ſcripturam eſt, ea à natura & vſu proficiſcitur, quale eſt nudum in foro ambulare nõ debere, aut vti veſte muliebri, quod nulla lege ſcripta prohibetur: nam ab eiuſmodi ſola citra ſcripturam lex vetat. Legum ergo aliæ ſcriptæ ſunt aliæ non ſcriptæ.*) Qua de re loci ſunt complures apud Platonem & Ariſtotelem, quos cùm doctiſſimus Budæus pridem indicarit[8], ego ne attingam quidem, nedum vt eorum hîc verba inſeram atque tranſcribã: non enim aut vacat, aut etiam ex more meo licet. Iſidorus profectò non malus auctor, inter legem & mores rectè ait[9] hoc intereſſe, quòd lex ſcripta, mos verò ſit vetuſtate probata conſuetudo, ſiue lex non ſcripta. Cùm igitur aliud ſit lex, aliud conſuetudo ſiue mores: & pleraque in iure non legibus, ſed moribus cõſtent, auctore Quintiliano[10], vtrumque iuris nomine continetur. Ius enim genus eſt, Lex verò, itémque conſuetudo ſpecies eiuſdem generis diuerſæ[11]: ab vtroque Ius oritur atque proficiſcitur. Quamobrem vtriuſque peritus ille ſit oportet, qui ſe Iuriſconſultum eſſe profitetur. Sic enim Cicero[12]: Si autem quæreretur quis iuriſconſultus verè nominaretur, eum dicerem, qui legum & conſuetudinis, qua priuati in ciuitate vterentur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cauendum peritus eſſet. Sed & iuris conditor, qui optimum Reipublicæ ſtatum vult conſtituere non modò de legibus ſanciendis, verumetiam de moribus atque inſtitutis in Remp. inducendis eſſe debet ſolicitus: itaque Solonẽ laudat Anacharſis apud Lucianũ[13], nõ modò quod cum intellexerit νόμων ξυγγραφέα εἶ(ναι). (*Legum eſſe laterem,*)

1 *§. ſine ſcripto. Inſti. de iure natur. gent. & ciuili.*

2 *l. ſed ea que 34. D. de legib.*

3 *lib. 2. de inuentione.*

4 *l. ius ciuile. 6. D. de inſtit. & iu.*

5 *§. ſine ſcripto. Inſtit. de iure naturali gent. C. ciuil.*

6 *lib. 12. Inſti. cap. 3.*

7 *lib. 3. de vitis philoſoph.*

8 *in annotationibus ad l. ius ciuile. D. de inſtit. & iure.*

9 *lib. 2. etymol. cap. 10. & lib. 5. c. 3.*

10 *lib. 5. Inſtitut. orator. cap. 10.*

11 *can. 2. diſtinct. 1.*

12 *lib. 1. de oratore.*

13 *Anacharſi ἢ περὶ γυμνασίων.*

ſed etiam ἐθῶν τῶν ἀρίστων εὑρετὴν, καὶ ἐπιτηδευμάτων ὠφελίμων εἰσηγητήν. (*Morum optimorum inuentorem, & utilium inſtitutorum authorem.*) Laudat Ægyptios alicubi Diodorus[1], quòd moribus optimis, legibúſque ac inſtitutis vterentur. Sunt enim illius hæc, ſi bene memini: ἀνθρώπων χρωμένων κρατίστοις ἔθεσι, καὶ νόμοις, καὶ τοῖς κατὰ πᾶσαν παιδείαν ἐπιτηδεύμασι. (*Hominum moribus legibúſque, & ad omnem diſciplinam inſtitutis optimis vtentium.*) Cæterùm à iure lex non proficiſcitur, ſed ius à lege. Quæ omnia cùm vera ſint, eáque plana & perſpicua, ſequitur neceſſariò quod volumus, vt nulla probabili ratione defendi poſſit vulgata lectio huiuſmodi: Siue ex iure, ſiue ex conſuetudine lex proficiſcitur: etiam ſi (quod ſæpe fieri videmus, vt ſpeciei nomen generi tribuatur) legem hoc loco quemadmodum apud Græcos νόμον, pro iure accipias: quod feciſſe videtur illo in loco Tertullian. vbi, Porro ſi lex (inquit[2]) ratione conſtat, lex erit omne iam quod ratione conſtiterit, à quocumque productum. Nam ſi dicas à conſuetudine legem, id eſt ius proficiſci, conſequens erit vt à iure ius proficiſci fateare: quoniam ita ſcriptum eſt, Siue ex iure, ſiue ex conſuetudine lex proficiſcitur: quo nihil ineptius atque inſulſius (quantum iudico) proferri aut cogitari poteſt. Sanè à iure naturali legem deſcendere, vt ius omne ciuile quod à naturali paulùm inflectitur ac recedit[3], non negauerim: qui Auſonium in Monoſyllabis[4] ita recordor ceciniſſe:

*Lex naturali quam condidit imperio ius.*
*Ius genitum pietate hominum, ius certa Dei mens.*

Cæterùm non modò in libris iuris ciuilis, verùm apud alios quoque auctores menda illis aſſimilia, quæ modò indicauimus, ab ingenioſis quidem & acutis, ſed diligentibus & ad mẽtem auctorum attentis viris complura reperiri caſtigaríque poſſe non dubito. Ipſe vnũ quod hæc meditanti atque tractanti ſe obtulit, cùm ad manum ſit, nolo in ſinũ reponere: ſed potius quod ſuppetit, liberali animo in ſtudioſorũ gratiam effundere. Apud Zonaram ita ſcriptum in impreſſis quidem libris[5] legitur, vbi de Nerone: προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου, ὁ Σενέκας ἔπαρχος ὢν τοῦ δορυφορικοῦ, καὶ ὁ Βοῦῤῥος διδάσκαλος τοῦ Νέρωνος, τὴν μὲν ἔπαυσαν, αὐτοὶ δὲ τὴν ἀρχὴν ἅπασαν ἄριστα ἐφ' ὅσον περ ἠδυνήθησαν. Quid eſt quod Burrũ Neronis præceptorem, Senecam verò Præfectum prætorio fuiſſe ſcribit? Imo cùm hi rectores Imperatoriæ iuuentę, & pari in ſocietate potentia cõcordes diuerſa arte ex æquo pollerent (vt refert Tacitus[6]) Burrus quidem militaribus curis & ſeueritate morũ, Seneca præceptis eloquentiæ & comitate honeſta iuuabant inuicem, quo faciliùs lubricam principis ætatem, ſi virtutem aſpernaretur, voluptatibus conceſſis retinerent. Ac profectò vt Senecam Suetonius[7] præceptorẽ, Burrum pręfectũ nominat, ita ipſe quoque Seneca Burrum Præfectum vocat, ſcribens ad Neronem in hæc verba[8]: Animaduerſurus in latrones duos Burrus Præfectus tuus, vir egregius & tibi principi notus, exigebat à te ſcriberes in quos, & ex qua cauſa animaduerti velles, &c. Denique Senecam Neronis magiſtrum fuiſſe omnes ſciunt. Burrum Afranium

1 lib. 1. biblioth.
2 lib. de corona militis.
3 l. ius ciuile 6. D. de iuſti. & iure.
4 idyllio 16.
5 annal. to. 2 ἐν τῇ μοναρχίᾳ τοῦ Νέρωνος.
6 initio lib. 13.
7 in Nerone ca. 35. & 7.
8 li. 2. de clementia ca. 1.





nium ſub Claudio Præfectum prætoriis cohortibus: deinde ſub Nerone ſcriptos eſſe ad Cecinnam Thuſcum codicillos, mandata ei prætoriarum cohortium cura, ſed ope Senecæ dignationem Burro retentam Tacitus tradit[1], poſteà veneno necatum, & ipſius vice Fenium Rufum atque Ofonium, ſiue Sophronium Præfectos prætorio lectos fuiſſe, libri huius initio[2] docuimus. Vtrùm igitur cùm Dionis verba, quæ apud Xiphilinum[3] extant, hæc ferè ſint: ὡς δὲ ἐπὶ πολὺ τοῦτ' ἐγίνετο, ἐδυσχέραινεν, ὅτε Σενέκας καὶ ὁ Βοῦῤῥος φρονιμώτατοί τε ἅμα καὶ δυνατώτατοι τῶν περὶ τὸν Νέρωνα ὄντες, ὁ μὲν ἔπαρχος τοῦ δορυφορικοῦ, ὁ δὲ διδάσκαλος αὐτοῦ ὤν, καὶ ἔπαυσαν τὸ γινόμενον τιάσδε ἀφορμῆς λαβόμενοι, &c. (*Quod cùm diu factum eſſet, ferre grauiter cœperunt, Burrus & Seneca, homines ſapientiſſimi & apud Neronem maximæ authoritatis. Horum alter prætorianis militibus præerat, alter præceptor eius erat. Itaque commodam occaſionem nacti, &c.*) Ex Dione verò non modò rerum geſtarum ſeriem, ſed verba etiam ipſa compilaret, atque in ſuam (vt ſolet) hiſtoriam transferret Zonaras, alio modo ac debuit hos articulos, ὁ μὲν, ὁ δὲ accepiſſe illum dicemus, atque ita cùm alii nuper ipſum alia Dionis verba non intelligentem, & mala fide deſcribentem notauerint[4], nos quoque Romanarum rerum ignorationis & inſcitiæ auctorem optimum coarguemus? an potius in librorum eius exſcriptorem imperitum atque indiligentem, culpæ huius quidquid eſt conferemus, vt aliter atque in excuſo Baſileæ per Oporinum Fuggeri libro (quem non agnito illo errore, omnino ſequutus eſt Vuolfius interpres, cùm Latinum fecit) ſed ex mente Zonaræ tamen ita reponamus, προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου, ὁ Σενέκας διδάσκαλος τοῦ Νέρωνος, καὶ ὁ Βοῦῤῥος ἔπαρχος ὢν τοῦ δορυφορικοῦ, τὴν μὲν ἔπαυσαν. Mihi ſic videtur: qui apud ipſum etiam Dionem[5] quo loco Democratiam cum Monarchia comparat, illíque hanc præferendam eſſe demonſtrat, conſimilem errorem eadem ratione tollendum eſſe iudico: nam cùm ita in veteri bibliothecæ Regiæ libro Lutetiæ Pariſiorum ante viginti annos impreſſo ſcriptum ſit: τά τε γὰρ ἀμείνω πολὺ μείζω καὶ πλείω, καὶ πόλεσι καὶ ἰδιώταις ἐκ βασιλέων ἢ δήμων ἀεί ποτε ἐγένετο, καὶ τὰ δυσχερέστατα ἐν ταῖς μοναρχίαις ἢ ταῖς ὀχλοκρατίαις συμβαίνει. (*Nimirum quum ſemper & præſtantiora longè, & plura ſub regibus, quàm ſub populari gubernatione vrbes ac priuati ciues beneficia adepti ſint, longéque plus rerum aduerſarum ſub vnius quàm ſub multitudinis imperio ſuſtinuerint.*) & ipſa ratione & eiuſdem Dionis auctoritate adductus, qui paulò antè dixerat, ὅτι ἡ μοναρχία δυσχερὲς μὲν ἀκοῦσαι, χρησιμώτατον δὲ ἐμπολιτεύεσθαί ἐστι. (*Monarchiæ nomen eſſe auditu difficile, penes vnum tamen ſummam eſſe Reip. conducibile maximè omnium eſt.*) verba ſuperiùs appoſita ordini & loco ſuo reſtitutum iri crediderim, hoc modo ſi legantur: καὶ τὰ δυσχερέστατα ἐν ταῖς ὀχλοκρατίαις ἢ ταῖς μοναρχίαις συμβαίνει. (*Plus rerum aduerſarũ ſub multitudinis, quàm ſub vnius imperio accidit.*) Sed iam plus ſatis in eodem argumento verſati ſumus.

1 lib. 13. annal.
2 cap. 1.
3 in Nerone
4 Paul. Leopard. lib. 10. emendatio. 14.
5 lib. 44. hiſtor. ſub initium.

---

*Senatuſconſulta & Edicta Claudiana, quibus quæque temporibus facta*

*ſint diſputatur. Emendatur vnus Taciti, & Tertulliani alter deprauatiſſimus locus. S.conſultum Macedonianum, itémque Libonianum quando factum. De immunitate ob naues. Petitionis bonorum ſublatæ origo indagatur, expoſito Zonaræ loco, & prolatis Imperatorum hac de re conſtitutionibus.*

## CAP. XXV.

SEnatuſconſultum quoddam Claudianum de muliere ſeruo alieno iuncta, vt ſi denuntiante domino perſeueraret, ancilla fieret, ſublatum eſſe à Iuſtiniano ſciunt omnes, qui Iuſtiniani Codicem [1] legêre. Eius S.conſulti compluribus in locis mentionem fieri obſeruauimus: quos cùm multi alij pridem indicarint, enumerare nihil neceſſe iudico. Hoc potius de quo peritos dubitare video, quibus temporibus id factum ſit, paucis quod potero expediam. Quidam enim ex eo quod Suetonius ſcribit [2], Veſpaſianum auctorem Senatui fuiſſe decernendi, vt quæ ſe alieno ſeruo iunxiſſet, ancilla haberetur, ſuſpicantur quod Claudij tempore inſtitutum erat, id Veſpaſiani auctoritate abſolutum fuiſſe. Ego contrà exiſtimo: quòd hac de re à Veſpaſiano poſt adeptum imperium nihil Tacitus, Dio, Zonaras, nihil omnino Iuriſconſulti noſtri conſtitutum proferant, qui Claudianum tamen S. C. ſilentio non omiſêre: idémque apud Suetonium autumo Senatuſconſultum illud eſſe, cum eo cuius Cornelius Tacitus in annalibus commeminit, vbi de Claudio Imperatore loquitur [3]: Inter quæ refertur (inquit) ad patres de pœna fœminarum, quæ ſeruis coniũgerentur: ſtatuitúrque, vt ignaro domino, ad id prolapſa in ſeruitutem ſui conſenſiſſet, & qui nati eſſent, pro libertis haberentur. Quo in loco (vt obiter dicam) illud Libertis diſplicet: nam vel ex regula iuris [4] (quæ dictat in his qui non legitimè concipiuntur, tempus editionis ſpectari) pro ſeruis haberi oportuit natos ex eo contubernio: vel potius pro liberis atque ingenuis, quaſi conceptos ex libera: id enim fauor libertatis expoſcit, adde quod non debet matris calamitas ei qui eſt in vtero, nocere: cui ſufficit liberam matrem vel medio tempore habuiſſe, vt Paulus [5] & Martianus [6] ſcribunt. Sed & in illo ipſo Taciti loco, quem exponere cœpimus pro Ignaro, leui & facili mutatione, Ingrato, id eſt (vt apud Terentium [7] Donatus exponit) inuito, ſcriptum malim. Siquidem denunciationum à domino factarum Vlpianus [8], Tertullianus [9] & Iuſtinianus [10] mentionem habent: & Paulus, nulla denuntiatione à domino facta, mulierem quæ alieno ſeruo ſe iunxiſſet, in ſeruitutem redigi non ſolitam, ſatis indicat [11] in quadam facti ſpecie: in qua mulieri ad pecuniam quæ dotis nomine data ſeruo, & ſub titulo depoſiti in cautionem collata fuerat, recuperandam, in ſerui defuncti dominum actionem de peculio ex cauſa depoſiti competere (cùm inter ſeruum & liberum ciuile iudicium conſiſtere non poſſit [12], nulláque ſit ancillæ aduerſus dominum actio) rectè reſpondit. Adde quod ſeptem teſtibus ciuibus Roma-

1 lib.7.titul. 24. de SC. Claudiano tollendo.
2 in Veſpaſiano ca.11.
3 lib.12.annal.
4 vide Vlpianum in fragm. Inſtitut.tit.5.§. vlt.
5 li.2.ſentẽ. tit.24.
6 l.5.§.Ingenui. D. de ſtatu hom.
7 in Eunucho act. 2. ſce.1. Sed & ingratũ pro eo quod non eſt gratum neque placet Adrianus Turneb. duobus veterũ locis exponit cap.13.lib.3. Aduerſar.
8 in fragment. Inſtitut.tit.11. de tutel.
9 lib. 2. ad vxorem.
10 l 1. C. de S.C. Claudia. toll.
11 l. Lucius. 27. D. Depoſiti.
12 l. vlt. C. de noxal.



Romanis præſentibus, tertio ex Senatuſconſulto Claudiano denuntiandum probat interpretatio reſcripti cuiuſdam Conſtantiniani [1] vetus, quæ hodiéque extat in Codice Theodoſiano, in quo etiam Iuliani principis verba proponuntur [2], quæ id quod de denuntiationibus diximus planè adſtruunt, hæc ferè: Senatuſconſultũ Claudianum firmum eſſe cenſemus omnibus conſtitutionibus quæ contra id latæ ſunt penitus infirmatis, vt libera mulier ſiue procuratori, ſiue actori priuato, ſiue alij cuilibet ſeruili conditione polluto fuerit ſociata: non aliter libertate amiſſa nexu conditionis deterrimæ adſtringatur, niſi trinis fuerit denuntiationibus ex iure pulſata, &c. in quam ſententiam Arcadius & Honorius Impp. ita reſcripſerunt [3]: Cuncti prouinciales agnoſcant, niſi trinis denuntiationibus liberæ fœminæ ſeruorum conſortiis arceantur, nullo modo poſſe eas ad ſeruitium detineri. Quamquam hæc iuris obſeruatio præterire ac fallere vt Suetonium, ita etiam Tacitum, hiſtoricos & aliud agentes, nec Iuriſprudentiam profeſſos potuit. Sed erat illud S.conſultum de fœmina, non de homine libero: ideóque reſcripſit Alexander Imperator [4]: Si liber homo alienæ ancillæ contubernium ſequatur, licet ei fuerit denuntiatum vt ſe abſtineret, ſeruum domini mulieris nõ fieri. Ex quo ſequitur, vt apud Tertullianum [5], vbi meo quidem iudicio, de hac denuntiatione, quæ fiebat ex S.C. Claudiano, agit in hæc verba: Nónne inſuper cenſuerunt ſeruituti vindicandos qui cum alieno ſeruo poſt dominorum denuntiationem in conſuetudine perſeuerarunt? ſeueriores habebuntur terrenæ diſciplinæ cæleſtibus præſcriptis? vt gentiles quidem extraneis iuncti, libertatem ſuam amittant: noſtræ verò diaboli ſeruos ſibi coniungant, & in ſtatu ſuo perſeuerent: pro Vindicandos qui, optima ratione legendum Vindicandas quæ: nec Iuncti, ſed Iunctæ ſcripſiſſe Tertullianum, qui gentiles Chriſtianis fœminas comparat, aſſeuerem: præſertim cùm ſtatim ſubiiciat idem auctor hæc verba: Nonnullæ ſe libertis & ſeruis ſuis conferunt, omnium hominum exiſtimatione deſpecta, dummodo habeant à quibus nullum impedimentum libertatis ſuæ timeant. His ita conſtitutis, cætera tantùm rimari velut in occulto, nec cum fiducia inueniendi, nec ſine ſpe liceat: nam de iis quæ coniectura ſequenda ſunt, cùm ſit arduum nimis aliquid certi promittere, vt ait Seneca, nihil affirmabimus.

S.conſultum Claudianum ab Imperatore Claudio nomen accepiſſe arbitror: factúmque id fuiſſe illo ipſo anno, quo Fauſtus Sylla, Syluius Otho, quos paulò antè Tacitus nominauerat, Cõſules fuêre. Vtrum autem iis Conſulibus, an potius aliis in horum ordinariorum ſcilicet locum ſuffectis? Nam è faſtis Capitolinorum lapidum ſub Claudio, anno ab vrbe condita DCCCIIII. Veſpaſianum, qui poſteà Imp. fuit, Conſulatum geſſiſſe apparet, quem ex Kal. Nouembribus inierit: atque hunc, vt puto, conſulatum Veſpaſiani veterem Tranquillus in eius vita nominat [6]: quo loco, Talis tantáque (inquit) cum fama in vrbem reuerſus acto de

1 l.7.C.Th. ti.8. de libera cauſa, & ad S.C. Claudian.
2 l.9. eo. tit. C.Th.
3 l.11. eod. tit. & C.
4 l.3.C. de libera cauſa. facit l. ancillæ. 9. C. Communia de ſucceſſio.
5 lib. 2. ad vxorem.
6 cap.8.

Iudæis triumpho, Conſulatus octo veteri addidit. Sed in lapidibus ita exculptum, hodiéque legitur, P. Cornelius L.F.L.N. Sylla Fauſtus & L. Saluius. M.F. Otho (hi verò ſunt ordinarij Coſſ. ἐπώνυμοι, qui ſcilicet anno dederunt nomen, quoniam primi magiſtratum anni eius inierunt) Deinde additur, Ex...... Seruilius Barea Soranus. Ex Kal. Iul. M. Licinius M.F. Craſſus Mucianus. & L. Cornelius L. F.L.N. Sulla. Poſtremò adiicitur in faſtis, quod ad quæſtionem noſtram pertinet. Ex Kal. Nouemb. T. Flauius T.F.T.N. Veſpaſianus, qui poſteà Imp. Cæſar Aug. appellatus eſt. Huius autem conſulatus meminit & Suetonius [1]: vbi, Præterea Conſulatum (inquit) quem geſſit per duos nouiſſimos anni menſes, medium tempus ad Proconſulatum vſque in otio ſeceſſúque egit. Cùm igitur conſul Veſpaſianus fuerit ſub Claudio: tentare quis poſſet, referente conſule Veſpaſiano, quòd eum auctorem decernendi fuiſſe Tranquillus tradit, factum S.conſultum Claudianum. Sed obſtat quod Tacitus Pallanti eius relationis repertori edito à Cæſare, prætoria inſignia & centies quinquagies ſeſtertiûm cenſuiſſe Baream Soranum Conſulem deſignatum ſcribit [2]. Prius verò initum à Sorano, quàm à Veſpaſiano eiuſdem anni conſulatum, Capitolini teſtantur lapides. Præſtat igitur vt Sylla & Othone anni eiuſdem ordinariis Conſulibus, repertore quidem relationis Pallante, ſed dum oratione principis Claudij laudarentur ij, qui ob anguſtias familiares ordine Senatorio ſponte cederent mouerentur, qui remanendo impudentiã paupertati adiicerent, quomodo Tacitus [3] tradit. Intereà relationẽ hanc egrediente Veſpaſiano (nondum quidem illo Conſule, ſed tamen laticlanio [4], id eſt Senatore atque etiam prætorio) & quod in commune conduceret ſententiæ loco proferente, relationémque in ea quæ ipſe exprompſiſſet poſtulante (id quod Senatoribus adhuc frequens, vtpote à maioribus conceſſum erat, ſi Tacito [5] & Gellio [6] credimus) atque adeò illo decernendi auctore Senatuſconſultum fuiſſe factum exiſtimemus: quod propterea nomen à principe Claudio, non ab eius anni Conſulibus acceperit, quoniam in Senatu princeps, eius orationis quam diximus habendæ cauſa intereſſet, ac munus forſitan conſulare ipſe obiret: Claudiũ námque principem & munia cenſoria vſurpaſſe, imò etiam cuncta legum & magiſtratuum munia in ſe traxiſſe (in quibus & conſularia ſunt) idem Tacitus [7] narrat. Nec verò nouum eſt, vt Senatuſconſultis aliud quàm referentis Conſulis nomen tributum ſit. Macedonianum profectò nemo, qui Vlpianum legerit [8], à Conſule nominatum dicet, ſed à Macedone quodam, qui, quòd materiam peccandi malis hominibus præſtaret, cauſam ei S.conſulto dedit: quod ipſum tamen Senatuſconſultum eodem Claudio Imperatore IIII. & Vitellio III. Coſſ. anno ab vrbe condita DCCXCIX, factum coniectura quadam auguror ex eo, quod poſt latam legem Claudiam (ſic enim Tacitus nominat eam, quæ Senatuſconſultum eiuſdem ſententiæ ſecuta eſt, rogante populum Conſule, atque imperatore Claudio, vel, quod magis placet, vt Senatuſconſultum ipſum intelligens generali

1 in Veſpaſiano cap. 4.
2 lib. 12.
3 lib. 12.
4 Vide Suetonium cap. 2. in Veſpaſiano.
5 li. 2. & 13. annal.
6 cap. 10. li. 4. noct. Attic.
7 lib. 5. annal.
8 l. 1. D. ad Macedonia



nerali legis vocabulo nuncupauerit) anno ſequenti, qui fuit vrbis octingenteſimus, Vitellium & Veſpaſianum Conſules fuiſſe idem Tacitus, fideliſſimus annalium ſcriptor memorat. Nam quod Suetonius ea decernendi, quæ Macedoniano continentur, auctorem Senatui Veſpaſianum fuiſſe ſcribit [1], ſic accipiendum reor, vt antè de Claudiano S.conſulto diximus. Ita enim ſentire malo, quàm illud (quod aliquis forſitan verè dixerit) affirmare, à Suetonio memoria lapſo ea quæ Claudio Imperante conſtituta eſſent, Veſpaſiani, bello potius quàm iuri adminiſtrando, aut conſtituendo aſſueti principis, temporibus per errorem tribui.

Fuit & aliud SC. Claudianum, quod circa leges Iuliam & Papiã de nuptiis contrahendis, & procreandis liberis, déque iis maribus qui ſexagenarij vel maiores ſunt ſexagenariis, déque iis fœminis quæ quinquagenariæ, vel maiores ſunt quinquagenariis factum eſt, eiuſdem Tiberij Claudij temporibus, vt alibi docebo. Sed alia ſunt Claudiana S.conſulta quædam, quæ imperitè faciat, ſi quis Tiberio Claudio tribuat: vt Claudianum S. conſultum de quæſtione familiæ, quod Syllaniano adiungitur in rubrica [2] de S.conſulto Syllaniano & Claudiano. Hoc Claudij Neronis Imperatoris tempore factum, ipſo Cæſare II. & Calphurnio Piſone Coſſ. vt ex Claudij nomine alij Claudianum, ita ex Neronis nomine Neronianum Iulius Paulus [3] in receptarum ſententiarum libris. & Piſonianum ab altero Conſulum Piſone idem iuris auctor in libris ad edictum nominat [4].

S.conſultum autem Claudianum, quod circa legem Corneliam de falſis factum eſt, cui tribuerem diu multúmque dubitaui: Claudió ne Tiberio, an Tiberio Claudio, vel Claudio Neroni. Mouebar auctoritate Suetonij, qui in Nerone [5] cautum fuiſſe ait, hoc Imperatore ne quis alieni teſtamenti ſcriptor legatum ſibi adſcriberet. At cùm hanc eandem S.conſulti Liboniani ſententiam fuiſſe, perlectis compluribus Iuriſconſultorum reſponſis [6] addidici, & Liboniano Senatuſconſulto Claudianum adiungi hoc modo Ad SC. Libonianum ſeu Claudianum in Florentino librorum, ex quibus Pandectæ conflatæ ſunt, indice [7] deprehendi, & Paulum [8] ſcribentem ad SC. Libonianum de Imperatoris quoque Claudij edicto agere, atque id edictum Senatuſconſulto in eandem ſententiam facto copulare principem Alexandrum [9] animaduerti: tum ſanè decurſis aliquot ſpatiis, tandem collegi me, atque ita iudicaui, Non L. Nonio, M. Annio Libone Coſſ. anno vrbis DCCCLXXX. Hadriano imperante, vt Iuriſconſultus quidam eruditus cenſuit, ſed potius T. Statilio Siſenna Tauro, L. Scribonio Libone Coss. anno vrbis conditæ DCCLXVIII. imperante Claudio Tiberio Cæſare, S.conſultum Libonianum factum eſſe in Imperatoris Claudij ſententiam edicto ſuo expreſſam. Plerunque enim ſolebant edicta principum ad Senatum mitti, vt approbarentur & confirmarentur tanti ordinis auctoritate atque decreto: imo etiam edictis ipſis id nominatim ac diſertè addi conſueuerat, vti Senatuſconſultum ea ſequeretur (quemad-

1 in Veſpaſiano cap. 11.
2 tit. 5. lib. 29. Digeſtorum.
3 lib. 3. tit. 5. de SC. Syllanian.
4 l. S.conſulto Piſoniano. 8. D. de S.C. Syllanian.
5 cap. 17.
6 l. 1. §. ad teſtamenta. l. 6. ſi quis legatum. l. de eo. 10. l. filius. 14. l. cũ quidam. 17. l. impuberẽ. 22. §. 1. pen. & vlt. D. ad leg. Cornel. de falſis l. 3. C. de iis qui ſibi adſcrib.
7 in monobiblis Pauli.
8 l. impuberem. in princip. D. ad leg. Cornel. de falſ.
9 d. l. 3. C. de iis qui ſibi adſcrib.

modum in quodam edicto Marci Aurelij Antonini de Chriſtianis aliquando legimus[1]) præſertim ſi quãdo Roma principes abeſſent: quod in vſu etiam apud nos obſeruari conſtat, vt hæc ſit vulgaris edictorum & conſtitutionum principis clauſula[2]. Ita igitur illud Imperatoris Claudij edictum S. conſulto Liboniano confirmatum eſt: quod idcirco etiam, vt à Libone Conſule ad patres referente, Libonianum, ſic à principe relationis auctore, Claudianum meritò iuréque nominatum fuit. Quamobrem aut me valde animus fallit, aut illud quoque quod Suetonius ait[3], Aduerſus Falſarios tunc primùm (Nerone ſcilicet imperante) repertum, ne tabulæ niſi pertuſæ ac ter lino per foramina traiecto obſignarentur, cùm ampliſſimi ordinis, hoc eſt Senatus decreto atque conſulto cautum fuiſſe Iulius Paulus[4] tradiderit, ſub tit. ad legem Corneliam teſtamentariam, ad quam Libonianum factum fuiſſe diximus, totum inquam illud Liboniano ſiue Claudiano S. conſulto, atque adeò Claudij Tiberij Cæſaris, nõ Claudij Neronis edicto tribui debet. Nec me Suetonij mouet auctoritas, qui vt aliis quibuſdam locis, ita hîc quoque ob ſimilitudinem nominum errore labi ac decipi potuit.

Sane quod idem Suetonius ſcribit[5]: Cùm quidam ægra & affecta mancipia in inſulam Æſculapij tædio medendi exponerẽt, Claudium Cæſarem ſanxiſſe, vt omnes qui exponerentur liberi eſſent, nec redirent in ditionem domini, ſi conualuiſſent, quòd ſi quis necare mallet quàm exponere, cædis crimine teneri. hoc Dionis[6] etiã (quem Sudas, Xiphilinus, & Zonaras ſequuti ſunt) teſtimonio approbatur, & ad explicandum edictum illud Imp. Claudij pertinet, cuius Modeſtinus[7] & Iuſtinianus[8] noſtri meminêre: ídque à doctore meo iam pridem animaduerſum fuit[9]: quemadmodum à Turnebo[10] locus alter apud Suetonium notatus, de alio eiuſdem Imperatoris Claudij edicto, quod ipſe (cùm omnia Claudiana vel S. conſulta vel edicta, quæ ad iuris Iuſtinianei explicationem pertinent, hoc loco perſequi decreuerim) ſine culpa prætermittere non poſſum. Ex edicto etenim Claudij naue Latinum ciuitatem Romanam accipere, ſi non minorem quàm decem milia modiorum nauẽ fabricauerit, & Romam ſex annis portauerit noſter Vlpianus[11] tradit: & Suetonius[12] Claudium negotiatoribus certa lucra propoſuiſſe, ſuſcepto in ſe damno, ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet, & naues mercaturæ cauſa fabricantibus, magna commoda conſtituiſſe pro conditione cuiuſque, ciuibus vacationem legis Papiæ Poppææ, Latinis ius Quiritium, fœminis ius quatuor liberorum, eáque conſtituta hodie ſeruari. Ex edicto eodem illud eſſe puto, quod à Scæuola relatum eſt[13], iis qui naues marinas fabricauerint, & ad annonam po. Ro. præbuerint, non minores quinquaginta milliũ modiorum, aut plures ſingulas non minores X. millium modiorum, donec hæ naues nauigant, aut aliæ in earum locum, muneris publici vacationem præſtari ob naues. Et quod Calliſtratus[14] negotiato-

1 *cuius meminit Iuſtinus in Apolog. 2. his verbis* ταῦτα δὲ καὶ τῆς συγκλήτου δόγματι κυρωθῆναι βούλομαι καὶ κελεύω τοῦτό μου τὸ διάταγμα ἐν τῷ φόρῳ τοῦ Τραϊανοῦ προτεθῆναι, πρὸς τὸ δύνασθαι ἀναγινώσκεσθαι.

2 *hæc ſcilicet.* Si donnons en mãdemẽt à nosamez & feaus les gens tenãs nos cours de Parlement, grãd Conſeil, & autres nos cours ſouueraines, &c. que ceſtuy noſtre Edict, ou que ceſpreſentes nos ordõnances, ils facent lire publier & enregiſtrer entretenir garder & obſeruer, &c.

3 *in Nerone cap. 17.*

4 *lib. 5. recept. ſenten. ti. 25.*

5 *in Claudio cap. 25.*

6 *lib. 58. Roman. hiſto.*

7 *l. 2. D. Qui ſine manum. ad libert. perue.* 8 *l. vnica. §. ſed ſcimus. c. de Latina libert. toll.* 9 *a l. l. vlt. D. pro derelicto.* 10 *ca. 21. li. 7. aduerſar.* 11 *in fragment. Inſtitut. tit. 3. de Latinis.* 12 *in Claudio ca. 18. & 19.* 13 *l. his qui. 3. D. de vacat. & excuſat. munerũ.* 14 *l. ſemper §. negotiatores. D. de iure immunit.*

res



res qui annonam vrbis adiuuant, item nauicularios qui annonæ vrbis ſeruiunt, immunitatẽ à muneribus publicis conſequi, quandiu in huiuſmodi actu ſunt: nã remuneranda pericula eorum, quinetiã cohortanda præmiis meritò placuiſſe. Vbi præmia Calliſtratus vocat quæ Suetonius lucra nominauit. Sanè qui ob hoc tãtum in nauibus ſunt, vt in eis agẽdi, hoc eſt nauis pellẽdæ atq. incitandæ cauſa vt remiges operentur, nulla cõſtitutione quaſi nauicularios immunitatem à muneribus ciuilibus habere Vlpianus docet[1]. Aliud enim eſt nautam, aliud nauis dominum eſſe: aliud inquam eſt agere atque impellere nauem, aliud fabricare, atque annonæ comportãdę gratia præbere. Verùm negotiatoribus ab ipſo etiã Nerone cõceſſam à tributis ob naues immunitatem Tacitus auctor eſt[2] in illo loco, vbi, Temperata apud tranſmarinas (inquit) prouincias frumenti ſubuectio: & ne cenſibus negotiatorum naues adſcriberentur, tributúmque pro illis penderẽt, cõſtitutum. Planè qui annonæ vrbis ſeruiũt, vt nauicularij, ac multo magis negotiatores, qui rem frumentariam curant, & annonam ipſam adiuuant, nõ eſt alienum dicere, vel ipſo Calliſtrato auctore[3], interim Reipub. cauſa eos abeſſe. Quamobrem & apud Athenienſes quoque mercatoribus immunitatem conceſſam fuiſſe verum eſt, vt ex Euphronio quodam interpres Ariſtophanis[4] narrat his verbis: τινὲς τῶν πολιτῶν ἡνίκα χρημάτων ἦν εἰσφορὰ πρὸς τὴν πόλιν, τὴν ἐμπορείαν προεφασίζοντο, τὴν εἰσφορὰν βουλόμενοι φυγεῖν. ἀζήμιοι γὰρ οὗτοι διεφυλάττοντο (ὥς φησιν Εὐφρόνιος) ὡς τὴν πόλιν ὠφελοῦντες πλεῖστα διὰ τῆς αὐτῶν ἐμπορείας. (*Ex ciuibus quidam cũ facultatum ſuarum tributum vrbi eſſet pendendum, vt illud vitarent, negotiationẽ ſuam cauſabantur. Immunitas enim mercatoribus, (vt inquit Euphronius) quippe Remp. negotiatione ſua magnopere iuuãtibus, cõſeruabatur.*) Atque hæc quidem ad illud edictum Claudij de præmiis & commodis ob naues pertinere viſa ſunt. Veruntamen de nauiculatorum priuilegiis, ſi vltra quis quærat, is Diodorum Siculum videre poterit[5]. Ego id tantùm in præſenti addam, quod ab Vlpiano traditur[6], Senatuſconſultum Claudianis temporibus factum eſſe, vt ſi quis ex naufragio clauos vel vnum ex his abſtulerit, omnium rerum nomine teneatur: hoc eidem Claudio, qui negotiatoribus dominíſque nauium omni ratione cautum voluit, vt uariis commodis ad inſeruiendum annonæ pop. Romani eos allicere ſatis non haberet, mea quidem ſententia tribui oportere. Reſtat vnum adhuc edictum Claudij principis, qui poſt Gallienos imperium Romanum tenuit, quo edicto expoſito finem faciam. Igitur Aureolo tyranno, qui rebellarat, ſuperato atque interfecto, cùm res alienæ ab Imperatore peterentur, vulgóque exiſtimaretur eas imperatorem pro ſuo iure largiri poſſe, vir bonus & iuſtitiæ ſtudioſus Flauius Claudius princeps, qui leges optimas dedit, vt à Pollione[7] relatum eſt, edicto id fieri vetuit in poſterum: à quo edicto leges, quæ adhuc obtinent, originem duxêre, vt Zonaras memorat: Cuius teſtimonium, præterquàm quòd ſingulare atque vnicum

1 *l. 1. D. de iure immunit.*

2 *lib. 13. annal.*

3 *d. l. §. negotiatores. D. de iure immunit.*

4 *in Pluto.*

5 *lib. 11. biblioth.*

6 *l. 3. §. Senatuſconſultum. D. de incen. rui. & naufra.*

7 *vide Trebellium Pollionem in Claudio.*

eſſe reor, ideo ſanè pluris faciendum ſemper credidi, quia fontem nobis ipſum aperit Iuris illius, quod pleriſque principum partim Romanorum, partim noſtrorum conſtitutionibus & veteribus & nouis ſancitum eſt, ac minimè omnium tamen vſu & conſuetudine à noſtris approbatum fuiſſe, permagno plurimorum reorum (vtinã verò ne innocentium etiam) periculo atque iactura ſuperioribus annis didicimus. Tanto verius eſt quàm vellem & quàm oportuit Plautinum illud[1]: Nunc mores nihil facere quod licet, niſi quod lubet: ambitionem atque auaritiam iam more ſanctam & liberam eſſe à legibus: mores non maiorum quidem, ſed malos iam in poteſtatem ſuam leges perduxiſſe, magis qui ſunt obnoxii quàm parentes liberis. Ergo cùm optimi auctoris alicuius hæc verba ſint, quæ in ſuam hiſtoriam Zonaras[2] tranſtulit, Κλαύδιος δὲ χρηστὸς τυγχάνων ἀνήρ, καὶ δικαιοσύνῃ στοιχῶν, ἀπηγόρευσε πᾶσι ζητεῖν ἐκ βασιλέως ἀλλότρια πράγματα· νενόμισται γὰρ τοὺς βασιλεῖς δύνασθαι δωρεῖσθαι, καὶ τὰ ἀλλότρια· ὅθεν καὶ οἱ ἔτι κείμενοι νόμοι παρὰ τῇ πολιτείᾳ ἐσχήκασι τὴν ἀρχήν. *(Claudius cùm vir bonus iuſtitiaque ſectator eſſet, interdixit ne vltra cuiquam bona aliena ab Imperatore peteret. Receptum id enim moribus erat Imperatores etiam aliena donare, quandoquidem idem ius Reipub. ſtanti per leges fuerat.)* Equidem non dubito, quin ἀλλότρια ſiue aliena hoc loco intelligi non debeant omnia, quæ priuatus quiſque iure dominii poſſidet: nam quis fando vnquam audiuit ea vel peti ſolita eſſe, vel ab Imperatore olim donari potuiſſe? niſi fortè quod multo antè in Aſia factitaſſe Antonium accepimus, id Imperatoribus Romanis vſuueniſſe auguremur: ἀφῃρεῖτο γὰρ, vt eſt apud Plutarchum[3], εὐγενεῖς ἀνθρώπους τὰ ὄντα, μαστιγίαις καὶ κόλαξι χαριζόμενος. πολλῶν δὲ τῶν ζώντων ὡς τεθνηκότων αἰτησάμενοι τινὲς οὐσίας ἔλαβον. *(Facultates viris nobilibus auferebat, quas flagrionibus, & aſſentatoribus largiebatur. Multorum quoque viuentium bona, tanquam mortuorum, cùm quidam peterent acceperunt.)* At hoc non placet. Quid igitur? Pertinet mea quidem ſententia edictum iſtud ad titulum de petitionibus bonorum ſublatis. Quamobrem aliena interpretor ea ſcilicet, quæ reorum quidem, ſed indemnatorum adhuc & viuentium bona ſunt, itémque caduca ſeu vacantia, imò verò etiam damnatorum & proſcriptorum bona, quæ nondum tamen fiſco nunciata, nondum addita, nec (vt Marcellini[4] atque Imperatorum verbo vtar) incorporata ſunt: nam hæc quoque aliena quodammodo eſſe videntur: & adeò quidem, vt quamuis aduerſus fiſcum vſucapio non procedat, ſi tamen ex bonis vacantibus nondum tamen fiſco nuntiatis emptor prædii ex iiſdem bonis extiterit, rectè diutina poſſeſſione capiat: ídque conſtitutum eſſe Modeſtinus in libris regularum tradit[5]. Hæc igitur ex edicto Claudii (ὃς ἀπηγόρευσε πᾶσι ζητεῖν ἐκ βασιλέως ἀλλότρια πράγματα, qui *aliena bona ne quiſquam à principe vltra peteret interdixit*) peti non debent: fruſtrà verò peti, fruſtrà etiam atque inutiliter à principe competentibus elicito & emendicato reſcripto, vel adnotatione tribui Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius A A A conſtituêre: hac ratione adducti, quòd Imperatores plerun-

1 *in Trinummo act. 4. ſc. 3.*
2 *in Claudio ſub initium.*
3 *in Antonio.*
4 *lib. 26.*
5 *l. quamuis. D. de vſurpat. & vſucap.*



plerunque ita in nonnullis inuerecunda petentium inhiatio conſtringit, vt etiam non concedenda tribuant: proſcriptorum tamen bona rectè non petentibus vltrò dari poſſe præcipiunt 1. Sanè bona quæ fiſco adquiſita, vindicata, & applicata ſunt, poſt elapſum ab incorporatione biennium rectè petuntur, vtiliter etiam competentibus (hoc verbum Quintiliani 2 & conſtitutionum 3 eſt) tanquam non amplius aliena, id eſt proſcriptorum, ſed iam fiſcalia tribuuntur, ídque Arcadius & Honorius reſcripſêre 4. Hanc verò bonorum incorporationem, qua de agimus, ex diſpoſitione Comitis priuatarum ſumma cura deſcriptis omnibus bonis & titulis publicè affixis, ſolemniter fieri Valentinianus, Valens, & Gratianus iubent[5], quam Honorius & Theodoſius AA. anteferri competitionis effectui moris veteris inſtituto decreuêre[6]: & cùm necquicquam vacantium caducorúmve bonorum olim ad petentem perueniret, ante quàm ſuggeſtione Comitis rerum priuatarum informatus princeps quæ videbantur impetrata denuo confirmaſſet 7, id quod ab Imperatoribus iterata ſupplicatione, ſiue ſecundario præcepto poſcendum fuerat, à Comite rerum priuatarum, non expectato imperiali beneficio, poſtulari voluêre[8]. Ex quibus omnibus apparet, dãnatorum & mortuorum bona non aliter niſi poſt bienniũ elapſum peti, ſed tamen vltrò concedi à principe poſſe. Alexander quidem Seuerus, qui ſi quos ſciret vel nihil petiſſe, vel non multum vnde ſumptus ſuos augerent, vocabat eos, vt eſt apud Lampridium 9, & dicebat: Quid eſt cur nihil petis? an me tibi vis fieri debitorem? Pete ne priuatus de me queraris: ille inquam imperator in cæteris beneficiis, quæ famam eius non læderent, vt prępoſituras locorum ciuilium non militum, eáſque adminiſtrationes quæ ad procurationes pertinerent, ita &, eodem Lampridio teſte, bona punitorum dabat: ſed nunquam cum auro, argento, vel gemmis: nam id omne in ærarium reponebat. Viuentium verò neque damnatorum bona cõpetendi licentia vindicare ſe Honorius & Theodoſius tradunt 10: hoc eſt, nullum competitioni ſubiacere viuentem, niſi quem crimini obnoxium capitalis ſententia deportationi addixerit, vt iidem alio reſcripto interpretantur 11: & adiiciũt prohibere ſe ne quid per biennium competatur, ne vno eodémque petitorio pittacio, ſiue libello plurium fortunæ præ auaritia nimia & illicita cupiditate poſtulentur, atque vt Claudianus loquitur[12],

*--paruo non improba littera libro*
*Abſentum condonet opes.*

Sed ſingulorum bona ſingulis libellis petantur. Item ne ex edictis pendentibus vllæ competitionis cauſæ inferantur: cùm criminalis programmatis tenor hanc tantùm ferat de iure cenſuram, vt inter reos adnotato non tam cenſum debeat transferre, ſed famam. Hæc Imperatorum verba ſunt: id nimirum ſignificantia, quod antè diximus, Reorum alicuius criminis etiam requirendorum adnotatorũ, & edictis adeſſe iuſſorum bona, quæ (vt mandatis cauetur & fieri ſolet[13]) intra annum obſignata, vel poſt annum coacta in fiſcum

1 *l. 1. C. de petition. bonor. ſubl. li. 10. l. 15. C. Theod. de petition. & vltrò dat.*
2 *in declamat. 252. ſub initium. Eundem honorem virgines competebant.*
3 *l. 27. 29. 30. 32. 33. C. Th. de petition. lib. 10.*
4 *l. ne quis. 23. lib. 10. Cod. Th. ti. 10. de petition. & vltrò dat. facit l. 25. eod. tit.*
5 *l. 3. C. de bon. vacãt. lib. 10. vbi Cuiacius. facit. l. 11. C. Th. de petition & vltrò dat.*
6 *l. 3. C. Th. de incorporatione tit. 9. lib. 10.*
7 *l. 2. C. Th. de incorporatione.*
8 *d. l. 3. C. Th. de incorporat. li. 10.*
9 *in Alexãdro Seuero.*
10 *l. 27. C. Th. de petition. & vltro dat.*
11 *l. 29. C. Th. eod. tit. de petition. & vltro dat.*
12 *panegyri. 2. in laudes Stiliconis.*

fuerint,peti non poſſe: fiſco addita & incorporata fuerint oportet, atque ante biennium integrum quæ petuntur: ita enim expoſcunt ea,quæ(vt Imperatores loquuntur [1] )de veteris moris inſtituto, de veteri obſeruatione & competitionum auctoritate ſunt tradita cõſtitutionibus principum:quæ omnes illud Claudij edictum ſubſequutæ ſunt,vt ex eo mihi quidem ſicut & Zonaræ originẽ habuiſſe videantur. Illis verò ſcribendis Imperatores Romani, ſed noſtri quoque Reges legibus ſuis(quas Græci διατάξεις, Galli ordinationes nominant)in eandem ſententiam hac de re ſanciendis [2], nihil aliud niſi nimiæ petitorum cupiditati,imò verò nefariæ importunorum & crudelium flagitatorum libidini,ac inexpletæ, vt Marcellinus ait [3],rapacitati modis omnibus occurrere, obſtaréque voluerunt.Sed aut nihil,aut parum certè promouerunt:adeò facilè bonæ leges vt ex malis moribus naſcuntur,ſic ab ipſis(quæ peruerſitas hominum eſt)non modò ſuperari,ſed quaſi pedibus proculcari,atque atteri etiam ſolent. Quamobrem vt delatorum, ita impudentium huiuſmodi petitorum numerus,hodiéque magnus eſt in aulis principum: vt amaritudinem temporum augeat,plúſque odiorum, quàm pecuniæ ipſis principibus conferat:longè futurus minor,vbi erit optimè conſtituta vel ad ipſorum vtilitatem,vel ad ſalutem ciuium Reſpublica.

FINIS.

1 *l.3. C.Theod.de incorporat. l. 32. C.Theod.de petit.& vltro dat.*

2 le Roy Charles 7. article 85. des premieres. Charles 9. à preſẽt regnãt article 88. des ordonnãces d'Orleãs, & 28. de celles de Molins.

3 *lib. 21. ad finem.*